

K5.50c

11
The first of these is the
fact that the number of
cases of disease has been
greatly reduced since the
beginning of the century.

CASUS CONSCIENTIAE

IN

PRAECIPUAS QUAESTIONES

THEOLOGIAE MORALIS

PROPOSUIT ET SOLVIT

Dr CAROLUS SZCZEKLIK

THEOL. MOR. IN SEMINARIO

TARNOVIENSI PROFESSOR ORD.



— 2008 —

*Włączono do księgozbioru
w Roku Jubileuszu 100-lecia
Miejskiej Biblioteki Publicznej
im. J. Słowackiego w Tarnowie*

TARNOVIAE (TARNÓW).

SUMPTIBUS AUCTORIS

TYPIS JOSEPHI STYRNA

1906.

SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI
ZYGMUNTA JELENIA
W TARNOWIE.

N. 5755.

IMPRIMATUR.

AB ORDINARIATU TARNOVIENSI.

Die 30. maii 1906.

L. S.

LEO

Eppus.



27-42

9W-2614

4B-29/08

PRAEFATIO.

In theologia morali tractanda potest praevalere aut methodus theoretica aut practica. Prior, quae intendit systematice proponere et demonstrare morum principia, est plus scientifica et optime convenit studiis, prouti in universitatibus coluntur; in seminariis theologicis autem, quorum finis primarius est praeparare alumnos ad laborem in cura animarum, methodus practica praevalere debet; quantopere haec necessaria sit, elucet etiam ex eo, quod praelectiones theologiae in universitatibus complentur exercitiis practicis in alumnatibus. Usitatissima et antiquitate consecrata et experientia commendata methodus practica in tractanda theologia morali est sic dicta casuistica, qua tirones audita et demonstrata principia moralia sub ductu professoris aut in genere superioris per solutionem casuum conscientiae ad vitam practicam applicare addiscunt. Exinde sequitur necessitas librorum, qui nomine »casus conscientiae« nuncupantur.

Cum tot eiusmodi libri circumferantur, quare novum componere et typis mandare?

Plures rationes me ad hunc laborem moverunt. Et quidem 1) cum vita fluat et novos casus a theologo solvendos proponat, ideo semper libri recentiores in hac materia desiderabuntur; b) quaevis natio habet proprium characterem, proprias consuetudines, propriam vitam et proinde proprios casus conscientiae; ex hoc sequitur, quod maxime congruum est, ut quaelibet natio etiam proprios libros cum suis casibus possideat, ne levitae casibus tantum papyraceis aut extraneis auditis, careant exercitio in solvendis casibus vere practicis, qui eis in vita et labore sacerdotali occurrent.

Quoniam non exstat liber proponens et solvens casus e vita Polonorum, ideo opus id aggressus sum viribus quidem tenuibus sed non absque bona voluntate saltem viam monstrandi aliis.

His rationibus ductus, paucos tantum depromsi casus e libris auctorum notissimorum, sed nobis extraneorum, ut Elbel, Gury, Lehmkuhl, Génicot (quos casus ex eis sumpsi, fontem semper assignavi), paucos quoque exercitii causa composui; sed totus studebam proponere casus non fictos sed factos, ie. e nostra vita cotidiana depromptos. In genere abstinui a casibus exquisitis, artificiali modo compositis, nam isti minus utiles mihi apparent. In materia de iustitia applico codicem austriacum.

Nil magni meo conamine intendo; quae exopto, dico: id a Deo precor, ut mei auditores in hoc libro aliquam illustrationem principiorum moralium inveniant, ut casus, qui in vita eis occurrant, serio tractare et munere confessarii cum gravitate fungi assuescant. Puto etiam sacerdotes ex hoc libro aliquam utilitatem capere posse.

Si in quo erravi, corrigas benevole lector—in charitate—ast advertas, in dubiis libertatem nobis esse relictam.

Tarnoviae (Tarnów in Galicia) an. 1906.

AUCTOR.

I.

DE ACTIBUS HUMANIS IN GENERE.

VOLUNTARIUM, SPONTANEUM. (1)

a) Miecislaus dum labore defatigatus super gramine somno consopitus iaceret, a musca inopinate punctus manum movit et lagenam evertit, ex qua Pauli vinum effusum est. Quid de isto actu sentiendum?

b) Hedvigis magnopere gaudet, cum videt filium suum quadriennem, Ceslaum nomine, aliquando in ira percutere et patrem et famulam, imo ipsa instigat parvulum ad ulciscendas varias putativas iniurias. Obiurgata mater reponit, filiolum non esse rationis compotem. Quid de hac praxi?

c) Boleslaus confitetur, quod occasione diei onomasticae sui amici in epulis participavit et inebriatus domum rediit; excusat se, quod bibere omnino noluit, sed amici eum instanter rogabant, large liquorem propinantes. Quid de Bolesiai ebrietate tenendum?

Solutio.

1. a) Miecislai actus nondum est voluntarius, quia ipse, utpote dormiens, non advertibat ad actum et proinde voluntate in eum non consensit. Motus manus erat actus spontaneus, qui ex sensitiva cognitione processit.

2. b) Actus Ceslai, utpote nondum gaudentis usu rationis, sunt spontanei tantum et certe ei non imputantur ad cul-

pam. Nihilominus Hedvigis pessime educat filiolum, quia assuefacit eum ad satiandos instinctus ex natura corrupta provenientes, qui postea aut praevalerunt aut impedimenta facient voluntati, cum ad meliora nitetur.

3. b) Boleslai ebrietas erat voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid, i. e. ipse consensit in eam voluntate sua tamen cum aliqua repugnantia; quia tamen cognitio quoad excessum in potu erat perfecta, ideo totus actus ebrietatis ei imputari debet. Num excusatur saltem a gravi peccato ob defectum consensus perfecti? Minime, etenim precibus importunis quilibet resistere potest; clarum tamen est, peccatum eius aliquatenus quoad culpam diminui.

IMPUTATIO EFFECTUS. (2)

a) Sophiae, famulae, herus mandat fenestras claudere, quia e barometro futuram procellam praevidet. Sophia, coelum serenum videns, fidem dictis non praestat; dum ecce venti turbo inopinate advolans vitra frangit. Quaeritur, an Sophia pro damnis respondere debeat?

b) Ludimagister, Joannes, confitetur, se censuram insufficientem alicui discipulo dedisse, propter quod parentes pueri magnopere maledicebant et diabolos et fulgura in eum invocabant. Quaeritur, an ludimagistro imputari debeant istae maledictiones?

Solutio.

4. a) Ex inobedientia Sophiae, quam monstravit per omisam curam fenestrarum, sequitur damnum; hoc certe ei imputari debet, etenim non obstante suo ratiocinio debuit fenestras claudere. Non refert, quod sua exigua ratione damna non praevidit, nam sapientiores ea praeviderunt eique dixerunt; si ipsa in pertinacia sua persistebat, eodem modo aestimari debet ac homo, oculos claudens et conquerens, quod lucem non videt.

5. b) Omnino tranquillus sit Joannes, etsi maledictiones praeviderit; ipse quidem aliquo sensu tantum minus proprio causa dicitur horum peccatorum, nam stricte loquendo causa est

pueri negligentia, quae cum morali necessitate tristem censuram pro effectu habuit. Ceteroquin ponamus, eum esse causam horum peccatorum, tunc ut alicui effectus imputetur, necessarium est, ut eum saltem in confuso praeviderit, impedire potuerit et debuerit, i. e. ne iste effectus sequatur, actionem omittere obligatus sit. Jam vero magister contra iustitiam peccaret, si discipulo notam, quam non meritus est, daret; peccatum vero rebus impossibilibus in moralibus aequivalet; ergo non potuit sensu morali impedire effectum (maledictiones).

IMPUTATIO EFFECTUS. (3)

a) Augustinus ad examen se praeparans, librum paulo minus castigatum legit; inter legendum cogitationes minus castas et concupiscentiae motus experitur, quibus spretis denegatoque consensu lectionem proseguitur. An licite?

b) Agnes, famula, scit, dominam aegre ferre, quando sero ex foro venit; semel cum die feriali emendorum victualium causa domo exiisset et ecclesiam ingressa diu ibi permansisset, domina vehementissime irata est et gravissime maledicebat et conviciis eam oneravit; hospes enim advenit et ipsa domina, rei culinariae ignara, vas pretiosum fregit. An herae peccata et damna Agneti imputanda sint?

Solutio.

6. a) Casus hic proponitur pro illustrando principio de permissione effectus mali. Principium istud sonat: Licitum est ponere actionem moraliter bonam aut indifferentem, ex qua immediate praeter effectum bonum sequitur effectus malus, modo adsit proportionata causa et effectus malus non intendatur. In casu nostro actio est moraliter indifferens: legere librum; ex ea sequitur aequae immediate effectus bonus: acquisitio scientiae necessariae pro examine superando, et effectus malus: motus concupiscentiae, qui involvunt periculum peccandi. Iudicium de licitate actionis dependet ab eo, num adsit ratio permittendi effectum malum et num ista ratio sufficiens seu proportionata sit. Proportio debet adesse inter effectum bonum (causa ob quam actio ponitur) et effectum malum, dein inter effectum ma-

lum et influxum, quem exercet actio in eum producendum (Buccer. Th. m. 37.). Si haec ad lectionem libri applicantur, varias habebimus conclusiones: ita vgr. si aliquis legeret librum ex sola curiositate et liber esset magnopere turpis (influxus gravis in motus) et proinde periculum consentiendi in delectationem proxime immineret, lectio esset graviter peccaminosa. Quia Joannes legit ob finem gravem, etsi libri influxus in delectationem gravis esset, non peccat propter excitatos motus, modo, per se patet, adhibeat cautelas ad tentationes vincendas. Eo magis id valet, quod in casu narrato influxus est levis, nam liber est »paulo minus castigatus« In vita cotidiana vitatur talis discursus et vulgo pensatur solummodo proportio inter finem bonum, id est causam agendi, et effectum malum, qui permittitur.

7. b) Effectus pravus ex actione, ut imputetur, debet esse praevisus; praeterea, ut ad grave peccatum imputetur, debet actio ex natura sua (per se) graviter influere in eum. Non imputatur ad grave, si actio leviter influit, etsi effectus graviter peccaminosus sit; imo nullum est peccatum, si effectus non praevisus (per accidens) sequitur, i. e. provenit ex causa citra expectationem. Haec si ad Agnetis casum applicare voluerimus, possumus dicere: Si famula ex urbe redire tardat, ita ut exinde magnum incommodum pro domina sequatur, id graviter provocat iram dominae. Quoniam Agnes diu permanebat in ecclesia, eius absentia graviter influxit in iram dominae; ideo maledictiones, quas domina ebullire consuevit, famulae etiam imputantur, qua scandalum. Si tamen retardatio eius non esset notabilis, tunc vehemens ira dominae adscribenda esset potius eiusdem perversitati vel calido temperamento, quam famulae culpa; non adest enim conveniens proportio inter influxum actionis et iram eiusque vehementiam ac peccata exinde provenientia. Quod vero domina, cum excipiebat hospitem, vas fregit, id non famulae sed defectui dexteritatis dominae adscribendum est; absentia famulae erat tantum occasio, qua hoc infortunium evenit.

IGNORANTIA. (4)

a) Aemilius, officialis publicus, confitetur, quod solummodo feriis VI. a carnibus abstinet, ceteros autem ieiunii aut abstinendo

tiae dies non observat, quia nescit, quandonam sint. An valeat excusatio?

b) Catharina confitetur, se omnino oblitam esse ieiunii duabus feriis IV. quatuor temporum; parochus quidem semper denuntiat obligationes hebdomadarias in ecclesia, sed ipsa non interfuit sacro: semel ob infirmitatem, altera vice ex pigritia. Quomodo imputanda sunt ei ieiunia violata?

c) Cornelius, aliqua occasione contra sacerdotem et laicum quendam exacerbatus, vindictam sumere statuit; audivit, eos certa hora in curru profecturos esse; avide eos exspectat; ecce appropinquat currus! Cornelius videt laicum sibi propinquiorem, percutit eum baculo et aufugit in densam silvam. Mox tamen comperit, non laicum sed sacerdotem percussum esse. Quaeritur, quomodo haec percussio clerici ei imputanda sit?

Solutio.

8. a) Minime valet talis excusatio, quia ignorantia eius vincibilis est. Scit enim, etiam alios, praeter feriam VI., dies esse ieiunio vel abstinentiae a carnibus consecratos et nulla media adhibet ad ignorantiam deponendam; posset eam deponere facile, si alios interrogaret aut in calendario quaereret aut ecclesiam frequentaret, ubi anuntiantur ecclesiasticae observantiae. Lugenda haec ignorantia supina originem suam habet in indifferentismo practico erga Ecclesiae disciplinam.

9. b) Non observatio ieiunii, quae ex ignorantia provenit, est culpabilis aut non, prouti ignorantia est aut non est voluntaria. Involuntaria (invincibilis) est Catharinae ignorantia, si nulla cogitatio in mentem ei venit, parochum in ecclesia forte aliquid de ieiunio locuturum vel locutum esse. Si tamen aliqua eiusmodi cogitatio ei in mentem venit et non obstante hac suspitione omnem inquisitionem neglexit, violatio ieiunii ei imputatur. Non refert quoad ieiunium, utrum ex pigritia an ex iusta causa missam omiserit, quia exceptionaliter id factum est. Interroganda est Catharina, an venerit ei aliqua cogitatio vel suspicio de ieiunio; si negat, ignorantia est invincibilis; si affirmat et ex negligentia inquisitionem omisit, graviter peccavit.

10. c) Corneliu ignorantia quoad personam percussam erat concomitans, nesciebat nempe, quis laedebatur et utrumque lae-

dere voluit. Coram Deo reus est istius peccati, quod apprehendit; putabat, se laicum percutere, ergo simplex percussio ei imputatur non sacrilegium. Clarum est, quod ei imputatur affectus committendi sacrilegium et approbatio eiusdem, quando rescivit, personam percussam esse sacerdotem. Quia eiusmodi distinctiones laici ignorant, optime faciunt, si in his circumstantiis totum casum confessario narrant; ceteroquin hic casus difficulter alio modo clavibus Ecclesiae subiici potest.

IGNORANTIA. (5)

a) Caietanus pecuniam mutuam rusticis dat, expostulans 20%; nonnulli agricolae usuram ei exprobrant eumque ad parochum remittunt; hic tamen venire ad sacerdotem tardat, timens, ne ei interdicat tale foenus percipere, quod ei excessivum non videtur. Ut autem omnem conscientiae remorsum quietet, consulit confessarium. Quale iudicium feret confessarius de eius agendi ratione?

b) Victoria iucundissime vesperam transegit in consortio iuvenum et verba protulit inhonesta et cogitationes impudicas fovit cum maiore vel minore advertentia. Ad confessionem se praeparans, dicit intra se: videtur mihi, quod consensum perfectum non praestiti; non investigabo singula; ne forte aliquod peccatum inveniam, quod me puderet confiteri; dolore de omnibus peccatis etiam ignotis elcito, ad sacrum tribunal sacramentale accedit, nullum verbum de peccatis contra VI. praeceptum proferens. Quid de hoc examine conscientiae et confessione sentire oportet?

Solutio.

11. a) En exemplum ignorantiae affectatae, quae potius criminis scientia quam ignorantia appellari deberet. Sacra auri fames tantopere excaecavit Caietani oculos et voluntatem debilitavit, ut rusticus ipsum lumen fugiat, in tenebris peccati demersus. Quia supponitur, quod a paracho instructus forte abstineret ab oppressione usurali, ignorantia eius ipsum peccatum usurae aliquatenus diminuit, addit tamen novam malitiam, id est affectationem ignorantiae in rebus scitu necessariis.

12. b) Verum est, si agitur de peccatis contra castitatem, poenitentes non debere diu immorari in eis recogitandis, ne delectatio venerea excitetur; nihilominus talem diligentiam debet quilibet adhibere, quae necessaria est, ut peccata gravia cognoscat. In casu narrato peccata mortalia delectationis carnalis pro culpabiliter reticitis habenda sunt, etenim oblivio eorum est culpabilis utpote simpliciter vincibilis, nedum affectata.

IGNORANTIA. (6)

Gregorius, sacerdos, omni consortio cum confratribus a longiore tempore abrupto, rei oeconomicae a pluribus annis deditus, occasione visitationis alicuius collegae sui ex colloquio cum eo discit, se in pluribus circa vota, iuramenta, restitutionis obligationem errare et poenitentes falso dirigere. Pudore suffusus, statim aperit libros theologicos ac studiis incumbit: sed ecce, debet cotidie confessiones excipere et interea nescit, num erret. Quomodo imputandi sunt ei errores?

Solutio.

13. Quilibet munus publicum gerens tenetur ex iustitia tanta pollere scientia, ut in ordinariis casibus sibi consulere et in difficilioribus dubitare valeat. Sacerdos omne consortium cum sodalibus et cultura abrumpens ac a libris abhorrens, mox obliviscitur etiam eorum, quae sub gravi scire debet. Quamdiu ad ignorantiam suam non advertit, non imputantur ei errores, utpote negative involuntarii; si tamen aliqua occasione cum confratribus colloquens, vgr. tempore indulgentiarum, congregationis decanalıs, cognoscit labilis memoriae tristes effectus res theologicas concernentes et nihilominus studia serio non incipit, versatur in continuo statu mortalis peccati et errores imputantur ei pro peccatis; sunt enim voluntarii in causa, i. e. vult eos, volendo negligentiam. Studiis inceptis debet in singulis casibus, de quorum resolutione dubitat, aut libros aut peritos consulere; si vero interea erraverit aut tempus ad alios consulendos deesset, tunc a culpa immunis erit, etenim errores isti sunt ei involuntarii in causa.

PASSIO. (7)

a) Paulus confitetur: Dum chartis ludebam cum aliquo socio et hic saepius eundem errorem commisisset, ira abreptus convicium aliquod contra eum protuli, quo ille graviter offensus est. Quomodo hoc ei imputari debet?

b) Petrus qua iudex iuratus sequentia audit: Thaddaeus cum conspexisset, uxorem suam cum amasio commorari et turpes tactus permittere, arrepto sclopeto occidit eum. Quam sententiam pronuntiare debet ratione imputationis?

c) Julia post mortem unici filii sui, exsequiis absolutis, redit domum et magnopere plorans omnia, quae habet, donat famulis, cognatis, in genere omni, quicumque occurrit, quia, ait, vitae scopum amisit! Nicolaus, qui horologium obtinuit, quaerit a confessario, an hoc donum retinere possit?

Solutio.

14. a) Ex tenore confessionis cognoscimus, Paulum ex passione antecedente convicium protulisse; peccaminositas eius, abstrahendo a gravitate offensae, dependebit ab advertentia. Si omnino inopinate verbum aliquod ex eius ore effugit, nullum erit peccatum; in casu autem advertentiae potest peccatum reputari pro levi ratione imperfectionis actus, nam ira certe in hoc casu impedivit deliberationem.

15. b) In tam tristi eventu sine dubio potest tam vehemens exacerbatio potiri animo mariti, ut haec omnem advertentiam auferat et actum omnino involuntarium reddat. Quantum advertentiae quis in talibus casibus habuerit in concreto, Deus est unicus, qui id pensare potest; ideo pro foro externo sententiam liberativam proferat Petrus; in foro interno absolvat sacerdos infelicem Thaddaeum a peccato, prouti coram Deo commissum est.

16. c) Homines magna tristitia afflicti revera aliquando dissipant suas res; attamen tales donationes ab hominibus probis non acceptantur, reputantur enim pro non imputabilibus actibus; proveniunt non ex deliberata voluntate sed ex tristitia rationem omnino obfuscante, prouti in casu narrato videmus. Ideo Nicolaus debet horologium reddere; excipe, si mulier, dolore

cohibito, tranquillo animo donationem ob aliquam causam approbaverit.

STATUS MORBIDUS IMPUTATIONEM AFFICIENS. (8)

a) Titus, puer 10 annorum, confitetur, se vulgo esse pertinaciter inobedientem, ita ut parentes ad lacrimas saepius provocet, se animalia torquere, sese inebriare, mendicos irridere, furari et impudice se tangere. Confessarius miratur tantam videns morum corruptelam, ut malitia abundanter suppleat aetatem. Rem investigans comperit, puerum a vi quadam interna ad malam vitam trahi ita, ut non possit resistere. Quomodo peccata ista pensanda sunt?

b) Carolina conqueritur apud confessarium, se semper gravissime infestari turpibus imaginibus, quas ubique videt et domi et in platea et in ecclesia, iis imaginatio sua sanctissimas quasque res dehonestat. Infelix dicit, se abhorrere istas imagines sed nihilominus in continuo peccato vivere. Quid Confessarius?

Solutio.

17. a) Corruptio Titi provenit aut ex causa extrinseca i. e. ex mala educatione vel pravo consortio, aut ex statu eius morbo, qui dementiae morali plus minusve appropinquat. Prior hypothesis nullam facescit difficultatem quoad imputationem; nam etsi responsabilitas coram Deo forte minor sit, ob malam educationem, attamen peccata imputari debent secundum regulas communes. In altera hypothesis non potest statui generalis regula quoad imputationem singulorum actuum. Singuli poenitentes quoad singulos actus examinandi sunt et certe voluntarium in eis apparebit magnopere diminutum ob naturalem morbidam propensionem; ast non tantopere, ut omnis imputabilitas tollatur aut ut peccati gravis capaces non sint; vulgo enim non tantopere ad malum trahuntur, ut voluntas resistere non valeat.

18. b) Carolina indubia signa praebebat idearum intrusarum (Zwangsvorstellungen); istae ideae sunt signa status morbidum, in quo poenitens continuo molestatur aut aliquo phantasmate impudico aut melodia aut verbo. Differunt ideae intrusae a ten-

tationibus, etenim earum argumentum est saepe res moraliter indifferens aut, si est impudica, non trahit per se ad peccatum; dum tentatio semper trahit ad violandam legem. Differunt quoque a mania, quia eis visitatus sui status morbidus est conscius.

Carolina interroganda est, num eiusmodi imagines sustinuerit et in eis voluntarie sibi complacuerit. Vulgo negativum audiet confessarius responsum; tunc consoletur eam sacerdos, eam non peccasse, peccatum consistere in consensu voluntatis non in phantasmatibus involuntariis; admoneat, ut firmum concipiat propositum Deum non offendendi et idem saepius una cum actu amoris repetat; consulat adire medicum, vitare magnam defatigationem, confortare nervos.

PESSIMISMUS ET OPTIMISMUS PRACTICUS. (9)

a) Melania, diuturno morbo debilitata, in quolibet eventu et in omni homine solos defectus advertit et de eis libentissime loquitur; si ex praesenti tempore materia ei deficit, in praeterito fodit et semper invenit, ipsa, ut ait, infelicissima, contra quod murmuret et quod eam deprimat; infelicior est forte eius famula, quam saepissime increpat et victimam omnis suae exacerbationis facit. Confitetur suas impatientias, maledictiones, suspensiones, frequentes detractones. Quomodo confessarius pensabit haec peccata?

b) Adolphus, professor, semper mundo et mundus ipsi arridet, in discipulis videt angelos, omnia eorum delicta iuvenili aetate excusat; noli vinci a malo sed vince in bono malum, saepe repetit et mala multa tolerat aut obiter increpat, nunquam adulescentes punit, quia, cum ad annos maturos pervenient, ipsi se corrigent. Nil mirum, quod mores in schola laxati sunt. Quomodo hic professor iudicari debet?

Solutio.

19. a) Diuturni morbi et tristes eventus magnopere influunt in hominis temperamentum eumque pronum reddunt ad nonnulla peccata et in genere ad pessimismum; neque tamen tantopere invalescunt in voluntatem, ut haec libertate naturali priventur. Ideoque ob talem naturalem dispositionem neque omnem

imputationem his peccatis adimere neque plenam adiudicare fas est; tales homines medendi sunt et physice et moraliter. Confessarius cum maxima prudentia et patientia eos tractet.

Quoad imputationem notandum, quod impatientiae possunt esse in eiusmodi personis absque peccato, nam vulgo ex solis nervis irritatis proficiscuntur et omnem advertentiam praeveniunt. Quoad detractones, hae raro ob statum morbidum e peccato mortali in veniale trahuntur; ratio est, quia difficilius absque advertentia proferuntur. Pessimismus practicus, quo omnia nigris coloribus depicta videntur, hominem pronum reddit ad iudicia temeraria et suspiciones; et quoad haec peccata potest facillime causare bonam fidem in subiecto et proinde obiectivum peccatum subiective tollere. Tali poenitenti inculcanda est recreatio animi, examen frequens conscientiae, actus charitatis erga Deum et homines, quae non cogitat mala, eleemosyna.

Melanium interrogaet confessarius, quoties cum advertentia grave peccatum aliquod commiserit, in specie detractorem.

20. b) Ecce exemplum optimismi practici; hic fundamentum habet in temperamento naturali, evolvitur educatione, nutritur desiderio captandi amorem hominum aut etiam superbia. Non possumus negare, tales homines saepe, saltem initio muneris sui, bona fide agere, attamen iterum negari non potest, quod aut experientia aut alii eos ad hunc defectum certo attentos reddunt. Istam dispositionem naturalem, postquam optimista eam advertit, eradicare debet; si id non facit, committit peccatum acediae, quae in confessione sufficienter exponitur, quando singula peccata actualia nimiae indulgentiae et lenitatis declarantur. Imo si ex hac dispositione magister pervenit ad eiusmodi indulgentiam, qua consuetudines pravae tolerantur, aut disciplina in schola relaxatur, tunc status eius est habitualiter peccaminosus. Subiective ipse optimismus potest ei in multis casibus bonam fidem ingerere. Optimista debet serium et frequens examen conscientiae instituere et se coram iudicio divino saepe sistere.

Adolphus in specie interrogandus est, num sua nimia indulgentia mores scholae relaxati sint, quod ex frequentibus praevaricationibus discipulorum cognosci potest; dein, quoties obligationi corripiendi delinquentes discipulos defuerit.

VIS. (10)

Paula confitetur, quod erga parentes inobediens fuit, imo etiam ad gravem iram eos incitavit ideo, quia contra voluntatem parentum Petrum amat et hi Joannem amore prosequi iubent, ipsa vero non potest se ad hoc cogere. Quid de hoc dicendum?

Solutio.

21. Seponimus hic quaestionem, num Paula obligata fuerit exsequi iussa parentum; in genere possumus in antecessum notare, filios per se non esse obligatos obedire parentibus in eligendo vitae statu et matrimonio contrahendo. Hoc loco casum solummodo sub alio respectu consideramus et quidem an possibilia parentes a Paula postulaverint.

Amor, ut actus elicitus, coactioni extrinsecae subiacere nequit, itaque Paula absolute cogi non potest ad hoc, ut alterum iuvenem diligit, erga alterum indifferentem se exhibeat. Nihilominus in genere non apparet vera opinio, inter iuniores sat divulgata, quod ipse homo inermis sit erga suos actus elicitos; in specie quoad amorem, ac si homo non posset eum cohibere. Si enim amor sumitur ut actus appetitus rationalis, domari potest, nam voluntas sequitur rationem, ratio autem potest perpendere motiva, quae aversionem a persona causare nata sunt; si amor sumitur ut propensio sensitiva erga aliquem, etiam ista domari potest. Quia amor in genere est actus appetitus (rationalis et sensitivi), hic vero sequitur cognitionem, nutritur consideratione, conversatione et recordatione, ideo in eodem gradu quo impediuntur cognitio, consideratio, conversatio, recordatio, debilitatur quoque amor. Efficit id consideratio motivorum contrariorum, remotio obiecti amati, occupatio seriis negotiis, distractio.

Difficilius est, puto, excitare amorem erga obiectum, quod indifferens videtur. Quia res per easdem causas nascitur ac dissolvitur, eadem via amor excitari posset, i. e. consideratione motivorum nobis convenientium, conversatione frequenti et recordatione. Quidquid sit in theoria, non potest confessarius multum se immiscere his negotiis; forte tunc tantum expedit dare instructionem personae iuvenili, si cum magno dedecore

familiae rapta esset amore erga personam omnino indignam aut matrimonio ligatam. Ne credat confessarius asserentibus, amorem esse omnino insuperabilem, neque etiam speret infallibilem fructum e consiliis.

Paulae dicat confessarius, ut aut parentes pro sua causa conciliet aut ipsa se parentibus subiiciat; non expedit eam adhortari, ut sua libertate fruatur, nisi urgente aliqua causa.

VIS. (11)

Agatha a filio heri nocte opprimitur; nullo modo in peccatum consentire vult, minatur, se clamaturam esse, sed non audet id facere, ne eum et seipsam diffamet; post luctam aliquam succumbit quidem sed interne peccatum omnino detestatur. Alia vice dum in silva fragarias colligeret, a duobus iuvenibus aggressa est; videns omnino inutilem esse pugnam, statim succubuit et ab eis luxuriose violata est. An peccaverit in utroque casu?

Solutio.

22. In sui defensione competeat Agathae ius etiam occidendi invasorem, a fortiori vulnerandi eum, infamandi clamore etc. Alia vero est quaestio, ad quid obligata fuerit sub peccato. Varii varie explicant obligationes puellae oppressae; veritati proxima videtur opinio (Göpfert, Moraltheol. I. 119), quae obligat puellam ad media resistantiae ordinaria, nempe ut se defendat manibus, corporis motu; non tenetur autem ad media extraordinaria, ut est occisio, clamor cum verecundia coniunctus. Ratio est, quia nemo tenetur bona naturalia (integritatem corporis) defendere cum maximo damno; atqui clamor, occisio infamant ipsam etiam puellam non solum aggressorem. Non potest sustineri sententia, puellam uni viro semper efficaciter resistere posse; id dependet non solum ab eius viribus sed etiam a temperamento plus minusve irritabili, et ab indole morali; propterea confessarius debet singulos casus caute examinare, de consensu praestito interrogare et absolvere a peccato, prouti coram Deo commissum est; saepe non perveniet ad certitudinem, dubia relinquat Deo.

In altero casu quia nullam resistantiam opposuit, difficilius a peccato excusabitur. Theoretice enim vim patiens tantum utilem resistantiam sub peccato opponere debet, attamen in materia tam periculosa ut est luxuria, quaelibet puella proba dissensum internum aliquo modo ad extra manifestabit. Interroganda est Agatha explicite, num aliquo modo precibus aut corporis motu dissensum manifestaverit; si negat, consensisse in delectationem censenda est, etsi rei ignara nunc neget.

CONSUETUDO. (12)

Cornelius confitetur, se qualibet occasione maledicere, etiam pluries per diem. A confessario obiurgatus, excusat se, suas maledictiones omnino inadvertenter ex ore elabi. Quid ad hanc excusationem confessarius?

Solutio.

23. Clarum est, Cornelium consuetudinem maledicendi contraxisse. Singulae maledictiones, absque advertentia prolatae, non imputantur pro peccatis, si consuetudini extirpandae Cornelius adlaborat; sunt enim omnino involuntariae. Si autem vitium intactum colit, eo ipso vult, ut istud in actus peccaminosos prorumpat, proin singulae maledictiones peccaminosae sunt, utpote indirecte voluntariae. Ceterum consuetudinarii semper habent aliquam actualem cognitionem, dum peccant; haec cognitio sufficit ad actus reddendos deliberatos, solummodo memoriae eorum non imprimuntur isti actus advertentiae, quia consuetudinarii peccata parvipendunt (Marc I. 319).

ELEMENTA MORALITATIS. (13)

a) Cornelia, videns alias puellas frequentare et missas et sacramenta, ipsa earum exemplum sequitur, ne aliis minus devota videatur et ut matri suae placeat; quod rescians confessarius, declarat, ob malam intentionem sacrilegas esse eius confessiones et communiones. An decisio haec recta sit?

b) Cyprianus chartis lusit ob solum lucrum et ob solam amoenitatem; peccavitne?

c) Paulus sustentat pauperem viduam tum ex misericordia tum quia turpiter cum ea peccat. Qualem valorem moralem habet eius misericordia?

d) Pafnutius furatus est die dominica 100 coronas ex corbona ecclesiae; confitetur, se commisisse grave furtum; an sufficiat talis confessio?

Solutio.

24. a) Quilibet christianus debet frequentare sacramenta, ut per augmentum sanctitatis promoveatur Dei gloria et negotium propriae salutis. Id quoque est finis internus sacramentorum. Qui praeter hunc finem adhuc intendit alium, extrinsecum, quo tanquam motivo impellitur ad illum primum obtinendum, certe non peccat, quia subordinare res terrenas fini ultimo est omnino honestum. Itaque non peccat Cornelia, si videns alias puellas frequentare sacramenta. ipsa impellitur ad eas aequandas in sanctitate aut si id facit ad matris benevolentiam conciliandam; nihil enim est in actione, quod esset moraliter malum: nec finis alteruter nec media. Si Cornelia per frequentiam sacramentorum intenderet vanam gloriam, i. e. laudem humanam, sanctitatis apparentiam, tunc finis vanae gloriae est pro ea aut partialis aut totalis. Si esset partialis, i. e. si intenderet sanctitatem et vanam gloriam, quod conciliari potest, tunc committeret veniale peccatum, quod eius confessiones non reddit sacrilegas, si aliunde sunt bonae. Et hic casus vulgo evenit. Si vana gloria pro ea esset finis adaequatus, i. e. si unice ob vanam gloriam sacramenta frequentaret, ita ut positive excluderet sanctimoniam internam et gloriam Dei, tunc dolor eius pro peccatis non esset internus ac supernaturalis et propterea confessiones essent revera sacrilegae. Idem dic, si eodem modo matris complacentiam conciliare voluerit. Decisio itaque confessarii apparet erronea.

25. b) Ludus chartarum est per se actio moraliter indifferens, si refertur ad finem etiam indifferentem, ut lucrum, nullum committitur peccatum. Etiam haec occupatio valorem moralem nancisci potest, si ludens advertit, ludum quoad circumstantias

rectae rationi convenire. Ludere ob solam amoenitatem esset tunc peccaminosum, si homo tantopere ludo se dedisset, ut omnem directionem rationis excluderet neque eius vocem sese obtrudentem auscultare vellet; tunc luderet ob solam voluptatem in sensu propositionis damnatae ab Innocentio XI.

26. c) Quia peccatum mortale concipitur qua aversio a Deo, propterea etsi piissimam quis intentionem habuerit, nihilominus tota actio est mortaliter mala, si ei adiungitur finis etsi secundarius mortaliter malus. Propterea a tali diabolica misericordia omnino arcendus est Paulus.

27. d) Actio haec peccaminosa ratione obiecti est furtum; circumstantia loci facit istud furtum sacrilegum; circumstantia temporis non influit in hoc casu in moralitatem, nam perinde est, quo tempore furtum commissum sit. Quantitas (100 cor.) non est necessario determinanda in confessione, modo poenitens materiae gravitatem in genere declaraverit; est enim circumstantia aggravans, quae in confessione licite relicetur.

ELEMENTA MORALITATIS. (14)

a) Julia non est contenta filia sua devota et solitudinis amatrice, quia timet, ne innupta remaneat; consulit ei, ut cum iuvenibus conveniat, lepide loquatur, eos fixe aspiciat et impudice tangi permittat. Petit filia a confessario, an liceat ei materna consilia sequi.

b) Bronislava virum habet avarum, qui nullum hallerium pro sale aut aliis necessariis rebus emendis dare vult. Ut sibi succurrat, saepe aliquid e rebus domesticis clam vendit et coram marito mentitur, ut increpationem et rixas vitet. Item cum filius sero in nocte ebrius domum rediisset et a patre, qui non certam de hoc notitiam habuit, increparetur, testata est ad pacem familiae conservandam, filium et sobrium et non sero domum reversum esse. An licita sit haec praxis?

c) Pigros suos operarios excitat Petrus ad diligentem laborem maledictionibus, quia, ait, non optat eis malum ex corde, sed nervi eorum crassi persuasionibus aliis vix concitantur. An licite agat?

Solutio.

28. a) Etsi Julia intendat finem moraliter bonum, nempe matrimonium filiae, nihilominus non omnia media a matre proposita bona sunt et filiae suadenda. Convenire cum iuvenibus, lepide loqui, modo impudici sermones vitentur, sunt media per se indifferentia et licita; fixus aspectus, modo non sit luxuriosus, periculosus quidem est, sed pertinet ad arma puellarum vulgaria et stratagemata feminea; tactus impudicus nunquam consuli aut permitti potest puellae, utpote semper peccaminosus, neque malitiam eius aufert finis bonus, quem mater intendit.

29. b) Bronislava, increpanda est ob sua mendacia, intendit quidem finem bonum: pacem familiae, sed utitur medio peccaminoso; propter finem bonum malitia moralis mendacii diminuitur quidem, tamen non aufertur, finis enim non sanctificat media, praesertim intrinsece mala. Solummodo si agitur de iis, quae non sunt intrinsece et absolute mala, licet in collisione legum, posthabita debiliore, observare firmiorem, vgr. licet uxori ad gravem iram mariti vitandam ad tempus non ieiunare aut dilectionis signa filio denegere, si maritus id expostulat. Casus similes apparentiam habent, ac si adhiberentur media prava in finem bonum.

30. c) Petrus adhibendo maledictiones peccat, non obstante fine bono; reformare quoque debet suum praeiudicium contra operarios, ac si tantum maledictionibus ad laborem incitari possint. Maledictiones eius pro venialibus habendae sunt.

ACTUS SUPERNATURALIS, MERITORIUS. (15)

Agatha ab aurora usque in multam noctem occupata tum negotiis oeconomicis tum suis infantibus cum amaritudine et fere cum invidia conqueritur coram quadam moniali, quod non habet tempus opportunum ad colligenda merita supernaturalia, etenim mane et vespere paululum tantum orat, actiones suas viles Deo offerre non audet, solummodo diebus dominicis offert rosarium et missam in gloriam Dei sed id quam modicum est! Imo in mediis negotiis tantopere dissipatur, ut non eliciat intentionem agendi ex charitate et non ponat sibi ante oculos

aliquod fidei mysterium, quod ei per modum motivi praeluceat. Monialis concedit, occupationes Agathae revera esse viles; ut eas in ordinem superiorem elevet et meritorias faciat, sequentia proponit consilia: saepe elicere intentionem agendi ex amore Dei, ex obedientia erga maritum aut sua officia; repraesentare sibi Christum ab ea laborem poscentem; mane et vespere offerre operationes suas Deo; saepissime in mediis occupationibus actum charitatis elicere. Hoc modo, ait, colliget merita supernaturalia, satisfaciet praeceptis offerendi actiones suas in Dei gloriam, agendi ex charitate et motivis supernaturalibus. Quid theologus ad hunc discursum?

Solutio.

31. Agatha absque dubio imbuta est doctrina rigida, quae intolerabilia onera imponit et homines pusillanimes facit, confundit ea, quae sunt consilii et perfectionis, cum eis, quae necessario ad salutem requiruntur. Falsa est eius opinio, ac si solummodo oratio vel opus extraordinariae bonitatis actus supernaturalis esse possit; etenim quaelibet occupatio, etiam vilissima, modo sit moraliter bona et in statu gratiae peracta, iam est supernaturalis et meritoria. Ut autem actus sit moraliter bonus, omnino sufficit, si agens advertit, actum agentis, ut enti rationali, convenire aut, prouti vulgo exprimitur, sufficit, si agens advertit, nihil mali in opere reperiri. Non est necessarium ad bonitatem moralem explicite offerre suas actiones in Dei gloriam, nam eo ipso quod bonae sunt (ordini morali convenientes), iam in Dei honorem cedunt; neque necessarium est ex motivo charitatis (Janseniani) aut ex motivo per fidem proposito (Suarez) actiones ponere, imo nec necessarium est in actione finem positive honestum intendere, vgr. agere, quia praeceptum est.

Omnino laudabilia consilia dat monialis, quo enim perfectior intentio (motivum), eo perfectius opus; celsissimum est, si ad demonstrandam charitatem Dei desinteressatam perficitur; tamen errat monialis, denegando merita aliis operibus et adscribendo vim obligationis iis praescriptis vitae spiritualis, quae per modum consilii ab ascetis et theologis proponuntur.

II.

DE LEGE.

OBLIGATIO LEGIS. (16)

a) Cornelius, sacerdos, tempore feriarum versatur in regione protestantica, ubi catholicis sacerdotibus sub poena 100 cor., vetitum est praedicare et praesertim in lingua vernacula. Spernens tale vetitum, pluries concionavit; sed mox ad gubernium denunciatus mulctam statutam solvere iussus est. Quaeritur, an peccaverit et mulctam in conscientia solvere debeat?

b) Albinus ob negligentiam in cura animarum ab episcopo damnatus est, ut 25 cor. in pias causas impenderet et per octo dies in quodam monasterio exercitiis spiritualibus vacaret. Primam poenitentiae partem omnino praetermisit, quoad alteram partem contulit se quidem in monasterium, sed meditationes simulavit, ratus, episcopum non habere potestatem praecipiendi actus mere internos. Quaeritur, an Albinus peccaverit?

Solutio.

32. a) Quaelibet lex humana, ut obliget, debet esse honesta et iusta. Per honestatem designant theologi eam legis proprietatem, qua haec legi divinae (naturali et revelatae) adversari nequit. Lex est iusta ratione auctoris, quae non excedit potestatem legislatoris; proinde iniusta et obligatione destituta est lex auctoritatis civilis in negotiis mere spiritualibus. His ante oculos habitis concludere possumus, Cornelii legum laesiones non esse peccaminosas, etenim leges constringentes praedicationem verbi divini fuerunt et inhonestae et iniustae. Et quidem dispositio legis supra dictae, quatenus continet vetitum praedicandi doctrinam catholicam, certe excedit potestatem gubernii civilis et non obligat, alioquin ipse Christus D. et Apostoli praedicare non potuissent.

Vetitum istud quoad praedicationem in lingua vernacula pariter non obligat utpote inhonestum et iniustum. Prouti in vita cotidiana rectae rationi repugnat, ex industria alloqui homines lingua eis ignota, ita eo magis in instructione religiosa. Apostoli accommodabant se nationibus, cum evangelium praedicabant, et ipsi speciale donum linguarum festo Pentecostes obtinuerunt, minime vero donum linguae haebraicae datum erat gentibus, ut Apostolos intellegerent. Experientia quoque contestatur, instructionem religiosam parvulorum et non excultorum esse mancā, non recte intellectam, nec efficacem, si non in lingua vernacula instituitur. Sedes Apostolica conniventiam suam huic principio iam saepius manifestavit.

Ex dictis patet, Cornelium ab omni peccati labe esse immunem, imo ideo quia lex iniusta erat, etiam poena, pro eius violatione statuta, est iniusta et non obligat in conscientia.

33. b) Albinus graviter deliquit non obtemperando mandato Episcopi, quoad mulctam pecuniariam; etsi enim haec species poenae nunc in usu non sit, tamen potestas ecclesiastica habet ius eam imponendi. Ratiocinium eius quoad meditationem pravum animum prodit; abstrahimus iam ob eo, quod exercitia spiritualia medium sunt efficacissimum ad vitam spirituales excitandam et sustentandam et Albinus, qui certe hoc medio indigebat, acediae reus apparet, sed praeterea eius ratiocinium etiam hoc laborat errore, quod meditatio et exercitia spiritualia non sunt actus mere interni; etenim secum ferunt actus externos et recessum et lectionem et orationem; iam vero actus mixtos quaelibet potestas praecipere potest etiam quoad elementum internum.

OBLIGATIO LEGIS. (17)

a) Michalina, miserrima mater, maritum sortita est ebriosum et fere cotidie vino captum; filium habet decennem omnino amentem, alterum sexennem bene evolutum; toti huic familiae diebus Veneris carnes a die Jovis residuas manducandas praebet, quia, dicit, nemo eorum lege ecclesiastica tenetur. An recte?

b) Catharina, ob laesionem honoris suae vicinae iam saepius punita, innocentem et securum invenit modum molestandi

vicinam: docuit filium suum amentem nonnulla convicia et maledictiones ac iussit eum haec contra eam proferre, quando in platea apparuerit. Quaeritur, an peccaverit?

Solutio.

34. a) Michalina peccat porrigendo carnem suo marito, hic enim momentanee tantum usu rationis destitutus, legibus ecclesiasticis tenetur. Filius decennis aetatem congruam quidem habet, sed ob stabilem amentiam legibus humanis dirigi nequit; sexennis denique filius, etsi evolutus, ex communi opinione theologorum carnem manducare potest, quia lex ordinarie contingentia respicit et censetur homines non obligare ante septimum vitae annum.

35. b) Nullum dubium, quod Catharina peccavit; etsi enim filius eius utpote amens inculpabilis est, tamen materialiter legem naturalem violat, quia alios molestat et offendit, quod legi naturali repugnat. Quoniam Catharina eum hanc nefariam artem docuit, propterea ei imputari debet haec laesio ordinis moralis. Ita censendum est, etsi Catharina neminem in specie lacessere iussisset; a fortiori id valet, si filius deservit Catharinae pro instrumento ad vicinam molestandam; tunc omnis laesio honoris, a filio vicinae illata, imputatur matri nequam.

OBLIGATIO LEGIS. (18)

a) Adalbertus non audet domi legere ephemeridem ab episcopo suo vetitam, utpote socialismum propagantem et religionem data opera infestantem; eo libentius eam perlegit, quando in proxima dioecesi degit, ubi haec ephemeris non est vetita. An tuto istam praxim continuare possit?

b) Magister cum discipulis excursionem maiorem in aliquam silvam quodam die feriali instituens, obstupefactus videt, populum festum titolare ecclesiae parochialis observare; dubius haesitat, utrum teneatur missam audire aut possit ludum cum discipulorum grege in nemore instituere sacro non audito?

c) Joannes, civis Tarnoviensis, festo s. Stanislai, quod Cracoviae tanquam festum Patroni celebratur, et sacrum non audit

et currum onustum vehit, penes quem servilia opera peragit. Cum per unum mensem Joannes Cracoviae habitet, increpatur ab aliis, quod se incolis non accomodet. An recte?

Solutio.

36. a) Si diarium ab episcopo vitum est, certe non ob articulos argumenti oeconomici sed ob rationes religiosas id factum est. Atqui legere scripta religionem aggredientia adversatur per se et legi naturali et universali legi ecclesiasticae. Quia istae leges ubique obligant, ideo extra suam dioecesim legens peccatum quidem effugit ratione violatae legis dioecesanæ, sed reus est culpae ratione violatae legis naturalis et communis.

37. b) Magister cum discipulis sensu theologico peregrinari dicitur; ideo non tenetur observare particulare festum; est enim in territorio legis sed non de territorio eiusdem. Proinde neque ad missam audiendam neque ad abstinentionem ab operibus servilibus tenetur. Ludus non pertinet ad opera servilia, propterea, non obstante festo, licet eidem vacare. Per accidens posset ei ludus esse interdictus et quidem tunc, quando penes ecclesiam institutus populum in oratione turbaret.

38. c) Si Joannes non intendit per maiorem anni partem Cracoviae habitare, ita ut quasi domicilium acquirat, per se non tenetur locale festum s. Stanislai observare; etsi enim in territorio legis est, tamen non de eiusdem territorio. Dixi »per se,« nam si opera servilia publice peragit, turbat festivam quietem publicam et aliis scandalum praebebat. Privatim omnino licet ei laborare secluso scandalo.

OBLIGATIO LEGIS. (19)

a) Petrus excursionem tempore quadragesimae Romam facit. In Urbe aeterna videt catholicos absque lacte ientare et coenare. Cum cibi stricte esuriales ei non placeant, nam nunquam in sua patria ita ieiunavit tum ob consuetudinem contrariam tum ob dispensationes semper concedi solitas, interrogat, quid sibi faciendum sit?

b) In vigilia festi Assumptionis B. V. M. Paulus iter ingreditur Vindobonam, postquam parce ientaverat. Advenit illuc tempore prandii et nescit, utrum teneatur ieiunare an possit edere carnem aut saltem uti sagimine prouti apud Germanos in usu est.

Solutio.

39. a) Si Romae es, romano more vivito; hoc adagium, et si pro incolis septentrionis aliquando durum, observari debet, attamen non in hoc sensu ac si leges particulares romanae a quolibet peregrino observandae essent, sed ideo, quia lex, qualitatem ciborum diebus ieiunii quadragesimalis determinans, ad communes leges perinet, propterea, ubi dispensatione laxata non est, ab omnibus catholicis in hoc territorio degentibus observari debet; peregrini non gaudent privilegiis patriae suae, nisi dispensationem personalem habeant.

40. b) Peregrinus potest uti privilegiis loci; quia in vigilia Assumptionis B. V. M. in provinciis germanicis dispensatum est in lege qualitatis, ideo potest Paulus adiungere se incolis loci et carnem sumere. Idem valet, si ageretur de usu solius condimenti suini diebus ieiunii, quod Vindobonae permissum est.

ADIMPLETIO LEGIS. (20)

a) Cornelius scit, patrem olim voto se obstrinxisse largiendi 20 cor. pro ecclesia aedificanda, nunc vero bibulum voti immemorem esse. Ipse devotus dat pro patre 20 cor., ne conscientia paterna peccato oneretur. An voto satisfactum sit?

b) Rosalia nova veste obtenta in ecclesiam pergit, in loco patente se sistit, ut ab omnibus videatur; intra auditionem sacri turpia disideria fovet. Frater eius Romanus, discipulus, pergit quidem in ecclesiam ad missam audiendam, sed timore ductus, ne a magistro increpetur. Quaeritur, an isti satisfecerint legi ecclesiasticae?

c) Adolphus iussus a confessario pro poenitentia duo sacra audire et rosarium recitare, dextere obligationi satisfacit, audiens duo sacra a sacerdotibus simul celebrantibus et interea rosarium recitans.

Solutio.

41. a) Ut obligationi reali satisfiat, sufficit, si a quocumque res praestatur; ideo voto paterno satisfactum est; ut autem conscientia paterna tranquilla reddatur, debet filius solutionem pecuniae patri notificare, ne hic obligatum se sentiat.

42. b) Rosalia venialiter peccaminoso motivo ad ecclesiam ducta est, nihilominus satisfecit legi ecclesiasticae, fecit enim quod lex praecipit. Per se patet, eam propter turpia desideria graviter peccavisse, attamen etiam hoc peccatum non obstat, quominus praecepto Ecclesiae satisfecerit; ratio est, quia peccatum hoc substantiam operis praecepti non corrumpit: Rosalia missam simpliciter audivit.

Romanus melius egisset, si ecclesiam adiisset ductus persuasione, se utpote catholicum Ecclesiae, matris suae, voluntatem exsequi debere; attamen praecepto ecclesiastico utcumque satisfecit; quia metus non tollit voluntarium, ideo auditio sacri est ab eo volita, etsi ex alio motivo. Peccaret malo affectu, si expresse diceret, se nolle audire missam et solummodo coactum id facere.

43. c) Adolphus non satisfecit mandato confessarii, nam sensu theologico et usitato duo sacra audire ille dicitur, qui assistit duabus missis successive sese excipientibus. Omnino licite tempore missae rosarium pro poenitentia recitavit, etenim id cum auditione missae omnino consociabile est.

ADIMPLETIO LEGIS. (21)

a) Janina, discipula cuiusdam pensionis, obligata ad recitandum rosarium ex sacramentali poenitentia et ex voto, offert pro utraque obligatione illud, quod vi statuti domestici recitare debet.

b) Veronica, cum rosarium B. V. M. ex voto die sabbati recitare deberet, recitavit quidem unum sed ex devotione tantum, aliud subinde ad implendam obligationem recitatura, quod tamen neglexit.

Solutio.

44. a) Janina nimis compendiose suas obligationes adimplere vult; obligata erat ad tria rosaria recitanda; etenim confessarius, nisi expresse aliter dixerit, de rosario distincto cogitabat; deinde voti obligatio omnino diversum fontem habet, ac obligatio fluens ex ordine domestico servando.

45. b) Veronica, cum ipsa voto obligationem sibi imposuerit, ipsa quoque decedit, an opus aliquod huic obligationi satisfaciat. In casu narrato habuit explicitam intentionem non satisfaciendi, ergo non satisfecit. Secus si sermo esset de obligatione imposita a superiore aut lege, nam cum in hoc casu eiusmodi intentio in satisfactionem non influat, sufficit, si opus praescriptum ponitur.

ADIMPLETIO LEGIS. (22)

a) Hedvigis initio quadragesimae, quando paschalis confessio et communio in parochia iam incepta erat, confessionem sacramentalem deposuit et ad s. synaxim accessit. Nihilominus interrogata a parochio, num praecepto Ecclesiae satisfecerit, respondet negative; ita iudicat, quia absque »schedula« confessa est.

b) Ruri degens Petrus carnem habere potest tantum feria V. et VI., cibis vero esurialibus ex necessitate contentus esse debet sabbato et die dominica. In his adiunctis dicit, perinde esse, quo die ieiunet et feria VI. carnem comedit. An licite?

Solutio.

46. a) Omnino quieta de sua obligatione debet esse Hedvigis, etenim etsi immemor praecepti Ecclesiae fecit id, quod praeceptum est; id valet, etiamsi explicite intentionem haberet non satisfaciendi praecepto hac confessione. Consuetudo, qua fideles schedulas dant ut testimonia peractae confessionis, non habet talem valorem, ut absque eadem peracta confessio et communio pro paschali haberi non posset.

47. b) Lex observanda est tempore determinato. Secluis casibus gravibus, in quibus excusaretur Petrus a lege ecclesiastica, non licet ei abstinentiam e feria VI. in diem dominicam

transferre; neque parochus talem licentiam stabilem dare posset; id enim excederet eius potestatem.

IMPEDIMENTA IN LEGIS ADIMPLETIONE. (23)

a) Henricus confitetur, se pluries missam omisisse propter iter, quod die dominica perficiebat. Quaeritur, an compendiosa hac facti expositione confessarius contentus esse possit?

b) Rustici in Americam sabbato vespere emigrare volunt petuntque a parochio benedictionem pro itinerantibus. Parochus annuit; an recte?

c) Paulus expectat hospites, qui circa horam 10. curru ferreo adventuri sunt et praevidet, se continuo eisdem occupatum iri. Quia hora 11. missam audire consuevit, putat, se hac die a sacro ob occupationes excusatum esse. Posset quidem mane missam audire, sed haec celebratur iam hora 6., quae ei nimis inconuenies videtur ob somni subtractionem. Quaeritur, an ab omni peccato immunis sit?

Solutio.

48. a) Minime; confessarius debet inquirere, num Henricus sine gravi incommodo iter suum differre potuerit et, nisi ex circumstantiis constet, quandonam iter ingressus sit. Etenim si absque incommodo iter differre potuit illudque nihilominus ingressus est die dominica aut sabbato vespere, apposuit sine necessitate causam legis impletionem proxime impredientem et proinde peccavit omittendo sacrum. Secus si iustam causam habuit iter incipiendi etiam tempore, quo obligatio urgebat, i. e. die dominica.

49. b) Quia sabbato longum iter incipiunt rustici, facile est praevidere, eos die dominica impeditum iri in missa audienda. Propterea parochus debet denegare benedictionem et urgere, ut saltem die dominica post meridiem iter ingrediantur; id valet, nisi constet, peregrinantes premi termino, quo navem ascendere debeant. Feria VI. imo secundum multos theologos sabbato, mane in omni casu omnino licite possunt iter incipere; quia durum esset pro fidelibus exigere ab eis, ut gravia sua negotia componant secundum legem ecclesiasticam in materia, quae saepe urget.

50. c) Qui praevidet impedimentum in observanda lege tempore consueto, debet praevenire, i. e. legi satisfacere prius, tempore opportuno; propterea Paulus, si non potuit 12. hora missam audire, tenebatur hora 6. obligationi christianae satisfacere. Subtractio somni, in hoc casu non notabilis, non excusat a peccati labe; qui enim tenetur ad finem, tenetur quoque ad media necessaria, quae cum magno incommodo coniuncta non sunt.

LEX IRRITANS. (24)

a) Gasparus confitetur, se cum uxoris suae sorore rem turpem ante matrimonium habuisse. Cum confessarius ei declaraverit, ipsius matrimonium ob imperimentum affinitatis esse nullum, excusat se ignorantia.

b) Thomae testamento coram duobus testibus condito designatum est vas pretiosum a Boleslao. Cum ecce post mortem testatoris haeres vas istud a Thoma reclamat, defectum formae legalis opponens. An Thomas teneatur istud vas reddere?

Solutio.

51. a) Leges, statuentes impedimenta matrimonialia, pertinent ad leges pure irritativas seu propter bonum commune irritantes. Ordo publicus expostulat, ut actus maioris momenti, qui influxum in vitam publicam exercent, in determinata forma et sub debitis adiunctis perficiantur; quae si desunt, actus fiunt invalidi ita, ut neque ignorantia neque metus opponi possit, ut eorum valor sustentetur. Huc spectant contractus, matrimonia, provisio beneficiorum. Propterea ignorantia excusat Gasparum a culpa, quod matrimonium invalidum contraxit et in eo vixit, non vero efficit, ut validum sit. Quia lex statuens impedimenta matrimonii est ipso facto irritans, ideo iam ab initio ante omnem sententiam matrimonium irritum erat et poenitenti iniungendum est, ut a copula carnali absterneatur, donec convalidatio matrimonii peracta sit.

52. b) Ad valorem testamenti secundum cod. austr. requiruntur tres testes; ideo Boleslai testamentaria dispositio omnino invalida erat; ordo enim publicus expostulat quasdam cautelas

in translatione domini. Si igitur iudex testamentum irritabit, Thomas non poterit vas istud retinere; neque excusabit eum ignorantia aut indubia voluntas Boleslai, nam ratio ordinis publici praevalet. Attamen ante iudicis sententiam non tenetur vas reddere, quia dispositio Boleslai naturaliter valida est.

LEX FUNDATA IN PRAESUMPTIONE. (25)

a) Adalbertus, pastor ovium, dum diligenter gregi invigilaret, inadvertenter somno consopitur. Extemplo in vicina praedia grex totus dilabatur et damna infert. Citatur ad iudicem et ab eo ad damna reparanda et mulctam solvendam cogitur. Adalbertus tamen, iudicans, iniquam esse hanc sententiam, compensat sibi ex bonis vicini. (Gury, Cas. consc. n. 105).

b) Dum Vincentii equi in pabulo pascerentur, Franciscus in fugam eos coniecit, quo factum est, ut damna intulerint. Damnificatus accusat Vincentium, ut equorum proprietarium, qui ad damna resarcienda condemnatur. Quaeritur, an in conscientia ad id obligatus sit?

c) Philippus a iudice damnatus est ad solvendum debitum, cui iam satisfecerat, sed nullo documento solutionem iuridice probare potuit; maxime contristatus quaerit, an in conscientia iudicis sententiae parere debeat?

Solutio.

53. a) Adalbertus iniuste agit, dum occulte se compensat. Etsi enim absque sua culpa grex damnum intulerit, tamen verum est, a suo grege sub sua vigilantia damnum illatum esse. Iudex videns factum, praesumit culpam, ob quam eum damnat, tum ut diligentior reddatur in grege custodiendo, tum quia in foro externo vix aliquando demonstrari potest defectus culpae theologicae. Sententia iudicis fundata in praesumptione culpae facto subsistente obligat in conscientia.

54. b) Vincentius omnino iniuste damnatus est ad damna compensanda, quia in casu allato nullus datur locus praesumptionis, est enim certum, quisnam in damno inferendo culpabilis sit: damnum adscribendum est Francisco et hic illud reparare debet.

55. c) Sententia condemnans Philippum ad denuo solvendum, omnino iniusta est; iudex enim falso supponit factum, i. e. debitum non esse solutum; sententia iudicis fundata in praesumptione facti hoc non subsistente, non obligat in conscientia.

PRAESUMPTIO. (26)

a) Nicolaus, sacerdos, absque facultate legit librum impium et haereticum; id sibi licitum esse iudicat tum propterea, quia bono fine ducitur, scilicet ad eum confutandum, et deinde quia moraliter certus est, nullum perversionis periculum ex huiusmodi lectione sibi imminere. An recte agat?

b) Gregorio severissime vetuit confessarius domum vicinam visitare ob periculum proximum, quod ei a conversatione cum puella ibidem habitante imminet. Cum puella habitationem mutaverit eiusque locum amicus Gregorii occupaverit, haeret anceps Gregorius, an ei liceat domum ingredi?

Solutio.

56. a) Solummodo in casu necessitatis, quae ita urgeret, ut aditus ad R. Pontificem vel episcopum Nicolao non pateret, liceret ei proprio Marte librum haereticum legere. In ordinario rerum cursu id ei non licet, quoniam cessante fine in casu particulari, nondum eo ipso lex cessat. Ratio est, quia lex lata est propter causas communiter contingentes, iam vero ex lectione librorum haereticorum periculum perversionis communiter fluit, ideo lex non amittit suam vim obligatoriam. Insuper finis legis est remove hallucinationis periculum, quod immineret, si cuique privato fas esset iudicare de periculo.

57. b) Quoad Gregorium adaequate cessavit causa motiva seu finis praecepti impositi, ideo cum tranquilla conscientia potest domum ingredi et cum amico honeste conversari.

DISPENSATIO. (27)

a) Florianus iuramento se obligavit erga Miecislaum reddendi tempore statuto 60 cor., quas titulo mutui ei debebat.

Cum de dispensatione aliquid audivit, petit a parochus, ut cum eo dispensetur in iuramento adimplendo et debito reddendo. Quaeritur, an dispensatio possibilis sit?

b) Boleslaus, parochus, delegat cooperatorem, ut cum fidelibus in lege ieiunii dispenset; imo quia ipse quodam die cum eo excursionem in viciniam facere vult et aliquem parochianum dispensationem petiturum praevidet, committit coquae suae munus communicandi dispensationem viva voce.

c) Idem Boleslaus Romam peregrinationem cum parochianis instituit; ieiuniis romanis pressi parochiani, petunt ab eo dispensationem ad lac sumendum; quaeritur, an parochus hanc dispensationem concedere possit?

Solutio.

58. a) Neque eiusmodi iuramentum neque obligationem solvendi debita aliquis dispensatione relaxare potest; ratio est, quia officium reddendi imponit lex naturalis, quae natura sua indispensabilis est; iuramentum utpote accessorium sequitur principale, proinde etiam nequit relaxari.

59. b) Parochus habet facultatem quasi ordinariam dispensandi cum subditis super lege ieiunii in casu particulari. Haec potestas aequiparatur ordinariae; ideo Boleslaus et licite et valide cooperatorem suum subdelegare potuit. Minime tamen eandem potestatem mulieri aut laico tribuere licitum ei erat; lex enim canonica in genere vetat iurisdictionem ecclesiasticam mulieribus communicare. In casu narrato parochus non illicite egit, etenim coquae commisit tantum officium communicandi dispensationem concessam, ipse vero, non illa, dispensationem dedit.

60. c) Boleslaus ubique terrarum est parochus suorum parochianorum, propterea ubique iurisdictione erga eos pollet et dispensare cum eis potest, modo rationabilis causa adsit.

DISPENSATIO. (28)

a) Cum ab episcopo omnibus confessariis in actu confessionis sacramentalis facultas concessa sit largiendi poenitentibus dispensationes in lege ieiunii, Carolus, sacerdos, nescit, an possit

dispensare cum fidelibus ex aliena dioecesi coram eo sacramentaliter confitentibus?


b) Georgius petit a Congregatione s. Poenitentiariae pro foro interno dispensationem super voto castitatis, quod Angela emisit. Obtinuit eam, ast sub conditione, ut quolibet mense sacramentalem confessionem perageret et poenitentiae opera perpetua faceret. Cum durae istae conditiones sacerdoti viderentur, mutato nomine Angelae in Agnetem libellum supplicem ad episcopum direxit, qui potestate extraordinaria gaudens, conditiones mitiores una cum dispensatione dedit. Quaeritur, an possit sacerdos hanc posteriorem dispensationem fulminare?

Solutio.

61. a) In iis causis iuris communis, quae strictam subiectionem exigunt, ut matrimonii impedimenta, potest episcopus solummodo cum subditis (i. e. qui saltem quasi domicilium in dioecesi habent) dispensare; in iis autem, quae strictam subiectionem non exigunt, ut vota, ieiunium, iuramenta, potest episcopus dispensare cum peregrinis pro foro externo ad tempus commorationis in dioecesi, pro foro interno illimitate. Qui ab episcopo potestatem delegatam habet, nisi expresse aliud statuatur, in eadem extensione eam obtinet ac episcopo competit; ideo licet delegato confessario cum peregrinis i. e. fidelibus ex aliena dioecesi in foro interno dispensare in lege ieiunii. Eodem modo intellegenda est potestas parochorum in peregrinos quoad ieiunia et opera servilia.

Carolus potest super ieiunio dispensare et valide et licite in confessione sacramentali cum omni, qui dispensatione dignus est.

62. b) Circumstantia repulsae datae a superiore primario non est necessario exprimenda in libello supplici, nam per repulsam nondum restringitur potestas superioris secundarii. Ex eo patet, Georgium licite fulminare posse dispensationem ab episcopo obtentam. Obiicitur: Si episcopus scivisset hanc circumstantiam, forte non dispensasset. Respondemus: episcopus dispensat non ideo, quia aliquis repulsam passus est vel non, sed ob rationes in libello supplici allegatas, quae secundum eius aestimationem sufficiunt.



DISPENSATIO. (29)

Stanislao, parochus, multi occurrunt casus, quoad dispensationem: itaque a) officialis publicus petit dispensationem, qui nullam aliam habet causam, nisi quod ieiunii incommodum aegre ferat; b) Cornelia, quae de infirma valetudine conqueritur, sed haec ratio parochus suspecta videtur; c) Fabius in confessione dicit, se causas falsas allegasse in petitione super impedimento matrimonii et quidem se parochus dixisse, sponsam esse pauperem viduam et processus iudiciales ei imminere; utrumque autem erat falsum; d) Theodorus, qui etiam in confessione se accusat, quod dubius fuerit de sua infirmitate, utrum tanta fuerit, ut eum ab abstinentia per se excusaverit et nihilominus carnes munducavit, consolans se, quod si parochum rogasset, dispensationem certe obtinuisset.

Quid ad istos casus?

Solutio.

63. a) Si parochus sine iusta causa dispensat, invalide dispensat; est enim superior secundarius et facultatem dispensandi solummodo ex iusta causa concedit ei consuetudo. In lege abstinentiae feriae VI., quae pertinet ad leges communes, solummodo R. Pontifex valide sine iusta causa dispensat. Quare quoad officialem re in se spectata parochus valide non dispensavit et graviter peccavit. Officialem tamen potest facile excusare bona fides; quare si parochus videt, officialem non observaturum praeceptum Ecclesiae, rem dissimulet monendo eum, ut saltem aliquoties ieiunium observet. (Lehmik. Cas. consc. n. 118).

b) Si aliquis in causa ieiunii infirmitatem praetendit, rarissime sacerdos dispensationem abnegare potest. Etsi enim dubitatio, imo suspicio, quoad infirmitatem ei obveniret, nihilominus in dubio de sufficientia causae, licet ei dispensationem concedere, ne scrupuli nascantur.

c) Utraque causa a Fabio allegata est motiva et falsitas tristes sequelas secum ducit. Si sponsa revera habuit magnam summam pecuniae, vgr. in syngraphis locatam, et si cum aliqua probabilitate processus ei non imminebat, dispensatio invalida erat, utpote subreptitia. Confessarius debet convalidationem matrimonii a S. Poenitentiaria petere. Attamen non nimis scrup-

pulose procedat sacerdos: si summa pecuniae non erat magna, ut apud rusticos contingit, aut cum aliqua probabilitate processus imminebat, ita ut dubie sufficientes causae appareant, dispensatio pro valida reputanda est.

d) In rigore principiorum Theodorus peccavit contra legem abstinence. Provocavit nempe ad sic dictam dispensationem praesumptam, quae nullum valorem habuit, quia superior revera non dispensavit, etsi dispositio eius maxime favorabilis fuerit. Si Theodorus nullam decisionem capere potuit, an causa sufficeret ad eximendum eum a lege, debuit ieiunare, quia lex erat in possessione. Si autem aliquam probabilem rationem habuit, qua innixus conscientiam sibi formavit, quod revera ieiunium ei nocere potuit, liber est ab omni peccato.—Theodorum interrogare oportet, quacum conscientia carnem manducaverit: si dubium non resolvit, peccavit graviter; si resolvit pro liceitate, nullius peccati reus apparet. Docendus est, in casibus similibus eum obligari adire superiorem et dispensationem petere.

DISPENSATIO. (30)

a) Ioannes facultatem obtinuit a parcho edendi carnes per totam quadragesimam et quidem ob infirmitatem. Post duas hebdomades sanitate recuperata ieiunare iam incipiebat, dum iterum in alium morbum incidit. Quaerit, num dispensatio adhuc ei faveat?

b) Carolina, puella, a consanguineo suo Francisco prae-gnans evasit. Hic statuit eam in uxorem ducere et petit dispensationem a R. Pontifice allegato gemino motivo, scilicet ut nata proles per subsequens matrimonium legitimaretur et ut maritus sublevare posset matrem Carolinae, viduam annosam. Post elapsam bimestre venit Roma dispensatio cum solita clausula, ut parochus dispenset, si preces veritate nitantur. Quia interim et proles et Carolinae mater obiit, ideo dubium exoritur, an dispensatio valorem habeat?

Solutio.

64. a) Casu, quo Ioannes omnino convaluit et sive per medici testimonium sive ex propria aliquot dierum experientia id

ei innotuit, cessavit dispensatio, cessavit enim causa motiva totaliter. Propterea si ab alio morbo invisitur, alius omnino est casus et ideo alia dispensatio necessaria. Si tamen temporis intervallum inter utrumque morbum magnum non fuit, puta unius vel duorum dierum, censeo, per epikeiam licere dispensationem ad alterum morbum extendere. Nunquam enim sanatio repente fit et exacte assignari non potest tempus cessationis morbi prioris.

65. Congregationes romanae non consueverunt dispensationes immediate largiri, sed facultatem eas concedendi impertiunt cum obligatione rem iterum investigandi, si preces veritate nitantur. Quando ante hanc s. d. fulminationem dispensationis causa motiva cessavit, clarum est, dispensationem omnem valorem amittere et facultatem dispensandi, utpote conditionate datam, conditione non subsistente cessare.

Quid si iam fulminata dispensatione sed re adhuc integra causa cessaverit, prouti in nostro casu, si proles ac vidua ante celebrationem matrimonii obierint? Communior sententia stat pro valore dispensationis in casibus indivisilibus, ut impedimenta matrimonialia, nam in his superior absolute dispensare et legis obligationem extinguere censetur (Noldin I. 164, Elbel I. 457); idem dic vgr. de casu, quo aliquis sponsae ob paupertatem dispensatae immediate ante nuptias magnam pecuniae summam donaret.

III.

DE CONSCIENTIA.

CONSCIENTIA ERRONEA. (31)

a) Catharina, rustica, confitetur: a) saepius ex negligentia omisi recitare praescriptas preces, ad quas obligata sum ratione confraternitatis scapularis B. Virginis Mariae; b) feria VI. saepius cibos lacte vel butyro conditos manducavi, imo c) in aliqua vigilia comedi carnem omnino immemor ieiunii hac die obligantis. Confessarius, datis salutaribus monitis de peccatis vitandis, Catharinam absolvit; an recte?

b) Ioannes confitetur: α) se nocturnas pollutiones pati; β) se omisisse sacrum die dominica ob infirmitatem; γ) se hucusque desideria prava in confessione nunquam explicuisse, cum putaret, eis nullum inesse peccatum; δ) se olim peccasse cum conso-brina et circumstantiam consanguinitatis non addidisse. An confessarius possit eum absolvere?

c) Angela confitetur, se in aliena silva iussu dominae ligna colligere, reputans, se dominae suae absolutam debere subiectionem et obedientiam.

Solutio.

66. a) Primo intuitu videtur Catharina conscientia erronea laborare et proinde peccatorum, quae confitetur, rea esse. Hoc tamen in obligationibus, quae saepe urgent, non tam facile admittere fas est, praesertim si de adultis agitur; ratio est, quod rudes, centies admoniti, officia confraternitatum et similia sub peccato non obligare et feria VI. quemlibet posse lacte uti, centies eadem quasi peccata stereotypice repetunt. In his casibus non adsunt formalia peccata, quia eiusmodi homines, admoniti, veritatem habitualiter sciunt et nolunt agere contra conscientiam, sed erronee suum statum diiudicant. Propterea confessarius debet eos patienter instruere et pro futuro explicite horum peccatorum putativorum

accusationem interdicere.—Si poenitentes ignoti sunt et sacerdos conscientiam vere erroneam suspicatur, interroget eos, num aliquando audierint, haec non obligare sub peccato. Si audierunt, habes specimen imprudentis stereotypici modi peragendae confessionis; si non audierunt, forte ex conscientia erronea peccaverunt. Dixi »forte«, quia rudes saepissime etiam in hoc casu nullius peccati rei sunt; faciunt enim bona fide, quae ceteri homines in similibus conditionibus facere consueverunt, et postea non recte diiudicant suum statum. Ideoque non auderem absolvere rudem, sola eiusmodi peccata ex conscientia invincibiliter erronea accusantem, quia timerem materiae defectum.—Quoad omissum ieiunium vigiliae nullo modo alicuius peccati ex conscientia erronea proficiscentis vestigium apparet. Manducavit Catharina carnem, quia ignoravit esse vigiliam, non propterea ac si malum facere voluerit; ante factum nullum dictamen conscientiae habuit de edenda vel non edenda carne; ideo non peccavit, sed tantum imprudenter aestimat factum manducationis carnis in die vigiliae et idem in confessione exprimit. Ex dictis consequitur, in confessione Catharinae deesse materiam et propterea absolutionem invalidam fuisse.

67. b) Sub α) et β) habemus casus, qui etiam speciem peccatorum ex conscientia invincibiliter erronea prae se ferunt. Si consideramus, omnis peccati essentiam consistere in voluntate nitente contra legem Dei, facile patet, in casibus allatis esse errorem iudicii, non errorem voluntatis seu peccatum. Ioannes non ideo non adivit ecclesiam, ac si sacrum audire noluerit, sed quia adire non potuit. Ita etiam pollutionem nocturnam passus est ex physica lege naturae, non ideo quod eam habere voluerit.— γ) Quoad desideria prava interroget confessarius, utrum aliquando habuerit suspicionem gravis peccati et cogitationem de obligatione inquirendi veritatem. Si affirmat, habes conscientiam vincibiliter erroneam, quae a peccato minime excusat. Quid si negat? S. Alphonsus (I. 9.) non credit homini praetendenti ignorantiam invincibilem circa peccatum internum, quando quis scit, Deum correspondente actu externo offendi. Multi tamen auctores (Elbel I. 127, Lacroix I. 135) talem ignorantiam admittunt, et recte, quia homines rudes generatim magnopere ignavi sunt ad cogitandum, ideo possibile est, quod aliquis revera nunquam huic rei attentionem praebeuit.

2) Quoad peccatum cum consobrina non tenetur illud repetere, ut circumstantiam omissam adiiciat, si tempore, quo illud commisit, nullam suspicionem de eiusdem malitia morali habuit; ex ignorantia enim invincibili commisit peccatum simplicis fornicationis, non incestus.

68. c) Angela instruenda est, Dei auctoritatem, qua furtum vetatur, maiorem esse, quam dominae suae, eamque in futuro tempore eiusmodi iussis obedire non debere. Quoad actus iam patratos, propter conscientiam invincibiliter erroneam non peccavit, imo virtutem obedientiae exercuit. Per se patet, id valere in casu, quando nullum dubium venit ei in mentem de liceitate actionis; si enim addubitavit, nec dubium removit, peccavit.

CONSCIENTIA FALSA. (32)

a) Augustinus rarissime confitetur, quia, ait, nullum peccatum conscientiam eius onerat, imo miratur quidnam mulierculae cum confessariis colloquantur, dum qualibet hebdomade eos molestant.

b) Ceslava confitetur, se pluries die feriali missam non audisse; se scapularibus et aliis pietatis officiis non satisfacisse, se distracte preces fudisse; cum confessarius uberius interrogat, apparet, eam contra matris voluntatem fere cotidie missae assistere et sodali suae ob offensam ante unum annum illatam remittere nolle.

c) Boleslaus detractionis peccato confesso, iussus est a confessario famam reparare; nescit tamen, quid sibi faciendum sit: etenim si de persona laesa aliquid loqui incipiet, ansam dabit magnae exacerbationis contra eam; si nihil dicet, erga confessarium inobediens erit et restitutionem non faciet. Quid facere debet?

Solutio.

69. a) Augustinus praebet exemplar hominis laxae conscientiae; eius putativa impeccabilitas provenit ex negligentia spirituali. Confessarius, si eiusmodi poenitens coram eo se sistit, non sit contentus aliqua generali declaratione status animae, sed sequendo decalogum, praecepta Ecclesiae, peccata capitalia et officia

status, investiget singula peccata; abundans piscatio eum pro defatigatione consolabitur. Doceat eum media ad conscientiam laxam deponendam et rectam ac teneram acquirendam, et quidem ponat ei ante oculos iudicium Dei, tristem sortem impiorum in altera vita, gravitatem obligationis quoad curam suae salutis, dein commendet meditationem de novissimis, ferventem orationem, diligentem conscientiae discussionem ac denique frequentem confessionem.

70. b) Ceslava praebet exemplum conscientiae pharisaicae, excolentis culicem, camelum autem glutientis (Math. 23, 24). Si Ceslava nondum ab aliquo instructa fuit, possibile est, quod bona fide ita obligationes suas concipiebat et ideo confessiones eius possunt esse non sacrilegae; si tamen non obstante admonitione in gravi odio perseveravit, debet confessiones repetere. Doceatur a confessario, sanctitatem veram non consistere in precibus longe fuis, sed in observatione mandatorum Christi, qui charitatem erga proximum reputat pro signo amoris divini et tessera animi christiani; instrui etiam debet de obligatione laborandi secundum suum statum et adjuvandi matrem in labore; arceatur denique a nimis frequenti confessione.

71. c) Boleslaus conscientia perplexa laborat. Obiective loquendo debet abstinere ab inopportuna reparatione famae, ne statum rei peiorem faciat. Quia vero ipse suum casum perplexum resolvere non valet, debet actionem differre et confessarium aut aliquem virum prudentem consulere.

CONSCIENTIA SCRUPULOSA. (33)

Magdalena, olim liberiori vitae indulgens, nunc lacrimis perfusa, neomistam rogat, ut confessionem generalem, quam iam ter ex tota vita deposuit, ab ea ob animi tranquillitatem excipiat; longum catalogum peccatorum nunc conscripsit, quia, ait, aut nunc aut nunquam me salvabo. Addit, quod nunc tentationibus contra castitatem et fidem et caritatem cruciatur atque non raro se consensisse putat, cum (etsi contra voluntatem) aliquod gaudium internum hae cogitationes ei causaverint. Quid confessarius decideret?

Solutio.

72. Frequentissime evenit, quod homines ad meliora conversi circa suas confessiones scrupulis anguntur. Confessarius debet secundum regulas in libris theologicis traditas stricte procedere, quando cognoscit, poenitentem esse a scrupulis visitatum. In casu narrato sacerdos debet primo a Magdalena expostulare, ut dicat, num in suis confessionibus sincera fuerit; si negat, interroget eam, quid eius conscientiam premat. Si quid distincte dicet, procedendum est, prout res expostulat. Si vago modo de suis confessionibus conqueritur, confessionem generalem deponere non permittat, quia etiam quarta vel quinta eam non quietabit. Doceat eam, Deum misericordem nolle perniciem peccatoris; non licere esse ita superbum, ut quis voluerit certitudinem absolutam de sua salute habere; scrupulorum cruciatus esse poenam bene meritam pro peccatis; interdicat inquirere in vita praeterita. Imo potest assecurare poenitentem, se acceptare responsabilitatem coram Deo pro confessionibus anteactis.—Quoad dubia circa consensum in cogitationes peccaminosas, clarum est, ea a scrupulis et phantasia depravata provenire. Ideo si confessarius bonam dispositionem Magdalенаe videt, qua ab omni peccato abhorret, abstineat ab interrogationibus neque permittat dubia explicare sed quietet eam assertionem, se eam absolvere a peccatis prouti commissa sunt, pro futuro autem tempore utatur poenitens privilegio scrupulosorum: i. e. non instituat rigorosum examen conscientiae quoad peccata cordis et confiteatur ea tunc tantum, quando iurare poterit, se consensisse; id eveniet ordinarie tunc, quando a via recta recedens peccata externa patrabit. Sciant neomistae, scrupulosas feminas maxima dexteritate pollere in emendicanda confessione generali, propterea confidant sacerdotibus expertis ac saepius iam cruciatis et procedant secundum regulas in theologia morali passim expositas.

CONSCIENTIA DUBIA. (34)

Sophia variis laborat dubiis, quorum solutionem a confessario petit: a) promisit rosarium recitare in honorem B. Virginis Mariae, sed ignorat, utrum verum votum an merum propositum

emiserit; b) ieiunia vovit peragenda, sed nescit, an sex vel octo voverit; c) cum quondam ante primam communionem catechista de temperantia et alcoholi tristibus effectibus pulchre locutus sit, recordatur, quod magnopere commota quasdam promissiones Deo fecit; nunc dubitat, an forte votum emiserit.

Solutio.

73. Si agitur de dubiis sensu stricto, possumus in casibus allatis provocare ad adagium: »non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet«, vel »in obscuris quod minimum est tenendum«. Propterea in casu a) praesumendum est, eam merum propositum elicuisse; in casu b) eam ad sex ieiunia se obligasse. In casu c) dubium versatur circa existentiam voti; potest hic applicari principium: »in dubio factum non praesumitur.«— Quid si certa esset, se sub ductu catechistae cum aliis discipulis voti formulam pronuntiasse et nunc dubitaret, an sufficientem usum rationis habuisset? In hoc casu praesumptio staret pro valore actus. Id valet in casu dubii stricti, quando nempe adsunt rationes graves pro sufficienti deliberatione et contra eam. Nam si ex validis rationibus et variis indiciis persuasio aliqua conciperetur, sufficientem animae discretionem defuisse, votum reputandum esset pro nullo. In vita practica raro aderit casus dubii sensu stricto, sed cum aliquo affectu indulgentiae opinamur, puellam eiusmodi votum firmum non emisisse (probabilismus implicitus).

CONSCIENTIA DUBIA. (35)

a) Cum Joannes die quodam communicaturus esset, exiguum sacchari frustulum inadvertenter ad os admovit; sed statim advertens, quam citissime expuit, quidquid in ore habuit; dubius tamen an aliquid sacchari deglutierit, quaerit nunc, an ad sacram synaxim accedere possit?

b) Idem alia vice communicaturus, noctu expergefactus febrim et sitim sentit; nescit utrum hora 12. iam sonuerit, aspicit horologium: id ab hora 9. stat; aspicit astra et lunam: haec nihil ad eum loquuntur; haeret suspensus. Quaeritur, an liceat ei poculum aquae sumere ac dein ad sacram communionem accedere?

Solutio.

74. a) A sacra communione arcentur, qui non sunt ieiuni, atqui si dubium est, an aliquis ieiunus sit, nondum arcetur, donec cum certitudine morali impediatur (Alph. I. 38.). Quoniam Joannes non potest cum certitudine dicere, num deglutierit quid sacchari, ad sacram communionem accedat.

75. b) Idem dicendum ac in casu praecedenti: illicitum erat Joanni bibere aquam et in proposito communicandi permanere, si certo scivit, mediam noctem iam effluxisse; donec id cum certitudine morali non constat, vincit eius libertas.—Per se patet, id valere in casu dubii positivi, i. e. quando quis certis indiciis innixus serio aestimat, esse tempus circa mediam noctem. Si enim dubium esset negativum, i. e. si tantum magnopere inutilis ratio suaderet, nondum esse mediam noctem, item si expergefactus horam omnino ignoraret, tunc nullum fundamentum haberet ad opinandum, horam 12. nondum sonuisse et proinde de nulla probabilitate sermo institui posset.

Joannes in casu narrato videtur non habuisse dubium sed horam omnino ignorasse, ideo abstineat aut ab aqua aut a s. synaxi.

CONSCIENTIA PROBABILIS. (36)

a) Tres sacerdotes excursionem faciunt; versus mediam noctem diversorium aliquod ingrediuntur; fame pressi libenter aliquid comederent, attamen timent, ne, cras celebraturi, »horam canonicam« violent. Quilibet suum habet horologium, sed omnia tria discrepant. Disputant et praevalet opinio, licitum esse sequi istud horologium, quod 5 minuta ante 12. horam monstrat, etsi alia mediam noctem indicant. An recte iudicant?

b) Gasparus, parochus, obtento beneficio, citat obstetrices easque examinat, quomodo baptismum in casu necessitatis conferant. Una muliercula incerte loquitur et varia dat responsa, aliquando formulam magnopere mutilat, omittens mox verbum «baptiso», mox unam alteramve personam ss. Trinitatis. Interrogat parochus, an ita aliquando baptisaverit; affirmative respondet. Magnopere perturbatur Gasparus, etenim adstans coopera-

tor et aedituus testantur, anteactum parochum nunquam sub conditione iterasse baptismata ab obstetricibus collata. Quid facere debeat?

Solutio.

76. a) Ob discrepantiam horologiorum nulla est certitudo de vera hora; singula horologia, modo aperte non fallant, valorem opinionis probabilis habent. Sequendo probabilismi principia, potest formari sequens dictamen conscientiae: certam horam non habemus, vera et solida ratio est (unum horologium), nondum effluxisse horam 12., ergo per hoc dubia est lex, quae nos vetat abstinere a cibo, atqui lex dubia non obligat, ergo licet manducare. Vice versa, si ageretur de aliqua favorabili materia, vgr. an dies ieiunii effluxerit, liceret sequi horologium, quod maxime properat. In utroque casu versamur in incertitudine circa horam veram et nullum horologium maius ius habet, ut eius hora ceteris praeferatur; ideo vincit libertas.

77. b) Si in administratione omnis sacramenti certitudo de eius valore requiritur, id praesertim valet de baptismo, qui est ianua omnium sacramentorum; propterea non licet uti probabilitate, si agitur de eius valore. Mutationes, quibus mulier formam corrumpit, sunt essentielles, ita ut certe sacramentum redant nullum. Incertum vero est, num mulier his verbis corruptis usa sit, imo cum maxima probabilitate affirmative respondere nobis videtur; quia hic agitur de valore sacramenti, non licet sequi opinionem probabilem et propterea Gasparus debet omnes homines, ab hac femina baptisatos, denuo conditionate baptisare.

USUS PROBABILISMI (37)

a) Lucas, haeres, admittit ut validum testamentum in sui favorem conditum, quamvis scit, unum testium annum 18. nondum complevisse. Alia autem die postulat et obtinet irritationem alterius testamenti ob eandem rationem informis in favorem Mathiae conditi, ut ipse ab intestato totam hereditatem capiat. (Cf. Gury, Cas. consc. n. 75. sq.).

b) Augustinus, audita hora mediae noctis feriae VI., manducat carnes, quia vi probabilitatis, quam parit horologium iam

sabbatum advenit. Sed mox audit ab aliquo, horologium istud probabiliter 10 minutis properare; quia manducatio non diu duravit, ideo huic sententiae se conformat et ad sacram synaxim accedit. An licite?

c) Sigismundus, haeres ex testamento carente aliqua formalitate, retinet haereditatem ex opinione probabili, quam tenent theologi, quod in conscientia valeat testamentum sola forma legali destitutum; sed mutata sententia, recusat solvere quaedam legata in ipso inclusa. An recte?

Solutio.

78. a) Contractus, quibus testamentum adnumeratur, forma legali carentes secundum probabilem theologorum opinionem valent in conscientia donec a iudice rescindantur. Ad formam essentialem testamenti pertinet, ut adsint tres testes aetate 18. annum excedentes. Lucas potuit uti opinione probabili de valore testamenti prioris utpote sibi favorabilis, sed etiam licebat ei impugnare aliud testamentum et defectum formae obiicere, tenendo illud pro invalido. Ratio est, quia utitur oppositis opinionibus probabilibus in causa specificè quidem una (in utraque enim casu agitur de testamento), attamen in causa numerice alia (quia varia sunt testamenta). Utendo in priori testamento opinione probabili, nondum eo ipso resignavit iuri, quod cuilibet competit, postulandi iuridicam rescissionem testamenti.

79. b) Si certum esset, horologium, quo in priori casu Augustinus utebatur, properasse, omnino licitum ei erat ad s. communionem accedere; haberetur enim obiectiva veritas, coram qua omnis probabilitas cedit; seu esset certum, Augustinum omnino erravisse circa tempus et ex errore feria VI. carnem manducavisse, propterea potuit sabbato communicare.—Omnino aliud tenendum est, si de altero horologio non esset certus, an accurate horam indicet. Tunc duae adessent opiniones probabiles quoad horam mediae noctis et, sequendo mox unam mox alteram, certe una lex violaretur; agitur enim de causa numerice eadem seu de eadem media nocte.

80. c) Omnino clarum est, non licere Sigismundo oppositas tenere opiniones circa idem testamentum, etenim contradiceret sibi.

IV.

DE PECCATIS.

ADVERTENTIA AD PECCATUM. (38)

a) Eduardus, discipulus, sclopetum avunculi, hoc absente, manibus volvit; ab Augusto, fratre suo, admonitus, ut haec periculosa arma non tangat, non obtemperat et ecce! cum in triumpho exclamare voluit, se constructionem armorum explorasse, sclopetus explodit et Augustum vulnerat. Quaeritur, an haec vulneratio Eduardo imputanda sit?

b) Sigismundus sacrum omisit, quia vespere praecedente chartis ludebat et somno deditus sero expergefactus est. Potestne Sigismundus provocare ad adagium: qui dormit non peccat?

Solutio.

81. a) Cum clarum sit, Eduardum fratrem suum vulnerare noluisse et infortunium ex inadvertentia provenisse, solutio casus dependet ab eo, quomodo inadvertentia Eduardi imputanda sit. Certum est, non sufficere ad peccatum inadvertentiam interpretativam, quando quis potuit et debuit advertere, sed non advertit; certum quoque est, sufficere advertentiam (virtualem) in causa, qua quis adverterit ad periculum et admittit causam (seu ponit actionem), ex qua malum sequitur. Eduardus nullo modo praetendere potest advertentiam tantum interpretativam; ratio est, quia a fratre suo de periculosa occupatione admonitus fuit, itaque certe venit ei in mentem saltem dubitatio vel suspicio inopinatae explosionis et alicuius mali in confuso. Talis autem advertentia ad peccatum formale sufficit, neque necessaria est distincta cognitio mali futuri.

82. b) Sigismundus ludens chartis aut praevidebat, se suo somno impeditum iri in sacro audiendo aut non praevidebat. Si praevidebat et nulla media adhibuit, ut recto tempore surgeret, nihil deest eorum, quae ad peccatum requiruntur: advertentia

indirecta, consensus voluntatis. Si praevidebat periculum imminens et media adhibuit, quae eum fefellerunt, non peccavit, quia omissio missae involuntaria erat. Idem dic, si diuturniorem somnum non praevidebat; attamen non facile praebenda est fides asserenti, se non praevidisse, quod hora consueta non surget.

CONSENSUS VOLUNTATIS. (39)

a) Paulus confitetur, se his cogitationibus impudicis infestatum esse; interrogatus, an consensum praestiterit, respondet, se his phantasmatis sat diu occupatum imo et commotum esse et demum post aliquot monenta, quasi expergefactum, advertisse, se male agere et ad orationem confugisse.

b) Altera vice optimam occasionem habuit turpiter peccandi et diu perpendebat rationes pro et contra; haesitans iam vestes induebat cum animo egrediendi domo, fine patrandi actum, sed denique a cogitatione peccandi recessit.

c) Sophia, quando cum aliis operariis segetes colligebat, audivit plura turpia dicteria, quibus carnaliter commota est.

Quaeritur, an et quae peccata in his casibus commissa sint?

Solutio.

83. a) Peccatum grave absque pleno voluntatis consensu concipi nequit; in casu narrato adest quidem advertentia ad obiectum actus, intellege phantasma turpe, attamen deest voluntatis consensus saltem plenus ideoque a gravi peccato Paulus certe immunis dici debet. Non refert, quod satis diu mens eius occupata fuerit, nam phantasma sat diu durare imo etiam carnem commovere potest, quin plenus accedat voluntatis consensus (Lehmke. Cas. consc. n. 31 et 137).

84. b) Etiam in hoc casu puto, Paulum graviter non peccasse; si enim ad mortale peccatum plenus consensus voluntatis absolute requiritur, hic plenus non adest in casu narrato: animus Pauli a tentatione agitabatur, ut folium a vento autumnali, forte iam inclinabatur voluntas ad malum, tamen consensus Pauli nequit dici perfectus etiam in hoc momento, quando vestes induebat, nam non aliqua causa externa sed interna in mu-

tationem sententiae influxit et proinde Paulus mortaliter nondum peccavit.

85. Interroganda est Sophia, num commotioni consenserit; si negat, omnino a peccato immunis dicenda est, ob defectum consensus; solummodo pro futuro tempore iniungendae sunt ei cautelae, quibus periculum peccandi removeatur.

DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM. (40)

a) Claudius, a confessario saepius frustra admonitus de restitutione facienda, voto se obstrinxit ad obligationem hanc intra mensem adimplendam. Neque votum infirmam eius voluntatem corroboravit. Confitens sua peccata, dicit simpliciter, se restitutionem non fecisse; an sufficiat talis confessio?

b) Ioannes, paterfamilias, disponit sabbato vespere, quisnam ex domesticis die dominica missam auditurus sit; Petrus, filius eius, loco ecclesiae collegas visitat, quod patrem ad gravem iram commovit. Seria admonitione praemissa, pro sequenti die dominica absolute ei mandat missam audire. Petrus et hoc patris mandatum vilipendit. Quaeritur, quomodo peccaverit?

c) Cornelius ex nuper audita concione didicit, tactus turpes cum consanguineis specialem malitiam induere; inquietus, accedit ad confessarium et ab eo petit, num confessiones suas praeteritas supplere debeat?

Solutio.

86. a) Claudii confessio non est integra, indicavit enim laesionem iustitiae in omissa restitutione, minime vero violationem virtutis religionis ob votum non adimpletum. Non commisit speciale peccatum inobedientiae erga confessarium, etenim sacerdos, imponens restitutionem, fungitur tantum interpretis munere, quo legem naturalem declarat, non autem imponit formale praeceptum.

87. b) Distinguendus est casus prior, in quo paterfamilias dispositiones dedit pro domesticis, quo ordine die festivo missam audirent, a casu posteriore, in quo formale praeceptum Petro impositum est. In priore casu Petrus graviter peccavit ratione violatae legis ecclesiasticae; a mortali autem peccato

inobedientiae erga patrem immunis dicendus est et quidem ideo, quia pater serium et formale praeceptum non dedit. In casu autem ultimo Petrus duplicis peccati reus apparet: tum ob violatam legem ecclesiasticam tum ob inobedientiam erga paternum iussum. In confessione potest seorsim inobedientiam gravem confiteri, neque necessario addenda est materia eiusdem.

88. c) Poenitentes illas tantum circumstantias speciem mutant, quas apprehendunt, in confessione declarare tenentur, quia illarum tantum rei sunt. Etsi obiective peccata Cornelii tactus incestuosi sint, tamen subiective solummodo turpitudine luxuriosa animam maculavit, ideo non est necessarium supplere defectus. (Noldin, I. 285 nota 3; Gury, Cas. consc. n. 42).

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM. (41)

a) Thomas confitetur, quod per duos menses vicinum suum odio persecutus est; quod fere continuo cogitationes luxuriosas fovebat; quod per plures dies fornicandi desiderium sustinebat. Sacerdos, nulla interposita interrogatione, absolvit eum.

b) Ioannes, gravi tentatione contra castitatem impulsus, pravo desiderio interne consentit, peccare proponit, occasionem tota die quaerit, pravum propositum iterat nec unquam revocat, tandem, inventa occasione, praemissis turpiloequiis, tactibus indecentibus, actum externum consummat. Poenitentia ductus sic confitetur: semel fornicationis peccatum commisi. An sufficiat?

Solutio.

89. a) Odium est peccatum mere internum, quod moraliter interrumpitur et multiplicatur sive revocatione sive cessatione voluntaria sive cessatione involuntaria, puta somno, discursu et in genere qualibet occupatione; tot igitur sunt peccata, quoties voluntas post interruptionem revertitur. Confessarius debet poenitentem interrogare, an frequenter de inimico cum odio cogitaverit aut ei malum imprecatus sit. Si id non frequenter fiebat, debet poenitens numerum assignare; si autem respondet, se continuo odium fovisse, abstineat confessarius ab ulteriori interrogatione, quia impossibile est certum numerum interruptionum assignare,

et ex altera parte non est necessarium exactum calculum interruptionum instituere; sufficit confessario generalis et confusa idea, quam concipit ex indicata temporis mora; nam clarum est, tot fuisse interruptiones, quot homines similis conditionis faciunt.

Declaratio poenitentis, quod fere continuo per aliquod tempus cogitationes impudicas fovebat, omnino sufficit, modo tempus, per quod vexabatur, notum sit. Iam per se intellegitur, quod delectationes istae variis occupationibus ordinario modo interrompebantur neque necessarium aut possibile est distinctum numerum eruere.—Ipse poenitens modo, quo desiderii se accusat ostendit, unum fuisse desiderii peccatum, etsi per somnum vel alias occupationes interruptum; quamquam enim desiderium repetebat, tamen explicite illud non retractavit et proinde inter singulos actus physicos aderat »concatenatio et connexio« (Lugo Disp. 16. de poenit. n. 565).

90. b) Ioannes sufficienter suum peccatum confessus est; omnes enim et cogitationes et desideria et actiones praeparatoriae, imo etiam locutiones et tactus erant media partim omnino indifferentia aut saltem quae per se intelleguntur, aut si peccaminosa, tamen in eadem specie ac actus externus; ideo sensu morali unum actum constituunt cum actu externo fornicationis.

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM. (42)

a) Marcellus, tentatione contra castitatem pressus, vespere in plateam exit, turpiloquiis, tactibus impudicis duas puellas infestat, sed neutra consensit; peccatum suum hoc modo confitetur: habui desiderium fornicandi.

b) Adamus librum prohibitum et in Indicem relatum per plures dies legit; peccatum hoc confitetur: legi librum prohibitum. Quaeritur, an talis confessio in utroque casu sufficiat?

Solutio.

91. a) Confessio Marcelli non est sufficienter integra. Certe debuit accusare praeter propositum fornicandi etiam sollicitationes per turpiloquia et tactus impudicos, quia, peccato principali non expleto, isti actus malitiam luxuriae non consumatae invol-

vunt (ita communiter contra Noldin ^s I. 278). Media vero indifferentia, ut deambulationes in plateis, non sunt exprimenda; »quidquid enim mali est in iis actibus, satis expressum est in isto proposito, quod poenitens confitetur« (Ballerini-Palmieri tr. IV. 311; contra s. Alph. II. 42).

Ita etiam manca est confessio ex eo, quod non assignavit, se »duas puellas« sollicitavisse; etsi enim ex eodem impetu passionis utraque sollicitatio provenerit, tamen obiecta earum sunt omnino disparata.

92. b) Qui per plures dies librum legit, plures actus physice distinctos ponit; nihilominus moraliter reputantur isti actus pro uno, etenim coalescunt tum propter intentionem ab initio conceptam legendi totum librum, tum propter obiectum numerice unum, quod per partes actione humana attingitur. Idem dic ac de eo, qui totum acervum tritici furari intendens, per partes id perficit.

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM. (43)

a) Ignatius, anarchista, a militibus invasus sclopetum explosit et tres milites uno ictu occidit. Cum fugam arriperet et a custode publicae securitatis persequeretur, uno ictu eum una cum equo feriit. Ad meliora reversus poenitentia lavat sordes suae conscientiae et confitetur: commisi duo homicidia.

b) Magdalena, impatiens materfamilias, accusat se, quod filiis suis maledicebat. Confessarius anxius interrogat de numero filiorum, quoties uni, quoties pluribus maledixerit; vult numerum exactum peccatorum obtinere. Maxime contristatur, cum nullo modo quid certi a femina extorquere possit. Quaerit, quomodo sibi procedendum sit?

Solutio.

93. a) Celeberrima est controversia inter auctores, quot peccata committantur, si actus, physice unus, plura obiecta distincta habet, prouti in casu narrato, utrum Ignatio pro unica explosione tria an unum peccatum imputandum sit. Si obiecta ista natura sua aut apprehensione agentis unum quid constituunt, unum peccatum commissum esse putant; secus tot

peccata, quot obiecta. Censeo tamen, istam controversiam potius theoreticum quam practicum habere valorem, nam coram Deo et in ordine ad sequelas »sive sint decem peccata odisse decem homines sive unum, habens malitiam et gravitatem decem peccatorum, perinde est; hoc enim unum aequivalet illis decem«. (ita Filliuccius apud Ballerini-Palmieri tr. IV. 248). Si vero agitur de declaratione eiusmodi actus peccaminosi in confessione, omnes auctores iubent in genere pluralitatem obiectorum assignare, vgr. detraxi pluribus (uno sermone) aut detraxi familiae; expostulant vero numerum distinctum, si obiecta erant distincte concepta et intenta; vgr. si Ignatius tres et non plures et non alios interficere intenderit.

Si casum Ignatii consideras, hic determinatus erat omnes milites eum persequentes occidere, ast eos non numeravit, propterea sufficit, si declarat suum peccatum generatim: occidi plures homines; neque ab eo exigendus est numerus determinatus; attamen manca est eius confessio, si dixit tantum: commisi homicidium. Manca quoque est confessio quoad alterum casum, etenim occisio hominis et occisio bestiae cum sint peccata specificè distincta, etiam numerice distinguuntur; occisio enim hominis est homicidium, occisio equi est iniusta damnificatio in bonis fortunae.

94. b) Maledicere uni filio et maledicere pluribus certe inter se differunt, tum si consideratur maledictio formaliter, tum si scandali ratio habetur; proinde stricte loquendo secundum superius dicta deberet mater casus, in quibus uni filio maledixit, distinguere a casibus, in quibus mala pluribus imprecata est. Id tamen moraliter impossibile est. Propterea confessarius ab exacta investigatione omnino absteat, ne poenitentibus scrupulos ingerat et sacrum tribunal misericordiae odiosum reddat.

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM. (44)

a) Carolus α) vastavit agrum, qui ad aliquam associationem pertinebat; β) calumnia affecit monasterium quoddam et γ) abstulit librum pertinentem ad duos discipulos. Quaeritur, quomodo ista peccata numerice pensanda sint?

b) Agatha, cum vicina rixans, ter eam percussit, quattuor ignominiosis conviciis oneravit ac denique exoptavit et pestem pro eius pecudibus et morbum pro ipsa ipsiusque infantibus; in confessione dicit, se cum vicina rixatam esse.

Solutio.

95. a) Associatio reputatur pro persona iuridica, quae domini capax est; etsi singulae personae physicae, ex quibus associatio constituitur, damnum patiantur, tamen omnes iniuriam ut membra unius associationis subeunt, propterea peccatum Caroli reputatur pro uno.

β) Calumnia erga monasterium prolata potest ad ipsa statuta monasterii referri et tunc peccatum non multiplicatur, quia persona moralis iniuria laeditur; aut potest dirigi contra famam membrorum alicuius particularis monasterii, et tunc peccatum est multiplex et circumstantiam pluralitatis obiectorum in confessione addere oportet. In praxi fideles tam exactam distinctionem non comprehendunt, ideo sufficit, si bona fide peccata eo modo confitentur, quo ea apprehendunt.

γ) Ablatio libri, ad duos homines pertinentis, duos iniuria afficit, tamen unum peccatum constituit. Ratio est, quia obiectum furti est unum et haec circumstantia, quod ad duos pertinet, est accidentalis, etenim ambo, utpote compossesores, uniti erant per communem possessionem eiusdem libri in unam personam moralem. Proinde non refert ad distinctionem numericam, ad quot personas res ablata pertineat.

96. b) Confessio Agathae non sufficit, etenim specificam et eo ipso numericam distinctionem peccatorum omnino neglexit. Aliud enim est peccatum rixa, aliud percussio, aliud contumelia et aliud imprecatio mali. Quoad distinctionem numericam plures percussiones, in eadem occasione inflictae, unum peccatum constituunt; plures ignominiae sunt tantum diversa media unius laesionis honoris; exoptando denique pestem pro pecudibus et morbum pro personis, intendebat etiam unum effectum i. e. malum vicinae, ideo singula mala, quae exoptavit, una generali intentione uniuntur.

PECCATA INTERNA. (45)

Gervasius, iuvenis, in pluribus casibus dubitat, an peccaverit: itaque a) cum eius paterfamilias feria VI. porcum mactavit, ipse Gervasius salivam deglutiens saepius animum non contentum manifestat, nam ita cogitat, certe carnem exquisite praeparatam manducarem, si lex ecclesiastica hodie non obstaret; b) cum alio iuvene rixans, elevato pugno »ego tibi monstrarem, ait, si Deum non timerem! c) cum Sophia sermocinans cogitat intra se: peccarem cum ea, si nupta non esset; d) ita quoque alias puellas cernens, complacet sibi in cogitatione: libentissime peccarem cum hac vel illa, si non timerem impraegnationem et paternitatis processum.

Quaeritur, an et quomodo in singulis casibus peccaverit?

Solutio.

97. Conditionatum desiderium peccati tunc est peccaminosum, si conditio non aufert malitiam ab obiecto aut si desiderium includit affectum deliberatum in rem pravam.

a) Desiderium Gervasii non est peccaminosum, quia conditio apposita malitiam ab obiecto aufert; etenim si lex ecclesiastica non obstaret, liceret Gervasio feria VI. carnem porcinam comedere.

b) Locutio haec satis frequens quid significat? Exacerbatus et commotus homo dicit, se tantopere trahi ad vindictam, ut ad nullum respectum humanum attenderet in illa sumenda, solummodo consideratio offensae et poenae divinae eum ab ultione cohibet. Locutio haec est itaque solummodo signum magnopere commoti animi et involvit tantum inclinationem ad ultionem; proinde, per se saltem, non est graviter peccaminosa. Ne dicas, locutionem involvere timorem serviliter servilem, qui cohibet manum a facto externo, non autem animum, etenim verba generalia nondum dant nobis ius ad talem sinistram interpretationem.

c) In hoc casu Gervasius difficilius a peccato excusatur, quia conditio apposita non aufert malitiam ab obiecto; etenim cum ea, etsi non esset nupta, copula carnalis esset pro Gervasio peccaminosa. Si itaque Gervasius actualiter dispositus erat ad peccatum, quod etiam ex commotione carnali cognosci po-

test, ob hunc concupiscentiae actum graviter peccavit; si tamen solummodo obiter ista verba protulit, naturalem dispositionem malam significans, a gravi peccato immunis dicendus est.

d) Non est quidem necessarium, ut aliquis absteineat a peccato formaliter i. e. ideo praecise quia peccatum est, sufficit si ex alio motivo naturali id facit, vgr. ob tristes sequelas naturales. Propterea non peccavit Gervasius ex hoc puncto, quod motivis naturalibus detinebatur a peccato, sed ideo, quia in materia luxuriae vulgo eiusmodi desiderium comitatur comotio carnalis et approbatio peccati in se, nisi verba obiter tantum proferantur. Gervasius interrogandus est, an tali desiderio graviter commotus fuerit; si affirmative respondet, reus est gravis peccati; secus non.

PECCATA INTERNA. (46)

a) Gasparus latifundia et palatium comitis cuiusdam aspiens, exclamat: Vellem haec omnia habere!

b) A vicino suo molestiis plurimis continuo affectus, saepius impatiens repetit: si morte abriperetur, pacem haberem. Cum audierit, eum crus fregisse, Deo gratias, ait, saltem per aliquot dies pacem habebimus.

c) Cum aliquando prandens unum ferculum carnis iam manducasset, aliquis sociorum eum ieiunii attentum reddidit. Doleo, quod me attentum reddidisti, respondet Gasparus, nam bene hodie pranderem; contentus sum quod saltem unum ferculum carnis deglutivi. Quaeritur, an in his casibus peccata adsint?

Solutio.

98. a) Gasparus nullo modo peccavit desiderando bona et palatium; non enim concupivit alterius bona in hoc sensu, ac si vellet ea furari aut malum comiti optaret, sed abstrahendo a modo acquirendi vult bona possidere, id vero est moraliter indifferens.

99. b) Si optaret mortem vicino, ut huic malum eveniret, committeret peccatum odii; Gaspari autem intentio fertur in pacificam vitam, quam vehementer exoptat. Quia pro absoluta con-

ditione pacis mortem vicini reputat, debemus attendere ad ordinem charitatis et quidem in specie ad valorem boni, quod intenditur et mali quod exoptatur. Si ob proprium parvum bonum exoptatur magnum malum proximo, laeditur ordo charitatis. De casu allato possumus dicere: si molestiae, quas patiebatur a vicino, erant graves et continuae, non peccavit Gasparus, si exhausta patientia mortem proximo exoptavit, etenim etiam sibi mortem posset desiderare secundum illud s. Scripturae: *Melior est mors quam vita amara*. (Eccli. 30, 17). Ita quoque non peccavit, quod gaudebat de crure fracto, etenim gestiit non de malo sed de eo, quod hoc malum bonum effectum produxit. Utrumque tamen est magnopere periculosum, ne desiderium mali odium inimicitiae palliet.

100. c) Gervasius nequit excusari a culpa, si serio increpavit socium, quod eum attentum reddidit ad materiale legis transgressionem; ratio est quia increpatio haec continet voluntatem materialiter transgrediendi legem; id autem aliquam malitiam involvit; leges enim ideo feruntur, ut observentur. Peccatum in hoc casu non est grave. Non peccavit gaudio suo de ferculo iam sumto; ratio est, quia gaudium non referebatur ad legis violationem sed ad amoenam refectionem in ignorantia sumtam.

PECCATA INTERNA. (47)

a) Paulus, cum saepius offeratur ei occasio optimae speciei liquores alcoholicos sumendi, moestus dicit: »Poenitet me voti abstinentiae a cremato, quod emisi«.

b) Olim obligavit se ad largam eleemosynam qualibet hebdomade dandam; nunc autem, cum infantes eius adoleverint, votum molestum ei evenit et saepe de hoc onere conqueritur.

c) Cum ebrio homini occurrerit, magnopere ridebat ob pedes eius vacillantes et linguam titubantem. Quaeritur, quomodo in singulis casibus peccaverit?

Solutio.

101. a) Tristitia Pauli a gula genitur et quia refertur ad opus supererogatorium, est tantum venialiter peccaminosa.

102. b) Nihil est, quod in istis querelis peccaminosum sit; contristatur enim de molestia, quacum largitio eleemosynae ei coniuncta est; molestia semper manet amara et natura sua tristitiam parit.

103. c) Aspectus hominis ebrii certe tristitia nos implere debet, si consideramus solam ebrietatem. Quia vero ebrii homines saepe ridiculosos gestus faciunt, non est peccatum gaudere de modo ridiculoso actionis malae.

SUPERBIA. (48).

Petronella confitetur, quod a) sibi complacet in cogitatione ea, quod multis aliis melior est, etenim non furatur et cum aliis pacifice vivit; b) saepe vultum suum in speculo contempletur; c) gloriatur quoque, quod ceteras arte acu pingendi et saltandi superat; d) maxima cum diligentia vestes suas curat, ut aliis formosa appareat. Quomodo peccavit?

Solutio.

104. Petronella in primo casu non statim superbiae arguenda est, etenim complacentia in vitiorum absentia potest esse iusta conscientiae laus et virtutis meritum vel saltem iustum de se ipsa iudicium. Superbia esset, si ex hoc se iusto plus extolleret aut si virtutes suas exaggeraret et se inflaret aut omnem bonam qualitatem sibi, excluso Deo, adscriberet; superbiae enim semper inest mendacium. Sive Petronella superbit sive non, adducat eam sacerdos ad humilitatis exercitium, ut de se demisse sentiat et dependentiam virtuosae vitae a gratia divina saepe meditetur. In casu b) et c) rea apparet vanae gloriae, quod per se venialiter peccaminosum est. In quarto casu ab omni peccato immunis videtur, modo nimis longum tempus curae vestium non impendat; ratio est, quia eiusmodi cogitatio, mulieribus propria, est moraliter indifferens.

Sacerdos de caducitate et vanitate pulchritudinis corporalis et laudis humanae superbienti aliquod verbum dicat, addat de obligatione serviendi Deo in spiritu et veritate; adducat verba Christi (Matth. VI. 6): Tu autem cum oraveris, intra in cubicu-

tum etc., pro poenitentia potest iniungere meditationem de morte, orationem in coemeterio, osculationem terrae.

SUPERBIA. (49)

a) Romualdus, cooperator, nunquam, ne quidem in casu difficillimo, suum parochum aut confratres interrogat, neque libros consulit, quia, dicit, parochus studiis non occupatur, ipsi vero proprium ingenium ad omnia dubia resolvenda sufficit; ita practicat, etsi audiat, confratres in casibus similibus alio modo procedere. Saepe gloriatur, inde a suo adventu parochiam omnino emendatam esse et scholam florere coepisse; cum mensae assidet, inter parochos locum occupat; in arte canendi peritissimus, addit proprias modulationes notis in missali impressis, ut parochum cantu superet.

b) Ambrosius α) propria se regit ratione, quia, ait, praecepta sunt pro stultis, sapientis est suas vias sequi. β) Gloriatur coram amicis, quod inde ab examine maturitatis, i. e. a 10 annis confessus non est; quod bis tantum in anno ecclesiam visitat; quod multas iam seduxit puellas. Quid de istis sentiendum est?

Solutio.

105. a) Status animae Romualdi potest esse graviter peccaminosus, si non tantopere ob solam superbiam, tunc saltem ideo, quod nimis sibi confidit et proinde certo periculo errandi in pluribus casibus se exponit. Miraculosa renovatio parochiae inde ab eius adventu, supposito quod dicta veritate nituntur, est iactantia, per se venialiter peccaminosa; si tamen Romualdus falsa narrat, facile potest offendere parochum ac famam eius, carpere et tunc graviter peccare per accidens. Qui non Dei sed suam quaerit gloriam in cantu, vane procedit et ridiculosum se monstrat, nam cantus ecclesiasticus, nisi serius sit, non placet.

106. b) Ambrosius superbiae perfectae reus apparet, quia non vult subiici praeceptis divinis aut humanis. β) Praeterea gloriatur de talibus, de quibus revera potius erubescere deberet; discursus eiusmodi vulgo involvunt approbationem peccatorum et complacentiam in eisdem, propterea saepissime sunt graviter peccaminosi tum ratione internae complacentiae tum ratione scandali.

Attamen, ut Elbel (I. 613) recte adnotat, aliquando eiusmodi homines non advertunt ad malitiam aut non iactant se de operibus malis, quatenus peccaminosa sunt, sed potius de sua audaci dexteritate, fortitudine et in his casibus, secluso scandalo, abest grave peccatum.

INVIDIA. (50).

a) Henricus, rure diu quiete vivens, convenit aliqua occasione cum suis collegis et videt, quantopere eis inferior sit tum quoad scientiam et socialem situationem, tum quoad morum culturam. Inter suos alienum se sentiens, moestus sodalium societatem relinquit et, domum reversus, mussitans deambulat, imo impatiens maledicit.

b) Profundissimo moerore afficitur, quoties agros visitans, segetes suas et sui vicini comparat.

c) Irascitur maxime, quoties sortem Friderici considerat, quem scit hominem vilissimum et nihilominus videt, eum et valetudine et fortuna gaudere, imo in maledictiones prorumpit, quando hic per favores potentium munus quoddam obtinuit, quod ipse Henricus frustra expetierat. Quaeritur, an in casibus narratis invidia adsit?

Solutio.

107. a) Si Henricus ambitione pressus tristatur de meliore sorte suorum sodalium, qui eum superant ita, ut ipse non sit primus, committit invidiam. Si autem contristatur de »sua penuria quam comparando cum alterius abundantia magis animadvertit« (Laymann tr. III. c. 10), tristitia haec incitare cum debuit ad laborem et progressum et tunc vocaretur aemulatio; si vero eum deprimit et deiectum reddit, tunc est signum pusillanimitatis. Per se patet, maledictiones, utpote signa impatientiae, in hoc casu levia peccata esse. Ut status eius animi cognoscatur, interrogandus est Henricus, utrum ipsius tristitia et indignatio ferreretur contra sodales eorumque superioritatem, an contra suum statum. In priori tantum casu esset peccatum invidiae, in posteriore salubris aemulatio aut venialiter peccaminosa pusillanimitas.

108. b) Tristia haec immunis est a labe invidiae, quia prosperitas proximi praebet ei tantum occasionem cognoscendi miserabilem statum suarum segetum; neque adest in casu allato aemulatio, quoniam non exclusive a labore humano prosperitas dependet, sed est simplex tristitia ob sortem adversam, quae, si limites non transgreditur, non est peccaminosa.

109. c) Si rancor Henrici contra divinam providentiam fertur, quae etiam viles homines beneficiis cumulat, est peccaminosus etiam graviter, si concipitur et sustentatur cum plena advertentia et consensu voluntatis. Quoad commotionem ob munus Friderico collatum, certe peccaminosae sunt eius maledictiones, ipsa vero commotio animi nomine indignationis nuncupatur; refertur enim, ut supponitur, ad claudicantem iustitiam humanam distributivam non ad providentiam divinam. Ipsa tristitia de eo, quod Fridericus, ipso praetermisso, munus obtinuerit, non est peccaminosa, etenim Henricus licite se ipsum prae ceteris diligere et bonum optare potest.

INVIDIA. (51)

a) Franciscus, mercator, tabernam in aliqua platea habuit; negotium ei prospere procedebat usque dum alius mercator officinam iisdem mercibus instructam in eadem platea aperuerit et singulari sua urbanitate eius hospites ad se allexerit. Irascitur Franciscus, quando videt suos hospites ad alium mercatorem gressus dirigere, et millenis diabolis aemulum suum devovet.

b) Amalia excelluit inter suas sorores animi dotibus et praesertim obedientia; propterea a parentibus et laudibus et donis cumulabatur. Cum ecce, duae eius sorores sub influxu magistrae cuiusdam sese emendarunt et plures laudes a parentibus iam meritae sunt. Moerore impletur Amalia et repetit, sibi plus gratum fore, si sorores discolae remanserint. Quaeritur, an in his casibus peccatum invidiae adsit?

Solutio.

110. a) Hospites confluentes ad alium mercatorem efficiunt et imminutionem lucri in mercatura Francisci et eiusdem augmen-

tum apud alium mercatorem. Lacroix (V. 294) quoad eiusmodi casum docet, »non esse invidiam nec peccatum, si quis tristetur de bono alterius in quantum est vere imminutivum propriae excellentiae, quia potest de hac imminutione tristari ergo et de eius causa; sic enim tristatur de bono proximi non per se, sed tantum per accidens prout est malum suum. Doctrina illa in praxi est difficilis, nisi supponatur, motivum doloris et obiectum displicentiae esse solum suum malum«. Praeterea animadvertere oportet, quod invidia ex superbia (et cupiditate) originem ducit (Thom. 2—2, 36, 4) et odium comitem habet, ideo ut exactius cognoscatur in his casibus vera invidia, tristitiae (irae) ultimos fontes quaerere oportet et attendere, num haec odium adnexum habeat. Itaque in nostro casu Franciscus committit peccatum invidiae, si nihil aut parum in sua officina amittit, nam tunc ex superbia aut cupiditate irascitur bonae sorti vicini, qui eum aequat aut superat; maledictiones autem indubia sunt signa odii. Si autem re vera multa amittit, non apparet reus invidiae, non enim superbia ei iram suggerit sed vicinus re vera eum deprimit, quod certe Franciscum gaudio implere non potest; in hoc casu absque dubio remanet reus odii.

111. Amalia committit peccatum contra Spiritum s.; etsi enim moveatur ad tristitiam per subtractionem laudis paternae, tamen tristitia eius refertur ad emendationem sororum, earum profectum spiritualem, in genere ad virtutem et eo ipso ostendit Amalia suum amorem Dei non esse sincerum. Peccatum hoc nuncupatur invidentia fraternae caritatis et reputatur pro peccato contra Spiritum s., quia homo invidet gratiae Dei crescenti in mundo (S. Thom. 2—2, 14, 2, c), gratia vero attribuitur Spiritui Sancto.

AVARITIA. (52).

a) Augustinus, parochus, taxam ordinariam in proventibus stolae servat, quia timet palam eam augere; scit tamen artes augendi proventus: quo quis minus solvit, eo viliora paramenta adhibet et caeremonias, praesertim in funeribus, decurtat; vgr. cantat unum psalmum loco trium in officio defunctorum, cantat aliquando solas Laudes aut solum Nocturnum. Parochia-

ni dedignantur novis ritibus et solvunt plus, ut caeremoniae secundum rituale perficiantur.

b) Vincentius occasione epularum aut nullum nummum (pourboire) famulis dat aut tam parvum, ut ab eis irrideatur; item occasione diei onomasticae aedituis ecclesiasticis ei gratulantibus gratias agit pulcherrimis verbis, quapropter omnes murmurant, cum aliquid ab eo speraverint, ut apud alios parochos in usu est.

c) Idem deridetur quoque propter vestes; quamdiu scissurae eum non cogunt, vestem novam non emit, imo et scissuras continuo refici iubet. Nemo quoque valet extorquere nummum ab eo, quando pecunia pro causis piis colligitur. Ipse non obstantibus verbis ironicis, quibus ei non parcunt vicini, tranquillus est in conscientia, quia, dicit, nemini iniuriam facit. An recte?

Solutio.

112. a) Numerosae sunt artes extorquendi pecuniam a fidelibus et ingeniosi ingenioso modo eas exercent. Abstineo a quaestione, an peccent, qui taxam in proventibus stolae transgrediuntur, et quidem ex hac ratione id facio, quod in nostris regionibus nullae taxae communes dantur; si quid plus ultro offertur, per modum eleemosynae accipitur. Quia tamen in singulis parochiis sunt quaedam normae non strictae, consuetudine introductae, ideo artes extorquendi maiores proventus non iustitiam violant sed avaritiam redolent et per se venialiter peccaminosae sunt, vgr. si quis importune allicit ad caeremonias solemniore, promittit paramenta splendidiora. Si vero sacerdos aliquam partem caeremoniarum omittit, ad quam tenetur ex implicito aut explicito pacto, peccat contra iustitiam; imo etiam graviter delinquere potest, si materia notabilis est. Sciant levitae, populum omne vitium sacerdotis prius oblivioni tradere quam vitium avaritiae.

113. b) En exemplar avari et sordidi hominis! Certe, neque famulis neque aedituis aliquid ex iustitia debetur; sunt tamen consuetudines, quas observare debet, qui hominibus excultis et politis moribus adnumerari vult. Etsi forte Vincentius graviter non peccaverit, tamen sciat, se non possidere pecuniam sed

a pecunia iam esse possessum et habitu sordidae avaritiae immersum, quae certe in multis aliis formis se manifestat.

114. c) Ratione vestium detritarum forte non peccat graviter, etenim supponimus, eum nondum tale scandalum praebere, quo munus eius aut religio risui exponerentur et vilipenderentur. Ne dicas, Sanctos, vgr. s. Alphonsum, vestitum vilipendisse; procedebat hic neglectus e spiritu paupertatis, quo, obliti suarum indigentiarum, heroico modo pauperibus succurrebant; praeterea sanctitate tantopere excelebant, ut hoc neglectu neminem offenderent.

AVARITIA. (53)

a) Adamus, paterfamilias, homo rusticus, augendis divitiis totus intentus est: summo mane surgit, sero nocte lectum petit; initio hunc somni defectum facile perferebat sed aetate crescente vires praepropere debilitas sentit; eodem modo et uxorem et filios minores labore premit; nullam pecuniam eis largitur pro necessario vestitu aut victu, nedum pro oblectamentis. Sororibus suis non permittit matrimonium inire, ut ipse earum partibus potiatur. Operariis conductis strenuissime invigilat, respirium eis denegat et laborem ita ordinare scit, ut quolibet momento maxime premantur. Sub minimo praetextu die dominica et ipse laborat et famulos operari cogit. Quaeritur, quomodo peccaverit?

b) Casimirus, vastorum agrorum possessor, et epulas saepe instituit et vestes pulcherrimas sibi suisque emit et itinera longinqua recreationis gratia suscipit, in quibus habitationes in optimis diversoriis conducit; equos quoque speciosissimos et vecturas splendentes semper habet. Cum agrorum proventus non sufficiant, debita contrahit. Mox tristes sequelae apparent, bona eius in auctione publica venduntur. Quaeritur, quomodo peccaverit?

Solutio.

115. Quis non videt Adamum et cupidum et avarum, sibi et aliis molestum! In quantum in singulis casibus solam liberalitatem laesit, venialiter peccavit, attamen raro haec sola virtus

violatur. Debilitatio virium suarum, si non fuit repentina et notabilis, est tantum venialiter peccaminosa; dura oppressio uxoris et liberorum facilius mortale peccatum evadet, nam tenera eorum valetudo facilius destruitur et pro filiis tristes sequelas pro futuro tempore causat. Peccare quoque potest graviter contra pietatem, si vestes convenientes uxori et filiis denegat, ita ut ab aliis derideantur aut in sanitate notabile damnum patiantur. Neque a mortali immunis dici potest eo, quod sorores in ineundo matrimonio impedit. Operarii tractandi sunt modo humano; locaverunt enim suas operas sub eis conditionibus, quae vulgo intelleguntur aut de quibus expresse pactum est; quoties ergo quis ab eis laborem exigit ultra consuetudinem aut pactum, opprimit operarios et peccat graviter aut leviter pro ratione excessus. Gravitas peccati ob dominicae violationem etiam a laboris qualitate et duratione dependet.

Adamus praeter alia interrogandus est etiam, an ex eius avaritia rixae domi exoriantur, nam id vulgo contingit, ac num alicui iniuriam intulerit; instruendus est secundum regulas, quas ascetae et moralistae ad avaros sanandos tradunt. Sacerdos generatim non semper gravia peccata ex avaritia provenientia cognoscet; dubiis Deo relictis, adlaboret potius, ut habitum pravam exstirpet.

116. b) Si abstrahimus ab obligationibus erga uxorem et filios, Casimirus solummodo venialiter peccavit prodigalitate. Vulgo tamen homines huius farinae officiis erga familiam suam adimplendis impares se reddunt, dum non provident uxori et filiis pro futuro tempore; prodigi interrogandi quoque sunt de debitis et quidem, num ea contraxerint sine rationabili spe reddendi.

EBRIETAS. (54)

a) Jacobus, ob influenza decumbens, audivit a medico et variis expertis, morbum hunc facile vinci potu vini aut cremati. Revera sumit in maiore quantitate crematum ita, ut rationem aliquatenus perturbaverit.

b) Alia vice ab amico invitatus vinum sic dictum insulanum rubrum (dalmatinum), quod ei leve videbatur, bibit; cum

ecce! surgens advertit, pedes vacillare, oculos tenebras cernere, miser somno se tradidit nullius occupationis capax.

c) Semel vini tres cyathos sumsit, qui et caput eius aggravaverunt et ad vomitum eum provocaverunt. Quaeritur, quomodo in singulis casibus peccaverit?

Solutio.

117. a) Ad essentiam peccati ebrietatis pertinet, ut potus voluptatis causa sumatur; quando autem ex alio motivo et proportionato maiorem quis quantitatem haurit, tunc etsi ratio perturbetur, non committitur peccatum ebrietatis, sed simpliciter permittitur privatio usus rationis. Per se patet, quod non licet plus sumere, quam necessarium est, et ex altera parte vix aliquando potest assignari in vita casus, in quo quis perfectam privationem usus rationis alcoholo adducere debeat.—Jacobus immunis dicendus est a peccato ebrietatis, etsi rationem aliquatenus impeditam habeat, nisi ad plenam et perfectam privationem usus rationis pervenerit, nam talis quantitas corpori aegroto nunquam prodest et qua medicamentum non appetitur.—Idem dic de eo, qui aliquid plus potus sumit, ut somnum capiat, aut de muliere quae tempore partus potu alcoholico febrim mitigat.

118. b) Nonnullae species vini fallaces sunt; qui earum vim ignorant, inopinate se inebriant et tunc ob defectum advertentiae nullum peccatum committitur. Id valet de Jacobo, modo tempore potationis periculum se inebriandi non adverterit.

119. c) Tristis eventus Jacobi attribuendus est aut falsi vini naturae aut statui eius morbido, minime vero voluntario excessui in potu; propterea Jacobus nullius peccati reus dicendus est, nisi, quod incredibile videtur, tales sequelas praeviderit; tunc esset leve peccatum ratione indecentiae.

EBRIETAS. (55)

a) Confessario consulente Joannes obstrinxit se voto abstinendi omnino a potibus crematis et utendi temperanter vino et cerevisiā; ast pluribus occasionibus sumsit aliquot pocula cremati, imo semel inebriavit se. Data occasione interrogat Joan-

nes, an liceat ei, non obstante voti ligamine, theam cum cremato »rum« bibere.

b) Ignatius, homo omnino quietus, audit a domesticis, se, cum vino esset captus, impudice puellas tetigisse et alios vocitasse stultos ac asinos.

c) Caietanus, iuvenis, non solet quidem se inebriare, sed in caupona iudaica tempus pomeridianum diebus dominicis transigit ibique saepe saltat. Quid ad istos casus?

Solutio.

120. a) Votum omnimodae abstinenciae a crematis valet tum ratione removendi periculum ebrietatis, tum denique ut aliis, qui alcoholo abutuntur, exemplum bonum praebeatur. Ligatus tali voto peccat graviter contra religionem propter voti violationem, quoties perfecte se inebriat aut quoties una occasione crematum in maiore quantitate sumit; limites gravis materiae erunt circa 4 pocula consueta ordinariae aquae-vitae, haec enim quantitas reputatur pro notabili. Inebriatio imperfecta est leve peccatum ratione tum laesae sobrietatis tum religionis; in eo autem, qui votum absolutae abstinenciae a cremato emisit, facilius evadet gravis ratione maioris quantitatis sumti alcoholi.

Qui voto absolutae abstinenciae a cremato se obstrinxerunt, debent a rum abstinere; non obstante voto possunt aliquot guttulas huius cremati theae immiscere ob meliorem gustum; tunc enim crematum dissolutum suam naturam amittere videtur. Ita etiam licet obstrictis tali voto bibere aliquid cremati ob morbum, magnam defatigationem, magnum frigus; ratio est, quia tunc sumitur crematum potius ut medicamentum; ceteroquin votum, ut lex, cum magno incommodo non obligat.

121. b) Mala, quae Ignatius patravit, non imputantur ei ob defectum advertentiae; etenim neque in se cognita erant, quia nihil de eis scit, neque in causa praevisa, nam homo pacificus et sobrius est, nunc autem ex improvise captus est ab ebrietate. Excipe, si iam scivisset, se ebrium talia patrare solitum esse et ebrietatem voluntarie admisisset. Per se patet, ebrietatem Ignatii fuisse perfectam et obiective graviter peccaminosam; agebat enim omnino insolita, quorum penitus immemor existit, quod est signum amissae rationis.

122. c) Parochus debet ex ambone in genere interdicere visitationem cauponarum iudaicarum; si enim quis in eis innocentiae suae naufragium nondum fecit, certe animae salutem periculo exponit. In confessionali etiam severe expedit admonere, sed in ordine ad absolutionem necessarium est specificare casus: quando alicui experientia contestante nullum periculum proximum imminet, nimis rigide procederet confessarius, si sub absolutione deneganda rem urgeret. Si autem poenitens aliquoties se in caupona inebriavit, valde timendum est, ne ad peiora perveniat, ideo severius tractari debet et etiam sub deneganda absolutione arcendus a lapsu in habitum ebrietatis.

EBRIETAS. (56)

a) Stanislaus confitetur, se saepius cum uxore et filiis rixari, quando ex nundinis redux »aliquid in capite habet«; domestici tamen, non ipse, rixam incipiunt.

b) Ioannes induxit ad ebrietatem latrones, qui notabilem pecuniae summam ei abstulerant, ut eos decipere et vinctos policistis tradere posset. (Lehm. Cas. 49).

c) Venceslaus, parochus, in qualibet concione in ebriosos invehitur, saepe eos increpat et ad votum temperantiae adhortatur. Quum labor eius parcum fructum afferat, quaerit, quid sibi faciendum sit?

Solutio.

123. a) Etsi Stanislai singuli casus ebrietatis per se leviter peccaminosi sint, tamen ratione rixarum et scandali vehementissime in eis grave peccatum suspicari licet. Ut exactius status rei cognoscatur, interrogandus est, an uxor eius ebrietates graviter ferat, ita ut vgr. usque ad lacrimas commota sit; hoc esset signum gravis et iusti moeroris, quo familia eius agendi ratione afficitur et proinde tessera gravis peccati per accidens. Stanislaus suaviter inducendus est ad emittendum votum abstinendi a cremato, saltem per aliquot menses, et abstinendi a nundinis, nisi gravia negotia oeconomica eius praesentiam expostulaverint. Dixi »suaviter«, non rigide sub poena absolutionis denegandae,

nam invitus votum non servabit et in casu violationis voti duplicis peccati reus erit.

124. b) »Alios inducere ad ebrietatem ita fieri potest, ut alii aut scientes ebrii fiant seu bibentes ad periculum ebrietatis advertant, aut ut nescientes ebrietatem patiantur. Insuper adverti debet, aliud esse proprie inducere, aliud solam occasionem praebere«. (Lehmk. Cas. consc. n. 174). Aliquem proprie inducere ad ebrietatem est inducere ad peccatum; id licet tunc tantum, si agitur de maiore peccato formali avértendo; occasionem autem ponere se formaliter inebriaturo est materialis cooperatio et ex gravi causa licita. Item gravis causa requiritur, ut quis fraudulenter ad ebrietatem materiale inducatur seu ut aliquis inscius inebrietur. Génicot (Cas. consc. de ebr.) excusat a peccato eum, qui tempore electionis plures socialistas inebriavit, ne suffragia dent; id factum est ad vitandum maius malum, i. e. ne quis indignus ad munus publicum eligeretur. — Ex dictis colliges, Ioannem gravem habuisse causam, quae ei permittebat non solum materialiter cooperari, i. e. occasionem praebere, potum ministrare, sed etiam inducere ad formalem ebrietatem; causa haec erat avertere peccatum detentionis rei alienae maioris valoris. Intentio autem Ioannis debuit ferri ad mali diminutionem non ad ebrietatem formaliter. Nihilominus et conscientia et prudentia, i. e. spes successus securioris, suadet, ut arte materiale potius quam formalem ebrietatem causet.

125. c) Ebrietatem in parochia divulgatam vix alio modo quam exercitiis spiritualibus seu missionibus popularibus eradicare contingit. Tempore missionum, cum affectus commoti sunt, saltem bina concio de ebrietate instituatur et associatio temperantiae condatur. Praeterea magnopere expedit introducere aliquam associationem rusticorum cum bibliotheca populari. Publicas saltationes et musicas mediante syndico in quantum possibile parochus constringat; singulos parochianos ebrietati deditos sive extra confessionem sive in sacramentali confessione ad temporaneum votum temperantiae adigat; consuetudinariis votum perpetuum suaderi non potest; urgeat frequentiam sacramentorum; admonitiones occasione nuptiarum et baptismorum repetat; cum miseris consuetudinariis contactum frequentem habeat. In genere pro viribus removeat occasiones, in quibus parochiani inebriari solent. His mediis adiungat orationem fervidam, ut

Deus gratiam efficacem largiatur. Qui sunt magnopere habituati in hoc vitio et fere iam in statu morbo constituti, nonnisi miraculoso modo emendantur.

IRA. (57).

a) Catharina, numerosae prolis mater, confitetur, quod α) saepius irata est filiis inobedientibus et in ira eos increpavit, imo etiam baculo percussit; β) damno causato a vicina in agro, ad iram provocata est, in qua eam contumeliis et maledictionibus cumulavit; γ) semel tantopere famulae irata est, ut ei alampam impegerit et vestes dilaceraverit.

b) Michael, cum nuntium acceperit, Ioannem, fratrem suum decennem, vitra in domibus vicinorum fregisse, dum contra vetitum ibi ludebat, iratus, domum reversum baculo punivit imo et vulneravit; ipse hoc fecit, quoniam pater nulla auctoritate domi gaudet. Quid de utroque poenitente sentiendum?

Solutio.

126. a) Ira, si consideratur qua animi excandescencia, tunc peccaminosa est, quando commotio animi, etsi ex iusta causa proveniens, excessiva est, ita ut ratio propter perturbationem partis sensitivae obfuscetur. Moderata commotio animi, ex iusta causa, est passio omnino utilis, quoniam hominem in sua activitate adiuvat (*ira per zelum* s. Thom. 2—2, 158, 2). Saepe impossibile est invenire limites iustam inter et iniustam commotionem. Catharinae singuli actus irae sub α) forte non semper peccaminosi sunt, etsi ipsa ad punitionem pervenerit; propterea si alia peccata non attulit, aliquod ex vita anteacta addere debet, ut certam materiam absolutionis subministret. Semper suadenda est ei mansuetudo et pro poenitentia utiliter potest repetere invocationem: Jesu mitis et humilis corde, fac cor meum secundum cor Tuum. β) In rixa cum vicina ira eius iustos limites praetergressa est, adduxit enim eam ad peccata oris. Si consideratur sola ira seu sola excandescencia animi, ea graviter peccaminosa non fuit; maledictiones et contumeliae, si non fuerunt extraordinariae, etiam pro levibus vulgo reputantur inter homines

plebeios. γ) In tertio casu ira videtur graviter peccaminosa ratione obiecti, perduxit enim eam ad puniendam famulam modo graviter illicito.

127. b) Michaëlis ira ex duplici capite peccaminosa est et quidem 1) fratri nullum competit ius puniendi alium fratrem, nisi cura iunioris ei commissa sit; verberatio a fratre peracta raro gaudet fructu, imo causat maximas exacerbationes, nisi differentia aetatis notabilis sit; 2) puniendo transgressus est limites iustos, quia nemini licet usque ad vulnerationem punire. Forte minus malum esset, si pater aut mater, etsi minus fervide, aliquam poenam, esto improporcionatam, infligerent, quam quod ipse sibi ius arrogavit, quod exercere nescit. In praxi bona fides certe excusabit Michaëlem.

ACEDIA. (58)

a) Romanus, de quo ut puero omnes omnia optima sperabant, qua iuvenis omnium spem fefellit. Lente frigescebat in fervore religioso devotiones abiiciens et animum despondens; initio sero in missam veniebat, postea eam omnino omittebat; ardor quoque laborandi initio paulatim diminuebatur, postea omnino evanuit, ita ut a collegis suis in examinibus multo tempore praeventus esset neque nunc firmam studendi voluntatem ostendat. Mox pervenit ad talem statum, ut doleret, se in religione christiana bene instructum esse, nam in ignorantia felicius viveret; imo invadebat brutis, quae nihil de lucta interna sciunt et voluptatibus abundant. Quomodo iudicandus est?

b) Paulus, parochus, omnia quidem officia adimplere videtur; celebrat missam cotidie sed sero surgit et tempore non fixo in ecclesiam pergit; excipit quidem confessiones sed semper tardat, ita ut multi impatientes a frequenti confessione abstineant; ad concionem ultimo momento se praeparat; ad aegrotos vocatus non statim pergit, propter quod aliqua mulier sacramentis non provisa mortua est. Dolet denique, quod sacerdotium suscepit ob molestias cum hoc statu coniunctas. Quaeritur, quomodo eius pigritia pensanda sit?

Solutio.

128. a) En exemplar iuvenis bene a parentibus educati, a mundo in iuventute corrupti, exemplar quod non tam raro videre contingit! Vitium, ex quo tristes effectus in vita Romani proveniunt, est negligentia seu acedia et quidem in sua triplici forma: qua taedium laboris in genere, qua negligentia in vita spirituali, qua tristitia de bono divino seu acedia sensu stricto. Vitium hoc, si excipies acediam sensu stricto, non est necessario separatim a peccatis actualibus a se genitis in confessione declarandum, quia cum eis unum quid constituit et per ea manifestatur; sufficit, si confessarius ista peccata explorabit. Omissio devotionum, secluso contemptu, nullum est quidem peccatum, sed, ut experientia docet, aggerem peccati disrumpit. Omissio partis missae est veniale aut mortale, quod a quantitate materiae dependet. Negligentia in examine subeundo potest esse etiam graviter peccaminosa, quando expensas magnas ciebat aut causabat, quod iuvenis convenientem vitae statum amplecti non potuit. Dolor eius, quod diligentem instructionem christianam obtinuit et modum recte vivendi scit, est acedia sensu stricto graviter peccaminosa. Idem dic de insipienti invidia erga bruta animalia, si eiusmodi cogitationes seriae sunt.

129. b) Parochus Paulus ob pigritiam suam dignus est, ut eiiciatur ex ore Domini; nimis laxus et nimis securus sibi apparet, si ab omni peccato immunem se praedicat. Certe graviter peccavit, si ex eius pigritia aliqua persona s. sacramentis provisa non est; peccat quoque forte graviter, si missam tempore fixo et fidelibus apto non celebrat, quia stabiliter privat fideles occasione audiendi missam; peccat deinde propter tarditatem suam, si per eandem fideles a sacramentis alienantur; ita etiam certe officia sua non recte adimplet, si ambonem non praeparatus ascendit. Tristitia ob sacerdotium susceptum, omnino infructuosa, non est acedia sensu stricto, tamen magnopere periculosa est eiusmodi pusillaminitas et animi abiectio.

ACEDIA. (59)

a) Eugenius, homo ditissimus, nullo labore occupatur, quia, ait, id ei necessarium non est; vitam commode sustentat ex bo-

nis patrimonialibus, officiales habet, qui haec bona administrant, causis publicis se immiscere fastidiosum ei apparet; totam vitam ita ducit, ut unicum eius »meritum« videatur, quod dives natus est.

b) Adalbertus non vult, ut alii fabri, labori pro viribus vacare; contentus est, si acquirit tantum, ut ipse cum familia aliquo modo vivere possit.

c) Ioannes, a parentibus neglectus, labori a puerili aetate non assuefactus, mendicat ab aliis, quae pro victu et vestitu ei necessaria sunt; itaque vivit, ut volatilia evangelica, quae »non serunt neque metunt, neque congregant in horrea et Pater coelestis pascit illa«. (Mth. VI. 26).

Solutio.

130. a) Parabola Christi de talentis docet nos, quod Deus rationem de omnibus donis a nobis exiget et quo plus accepimus, eo plus a nobis exigetur. Certe, si Eugenius per alios bona administrare potest, debet ipse sive publicis negotiis sive causis piis, sive denique propria cultura occupari, ne otiosus panem comedat. Labor aliquis ei necessarius est, ut vitam homine dignam ducat. Graviter forte tunc peccant eiusmodi homines, quando bonum publicum propter eorum neglegentiam aliquod certum damnum patitur, vgr. occasione electionum. Iudicium de talibus, si ceteroquin vitiis non indulgent, Deo relinquitur.

131. b) Adalbertus, modo necessaria vitae pro familia sua acquirat, per se immunis est a peccato; nemo enim tenetur ad ditescendum. Dixi »per se«, nam si tempus otio terit, privat se ea benedictione, quae labori adiuncta est, et exponit se periculo malorum, quae otiositas generat.

132. c) Status animi talis nebulonis mihi videtur graviter peccaminosus; abstrahendo iam a molestiis, quibus homines afficit, certe iam ideo talis pigritia mortaliter peccaminosa apparet, quod est vilipensio principalis praecepti naturalis, quo iubemur labore vitam sustentare in defectu bonorum stabilium.

V.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE SCIENDIS ET CREDENDIS VERITATIBUS FIDEI. (60)

a) Blasius, rusticus aetate 30 annorum, interrogatus a confessario de mysteriis fidei, respondet, tres esse Deos, tertiam personam ss. Trinitatis esse incarnatam. Cum confessarius ulterius interrogavit, num conciones audierit, respondet, se fere semper sermonibus sacris interfuisse; ulterius investigatus, dicit, se nunquam ab aliquo confessario de catechismo interrogatum esse. Confessarius breviter docet Blasium ista mysteria, elicit actum fidei, instituit cum eo confessionem generalem et absolvit.

b) Eidem confessario occurrit vetula, quae responsa minus cohaerentia quoad explicite credenda mysteria dat et suam ignorantiam debili memoria et aetate provecta excusat. Confessarius eam sub conditione absolvit.

c) Pastor ovium, qui inde a verno sole ad autumnalem in montanis degit, hieme iussu heri confitetur, ast neque Pater noster neque Symbolum Apostolorum recitare scit; increpatur a confessario et non absolutus dimittitur.

Quaeritur, quid in singulis casibus de praxi confessarii sentiendum sit?

Solutio.

133. a) Ab omnibus admittitur, fidem explicitam in Dei existentiam et remunerationem esse necessariam necessitate medii ad salutem; poenitenti haec ignoranti valida absolutio impertiri nequit; opinio, quae eodem modo expostulat fidem explicitam in mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis, est minus probabilis (Billot, De virt. inf.; thes. XIX.) et nunc a nemine defenditur. Quidquid dicant theologi in theoria, practice confessarius nequit absolvere ignorantem haec mysteria, tum quia s. Congregatio vetuit, tum quia sententia, statuens medii necessitatem, est tantum

probabilis, non licet autem sacramentum exponere periculo frustrandi effectum. Confessarius debet interrogare de istis mysteriis non omnes poenitentes, sed de quibus gravem rationem dubitandi habet. Caveat tamen, ne facilius existimet, haec mysteria prorsus ignorari ab omnibus, qui responsa minus exacta dant; nam adulti, qui inter christianos educati festa observant et conciones audiunt, certe ista mysteria norunt, sed multi sive ob imperitiam loquendi, sive ob animum perturbatum, interrogati, rationem reddere non valent. Ita etiam quoad rusticos non sunt interrogandi de istis mysteriis, qui legere sciunt, scholam frequentarunt, conciones studiose audiunt, sacramenta diligenter suscipiunt, nam hi certe sufficientem instructionem religiosam habent.

Ita forte censendum est de Blasio, qui implicat se in responsis. Recte confessarius fecit, si ei brevem instructionem dedit; ast quoad praeteritas confessiones, etiam supposita ignorantia ss. Trinitatis et Incarnationis, istae repeti non debent; (Göpfert I. 273, Gury-Ballerini I. 196, Ballerini-Palmieri tr. V. 18). Ratio est, quia confessiones repetendae non sunt, nisi de earum invaliditate certo constet; atqui non constat certo, confessiones anteactas invalidas fuisse, nam scientia istorum mysteriorum est tantum probabiliter necessaria medii necessitate, ergo confessiones anteactae probabiliter validae sunt; in casu, quo invalidae essent, peccata remitterentur in hac confessione. Clarum est, invalide confiteri et ad repetendas confessiones teneri eos, qui ignorant duo priora mysteria, i. e. Dei existentiam et remunerationem; etenim qui ea ignorat, dolorem de peccato quatenus est offensa Dei concipere non possunt.

134. b) Vetula interroganda est, utrum olim ista mysteria sciverit aut saltem utrum conciones frequentaverit; si affirmative respondet et sana mente gaudet, absolute est absolvenda; etenim certe non ignorantia sed imperitia explicandi suas cogitationes impedit eam in responsis dandis.

135. Pastores ovium, qui in montanis dimidium anni transigunt, nec non minorennes orphanos in famulatu constitutos confessarius cum maxima prudentia dirigere debet, ne miseros qua iniquos tractet et ab ecclesia abalienet. Si ignorant necessaria praecepti, admoneat eos, ut a cognato aliquo vel hero doceantur aut ipse sacerdos curam eorum, praesertim si plures

sunt, in se suscipiat. Interea absolvendi sunt; tunc solummodo absque absolute dimitti debent, quando ex neglegentia instructionem non curant. Recitatio Pater noster et Symboli Apostolorum sub veniali ex communi sententia theologorum exigitur; compendiosa cognitio veritatum ibidem contentarum sub gravi. Experientia tamen docet, eos, qui Pater noster et Symbolum recitare non valent, etiam argumentum ignorare et rudes facilius eadem ex memoria proferre, quam eorum rationem reddere; propterea qui memoria Pater noster et Symbolum Apostolorum non tenet, tractandus est ac ille, qui haec omnino ignorat.

Praxis confessarii iudicanda est secundum distinctionem expositam. Confessarius videtur nimis rigorose pastorem tractasse.

PROFESSIO FIDEI. (61)

a) Baruch, medicus iudaeus, vulgo Benedictus, in colloquiis cum suis collegis catholicis iam saepius mentem aperuit, se velle religionem catholicam amplecti; interrogatus, curnam baptismum differat, dicit, se exspectare mortem suae socrus, quae eius baptismum aegerrime ferret et haeriditatem ei denegaret. Mortua denique socru, differt iterum baptismum, timens, ne a iudaeis qua medicus deseratur et ideo in paupertatem redigatur. Denique morti proximus visitatur a collega suo sacerdote et eo instigante consentit in baptismum, sed sub duplici conditione: α) ut si moriatur, res silentio tegatur ac sinantur cognati iudaico more eius corpus sepelire; β) ut si reconvalescat, liceat ei conversionem suam dissimulare, donec negotia temporalia composuerit. Sacerdos annuit et Benedictum baptisat. Quid de hoc sentiendum?

Solutio.

136. a) Duplex in casu occurrit quaestio solvenda et quidem α) quid sentiendum de dilatione baptismi ob duplicem causam; β) utrum sacerdos conditionibus apposis licite annuere potuerit. Quoad priorem respondemus: quilibet persuasus de veritate religionis catholicae tenetur fidem amplecti et Ecclesiam per baptismum ingredi. Quoad tempus certe id quam primum fieri debet, si commode fieri potest, ut neophyta quam primum vitam christianam agere incipiat, gravis tamen causa aliquam

dilationem ab omni peccato excusat. Sola tristitia socrus aliquam non tamen plurium annorum dilationem baptismi excusaret; ordinarie tamen tristitiae adiunguntur molestiae a cognatis et denegatio haereditatis; in his circumstantiis tenendum est, etiam longiorem dilationem carere gravi peccato. Altera causa, ne a iudaeis deseratur in exercitio sui muneris, brevem non longam dilationem excusaret, nam medicus confidere et Deo et piis catholicis et potest et debet. Baruch igitur peccavit graviter, differendo baptismum ad horam mortis (Noldin III. 70; Laymann I. V. q. 6. n. 8).

Quoad duplicem conditionem certum est, 1) eum non posse disponere iudaicam sepulturam; id enim aequivaleret professioni falsae fidei; 2) eum per se teneri fidem veram profiteri, quoties honor Dei et salus proximi id exigit. Certe honor Dei expostulat, ut neoconversus Ecclesiae modo visibili et publice inseratur et proinde, ut externe suam fidem profiteatur saltem coram duobus testibus et christiane sepeliatur; etiam lex ecclesiastica et civilis exigunt, ut in foro externo conversio peragatur. Attamen haec obligatio non censetur tam stricta, ut semper non obstante quocunque incommodo urgeat. Historia occultorum christianorum in aula imperatorum romanorum id comprobat. Itaque si nullum timendum est incommodum pro ipso aut familia sua, non potest celari eius conversio. Si tamen grave incommodum timendum esset, vgr. ne in ultimo momento a suis deseratur, ne turbae in civitate oriantur, tunc sacerdos potest privatim et clam omnia perficere, ne, meliora intendens, peiora causet. Omnis enim lex positiva, obligationem imponens, ex gravi causa cessat; (cf. Lehmke. Cas. consc. n. 184). et occultatio suae religionis per se nondum aequivalet eius negationi. Nec refert, quod fortasse mundus putabit, eum in religione iudaica ex hac vita decessisse, et quod ritu iudaico sepeliatur, quia ob gravem causam licet haec permittere, modo scandalum absit. (Elbel II. 69).

Quoad alteram conditionem haec facile a sacerdote admitti potest, tamen cum admonitione, ut non longo tempore fidem occultet, ut interea abstineat a visitanda synagoga et in genere a participatione in cultu iudaico. Per se patet, quod a legibus ecclesiasticis ad tempus excusatur, ne prodatur.

Eadem dicenda sunt, si ageretur de haeretico eiusque receptione in sinum Ecclesiae catholicae. Stricto loquendo debet talis

conversio etiam in foro externo peragi; ex iusta tamen causa sufficit, si in solo foro interno, clam, perficitur et celatur. Difficilior est casus, si agitur de ministro acatholico; huic enim incumbit obligatio revocandi errores, quos sparsit. Revocatio haec non necessario debet esse formalis, sufficit, si divulgatur factum conversionis ad religionem catholicam. Propterea inducendus est minister, ut coram testibus protestetur, se religionem catholicam profiteri et in ea mori velle, aut saltem alicui dicat, se magni momenti secretum sacerdoti commisisse post obitum suum revelandum. (Cf. Elbel II. 68; Gury, Cas. consc. I. 197; Lehm. ibid.).

OBIECTUM FIDEI. (62)

a) Duo theologi disputant circa auctoritatem et praxim Ecclesiae in libris prohibendis; Iacobus citans textus allegari solitos, vgr. Pasce agnos meos (Ioan. 21, 15), praxim s. Pauli ephesinam (Act. 19, 19) et continuam praxim Ecclesiae, affirmat, doctrinam, quae hanc auctoritatem Ecclesiae adiudicat, esse a Deo revelatam et fidei dogma. Thomas oppositam tenet opinionem, nam neque Christus Dominus neque Apostoli aliquid de libris docuerunt aut artem typographicam vaticinati sunt. Quia autem Gregorius XVI. opinionem, quae hoc ius Ecclesiae denegat, non censuravit nota haeresis sed tantum notavit, ut »falsam, temerariam, Apostolicae Sedi iniuriosam« (Ep. encycl. de 15 aug. 1832), ideo salva fide licitum est cuilibet opinionem oppositam sequi. Quam sententiam ferres in causa fratrum litigantium?

Solutio.

137. a) Si Iacobo persuasum est, doctrinam, quae hanc potestatem Ecclesiae adiudicat, esse a Deo revelatam, peccaret graviter contra fidem divinam et reverentiam Deo debitam, si eam negaret. Attamen non incurreret excommunicationem contra haereticos latam, quia doctrina haec non est dogma definitum. Sententia Thomae nimis laxa apparet et innititur falsa assertione, acsi sub peccato solummodo eas doctrinas tenere obligemur, quae sunt dogmatice definitae aut contradictoriae opinionibus censura haeresis (non autem inferiori) notatis. Fideles obligantur sub peccato ad fidem s. d. ecclesiasticam seu ad assen-

tiendum ex animo etiam eis, quae non sunt formaliter revelata sed definita »ab Ecclesia sub sola Dei assistentia« (Billot, De virt. inf. pg. 265), quo spectant censurae propositionum infra haeresim, canonisatio Sanctorum, facta dogmatica. Ratio quoad propositiones haeresi inferiores est, quod formali fidei negationi (haeresi) plus minusve affines existunt eique in animis hominum viam parant, destruunt moenia, quibus fides divina munitur. Cum opinio abiudicans Ecclesiae ius proscribendi libros noxios a Sede Apostolica per os Gregorii XVI. qua falsa et impria notata sit, peccat graviter contra fidem, qui eam tenet. (Cf. Billot, De virt. inf. thesis XI. et XXIV.; Mazella, De virt. inf. art. X. §. 1).

OBIECTUM FIDEI. (63)

Romanus, studio philosophiae addictus, iam a longo tempore sacramento poenitentiae non reffectus, nunc ad nuptias convoluturus sacramentaliter confitetur, se non credere revelationibus privatis vgr. eis, quas Catharina Emmerich de passione Christi conscripsit, neque se agnoscere visionem, qua rosarium s. Dominico et scapulare beato Simoni Stock a B. V. M. datum est, imo neque se velle fidem praestare discursui, quem b. Maria Magdal. Alacoque cum Christo habuit aut Bernadette Soubirous in Lourdes. Multa enim (ait) aut histeriae aut in genere nervis excitatis adscribenda sunt, quae visionum nomine praedicantur.

Quaeritur, utrum Romanus haeresis reus sit?

Solutio.

138. a) Haec omnia, quae Romanus narrat, non pertinent ad fidei obiectum obligatorium, officiosum, seu ad fidem divinam et catholicam; ista sunt sic dictae revelationes et visiones privatae. Ista revelationes earumque argumentum non creduntur fide theologica, quia non excludunt omnem formidinem erroris; talem indubitabilem certitudinem dat articulis fidei propositio infallibilis magisterii Ecclesiae, quae tamen quoad revelationes privatas exspectari non potest, quia id ad Ecclesiae munus non pertinet;

eius enim est publicum depositum fidei custodire; praeterea in revelationibus privatis impossibile est discernere verbum divinum ab humana subiecti recipientis persuasione. Ideo fides eis praebetur tantum humana, non obstante theologico argumento, iuxta prudentiae regulas; qui factum talis revelationis communiter agnitum sine sufficienti ratione respuit, temere, imprudenter agit, ast graviter non peccat.

»Per se patet, personam illam, cui facta est revelatio privata, obligari ad eam credendam fide divina, reliqui vero fideles eam credere non tenentur, cum non ad eos destinetur et ipsi fere nunquam certitudinem habere possint de eius genuinitate, quam non praebet Ecclesiae approbatio: hac enim Ecclesia non declarat tales revelationes vere divinas, sed solum eas nihil continere, quod adversetur fidei catholicae et bonis moribus,¹⁾ ideoque permittit, ut edantur ad fidelium aedificationem«. (Hurter, Theol. gen. 500). Criterium infallibile genuinitatis revelationum privatarum ne quidem est sanctitas personae eiusque assertio. (Michael, Zeitsft. f. kath. Theol. Innsbr. an. 1901 pg. 387 fasc. III.).

Non licet eas spernere, tum quia continent effata personarum, quae profundissimam cognitionem Dei rerumque divinarum habuerunt et in hoc maximus earum valor consistit (Morawski, Świętych obcowanie), tum quia possunt esse revera verbum Dei. Deus enim non obligavit se ad claudendam omnem revelationem una cum morte ultimi Apostoli; imo convenit, ut optimus Pater, qui saepissime in A. T. loquutus est et in Novo T. assistentiam suam promisit, ut dico etiam nunc cum suis dilectis colloquatur.

Confessarius admoneat Romanum, eum possibilitatem revelationum privatarum admittere debere et catholicis se accomodare; explicet ei devotionem erga S. Cor Iesu et in genere dicat, nullum dogma revelationibus privatis fundari; adhortetur, ut unam

¹⁾ Ita die 3. septembr 1904 S. C. Rit. et Inqu. quoad scapulare S. Cordis Iesu enuntiavit: „Quamvis devotio Scapularis ss. Cordis Iesu et adscriptio inter sodales piae confraternitatis..... probatae sint; nullam tamen ex dicta adprobatione sive directam, sive indirectam adprobationem sequi quarumcumque apparitionum, revelationum, quae praedicto Scapulari quovis modo referri velent“. (Acta. S. Sed. an. 1904, fasc. 6, pg. 373).

alteramve devotionem amplectatur ad spiritum ecclesiasticum sustentandum; caveat eum gravis peccati arguere.

DUBITATIO CONTRA FIDEM. (64)

a) Martinus, audito discursu de altera vita, dicit: »Quis novit, num detur aliqua vita post mortem? Quomodo constat, quod sacerdotes de poenis inferni docent, cum nemo reversus sit, qui hoc narret«. Alia vice cogitans de immaculata conceptione B. V. Mariae, exortis dubiis, dicit: materia difficilis est, praestat de ea non cogitare.

b) Ioannes, iuvenis, confitetur: α) se subdubitasse fidei veritates; β) se auscultavisse discursum seniorum cum contra sacramentum poenitentiae disputarent; γ) se ipsum cum collegis de animae existentia disputasse, quum sibi materialismi doctrina arrideat. Quaeritur, quomodo isti in singulis peccaverint?

Solutio.

139. a) Martinus positive in dubium vocat dogmata catholica de vita futura et de poenis inferni; talis dubitatio notam haeresis non effugit. Quoad casum de dogmate immaculatae conceptionis B. V. Mariae certe non commisit haeresim, quia nullum iudicium protulit, solummodo noluit eo occupari. In hoc tamen statu homines interne aut submittunt iudicium suum auctoritati Ecclesiae aut superbam aliquam exacerbationem erga eam sentiunt et in incerto suam fidem relinquunt, ie. neque affirmant neque negant. In priori casu non peccant, cum nulla adsit obligatio cogitandi de dogmatibus; in posteriore vero supposita sufficienti deliberatione graviter delinquant, tum quoniam fides nostra debet esse firma et indubitabilis, tum quia auctoritati Ecclesiae docentis debemus positive nos submittere.

140. b) In genere sit in antecessum notatum, quod homines laici dubia movent et discursus instituunt contra assertiones, quas religioni catholicae erronee adscribunt et proinde sua phantasmata impugnant; ideo cum peccatorum contra fidem se accusant, interrogandi sunt de materia dubiorum et discursuum et, si errant, a confessario instrui debent. Per se patet, eos

peccare ex conscientia erronea, quando putant, se Ecclesiae doctrinam impugnare.

Ioannes, si rigorose res sumitur, quoad α) interrogandus est, utrum deliberate dubitaverit an potius tentatione infestatus sit. In casu tentationis instruendus est, ut in genere dicat: credo, quidquid Ecclesia catholica docet, et mentem ad alia divertat. Si deliberate dubitavit et quidem de dogmate fidei, interrogandus est, utrum non obstante nota sibi definitione ecclesiastica serio putaverit, dogma aliquod esse incertum (affirmativa dubitatio), tunc haeresim commisit; an tantum dubiis exortis deliberate vacillaverit et opinioni contrariae non firmiter adhaeserit, tunc peccavit contra fidem graviter, nisi excusetur ratione imperfectionis actus aut nisi haesitatio eius sit tantum negligentia in repellendis tentationibus. Dubitationes discipulorum sunt vulgo venialiter peccaminosae.

Quoad β) si Ioannes ex industria auscultavit discursum impium, peccavit exponendo suam fidem periculo. Grave peccatum commisit, si frequenter auscultavit eiusmodi disputationes et proinde vehementes tentationes contra fidem passus est; ideo in hoc sensu interrogatio poni debet.

Quoad γ) non solum hominum aetatis provectoris, sed etiam discipulorum discursus, quibus fidem aggrediuntur, graviter peccaminosi sunt. Quaeritur, an eiusmodi discursus pro haeresibus habendi sint. Distinguere oportet. Maturiores iuvenes, ut studiosi universitatis vel supremarum classium gymnasii, quibus doctrina catholica nota est et qui sciunt, eorum discursus dogmati contrarios esse, ab haeresi immunes dici non possunt, si serio non solum externe sed etiam interne dogma negant. Iuniores vero immunes esse a peccato haeresis et solummodo graviter contra fidem peccare, censeo, tum ideo, quia doctrinam catholicam non recte intellegunt, tum quia deest eis seria intentio aggrediendi veritatem catholicam: sine interna persuasionem loquuntur, ut coram aliis sapientes et maturi iudicii homines appareant, habitualiter vero parati sunt ab errore suo discedere, si scirent, eum fidei esse contrarium; quaevis autem ignorantia etiam crassa et affectata definitionis Ecclesiae excusat ab haeresi; (Ballerini-Palm. tr. V. 140). Addendum denique, quod eorum discursus habent saepe valorem tantum fluctuationis sine deliberata et positiva suspensione assensus; tunc sunt peccata venialia. Imo si

in corde non nutant, sed disputant ideo, quia veritates fidei intellegere conantur et dubia sua ac difficultates theoretice explicant, parati submittere iudicium Ecclesiae auctoritati, tunc nullum peccatum committunt.

Ioannes interrogandus est, cur disputaverit; si respondet, sibi Ecclesiae doctrinam difficultates parere et ulterius interrogatus affirmat, se fuisse paratum opinionem suam deserere, si sciverit Ecclesiam aliter docere, tunc nullo modo peccavit. Si respondet, se disputavisse contra Ecclesiae doctrinam, ut excultus appareat vel ut alijs loquentibus se accomodet, peccavit graviter contra fidem eam exterius negando; si denique dicit, sibi esse persuasum de veritate doctrinae materialistarum et se scire, Ecclesiam aliter docere, tunc haeresim commisit; incurrit quoque excommunicationem, si de ea scivit.

FIDEI NEGATIO ET PROFESSIO. (65)

a) Cornelius, romano-catholicus, in regione protestantica valetudinem curans apud medicum quendam, infensissimum catholicorum hostem, interrogatus ab eo fingit, se esse lutheranum; fecit id timore ductus, ne a medico neglegenter tractaretur et ne maior taxa ab eo expostularetur.

b) In curru viae ferreae proficiscens videt, quomodo impii homines imagines Crucifixi et B. V. Mariae irrideant ac in terram proiiciant; silet tamen, timens, ne ipsum pro obiecto suorum iocorum et irrisionum sumant.

c) In balneis degens, convenit cum protestantibus, qui narrant, sacerdotes sigillum sacramentale non observare, religiosos ad obedientiam etiam in illicitis voto se obstringere; his auditis, clam evadit.

Quomodo in singulis casibus diiudicandus est Cornelius?

Solutio.

141. Cornelius absque dubio peccavit mendacio; quaeritur tantum, an eius mendacium sit negatio fidei externa et peccatum grave. Puto, Cornelii peccatum esse simplex mendacium et nimis rigide diiudicaretur, si in eius agendi ratione negationem fidei quis videre vellet. Haec enim contingit tunc, quando ali-

quis extérne negat fidem ex erubescencia aut si negat eam in his circumstantiis, in quibus a religione catholica deficere videtur, praesertim coram personis notis tunc enim revera ipsum fidei praeceptum formaliter violatur. In casu tamen narrato Cornelius simplex mendacium commisit; illae enim, quas diximus, condiciones non adsunt.

142. b) Imagines Christi et Sanctorum colere oportet; cultus vero exhibetur tam actu positivo; vgr. si lampas accenditur, quam remotione omnium, quibus imagines indigne tractantur, vgr. impediendo, ne in lutum cadant. Cornelius per se debuit impedire, ne in lutum morale imagines proiicerentur, seu ne irriderentur. Id valet tunc, si fructum ex admonitione speravit. Si vero peiores irrisiones timuit vel incommoda gravia pro se, prudentia suadebat abstinere ab admonitione, pietas vero consulebat aliquam orationem mentalem fundere. Difficilius a silentio excusaretur sacerdos, praesertim si in regione catholica id fieret, ut scandalum vitetur et quia facilius fructus ex admonitione speratur.

143. c) Cum audivit, haereticos religionem catholicam calumniari, obligatus erat protestari; etsi enim protestatione sua aut argumentis persuasionem haereticorum non mutaret, tamen honori religionis aliquo modo consuleret; ceteroquin silentium in hoc casu aequivaleret approbationi calumniarum.

FIDEI NEGATIO. (66)

a) Casimirus, sacerdos, intendens fidem catholicorum, qui magna persecutione premuntur, sustentare eosque sacramentis confortare, clam ad eos pergit aliquando in longa veste iudaica et crinibus iudaico more compositis, aliquando etiam indutus pallio ex serico albo (tales), quo iudaei tempore orationis utuntur.

b) Joanni, discipulo, collega caeremonias iudaicas monstrare vult; hunc in finem ducit eum in synagogam et, ne a iudaeis cognoscatur, iubet eum capite cooperto librum aperire, murmurare et caput rhythmicè nutare.

c) Caietanus, desiderio videndi caeremonias lutheranas perductus, intrat eorum templum tempore sacri; ne eiiciatur, surgit

cum surgentibus, signum crucis format, pectus percutit, concionem attente audit; finito ritu sagitta velocior elabitur e templi postibus. Quaeritur, quomodo agendi ratio supra dictorum pensanda sit?

Solutio.

144. a) Clarum est, Casimirum nullo modo peccasse, quando usus est vestibus, quibus iudaei in vita cotidiana induuntur, generatim enim e vestibus, nunc praesertim, non cognoscitur religio; difficultas solum exsurgit quoad pallium sericum, quod significationem rituales habere videtur. Si pallium istud ornatum esset aliquo signo, quod religionem catholicam offenderet et in se contineret »formaliter ipsum cultum« (Lugo, De fide XIV. 89), aut hoc deficiente si ex circumstantiis usus pallii defectionem a fide significaret vel scandalum pareret, Casimirus peccaret. Ordinarie tamen vestis haec nullum eiusmodi speciale signum continet et ceteroquin, ut supponitur, abest scandalum, quia Casimirus a circumstantibus ignoratur; ubi enim nemo te novit, perinde est, si appares ut iudaeus simpliciter aut iudaeus orans (Baller-Palm. tr. V. 88). Propterea Casimirus non peccavit utendo eiusmodi veste, eo magis quod iusta excusabatur causa.

145. b) Severius iudicandus est Joannes in hoc casu, etenim adiunxit se orantibus et signa cultus iudaico more praestitit; eius agendi ratio est participatio formalis in cultu falso, quae obiective est graviter peccaminosa.

146. c) Assistentiam materiale in ritibus acatholicis seu meram praesentiam corporalem ex curiositate auctores mox mitius mox rigorosius diiudicant, prouti in suis regionibus sectae plus vel minus stabilitae sunt. Solus enim materialis aspectus caeremoniarum acatholicarum sine spirituali coniunctione cum acatholicis non est per se peccaminosus, prouti non est peccatum audire vgr. maledictiones; sed ratio peccati adest tunc, si assistentia involvit participationem in ritu, periculum perversionis, approbationem haeresis, scandalum sensu theologico, quod ex circumstantiis cognosci debet. Caietanus limites liciti transgressus est, nam adiunxit se haereticis tamquam unus eorum et in caeremoniis participavit. Certe omnino non peccaret, si ut spectator ex curiositate caeremonias aspiceret (cf. Göpfert I.

281) et aliquo signo vgr. situ corporis monstraret, se esse solummodo spectatorem.

COMMUNICATIO CUM IUDAEIS. (67)

a) Magdalena confitetur, se apud iudaeum famulari et tempore paschae iudaicae azymos panes manducare.

b) Ladislaus, gymnasii discipulus, in eodem cubili cum iudaeo suo collega habitat nec ullum sibi scrupulum ex hoc facit.

c) Camillus habet amicum quendam iudaeum, quocum olim scholas visitavit; aliquando introducit eum in ecclesiam, ut nostras caeremonias videat; nuper mortua est ei uxor; Camillus dubitat, an possit salva conscientia funerali iudaico assistere.

d) Petrus, puer, interrogat, num liceat ei sabbato apud iudaeum ignem in culina et candelas in candelabro accendere et in iudaica officina diebus festivis iudaicis tabacum vendere.

Quid censendum in casibus enarratis?

Solutio.

147. a) Persuasio de eximia dignitate religionis catholicae et sollicitudo de salute fidelium dictavit concilio Lateranensi III. (1179) plures leges, quibus catholici a iudaeis separandi essent; successu temporis, saltem in nostris regionibus, leges istae in desuetudinem abierunt. Itaque nunc absque scrupulo comeduntur panes azymi; neque expedit categorice semper vetare famulatum apud iudaeos sed singuli casus examinandi sunt. Si iudaeus permittit famulae et sacrum audire et ieiunare neque eam ad illicita sollicitat, nullum perversionis periculum famulae imminet et ideo confessarius famulatum interdicere non potest. Secus vero dicendum, si iudaeus raro ei permetteret missam audire aut si ad peccatum turpe eam sollicitaret vel eius cooperationem ad aliquod peccatum exigeret, tunc sacerdos deberet urgere, ut poenitens tempore condicto famulatum desereret, imo etiam, si periculum in mora esset, sub poena denegandae absolutionis obligare eam deberet, ut famulatum absque renuntiatione, servatis dispositionibus legis civilis, relinqueret. Secundum dicta Magdalena interroganda est, quomodo se gerat erga eam iudaeus, et aut ab-

solvenda aut obliganda ad relinquendum famulatum aut statim aut tempore conductionis finito.

148. b) Lex vetans cohabitationem cum iudaeis nunc in desuetudinem abiit prout est positiva, nihilominus manet in suo robore lex naturalis, quae iubet vitare occasionem perversionis in fide vel incidendi in indifferentismum. Jam vero fere miraculum expostularet, qui vellet, ut iuvenis catholicus cohabitans cum iudaeo ad indifferentismum non adduceretur. Eiusmodi cohabitatio tunc solummodo culpa vacaret, si causa gravis eam expostularet et cautelae necessariae diligenter adhiberentur. Secundum dicta casus Ladislai est diiudicandus.

149. c) Nullibi nunc interduntur iudaei caeremoniis catholicis interesse, modo decenter se in ecclesia gerant. Interesse nuptiis aut sepulturae iudaicae reputatur pro civili obsequio. Officialibus aut deputatis alicuius collegii certe interesse licet; quoad privatos his difficilius id permitti potest absque scandalo; quia tamen vulgo ii tantum comitantur funus iudaeorum, qui cum eis arcte coniuncti sunt, ideo vulgo adest causa excusans, nam in loco notum est, assistentiam mere civilis obsequii valorem habere.

150. d) Iudaei rigidi (hasidim) hucusque observant praeceptum mosaicum vetans »succendere ignem in omnibus habitaculis per diem sabbati« (Exodi 35, 3) et multi catholicos ad hoc conducunt. Quoad liceitatem distinguendum esse puto: accendere ignem in foco culinae pertinet ad famulatum, propterea licet famulae aut personae ad hoc conductae istud negotium perficere. Accendere candelas in candelabris, quibus iudaei in ritibus suis utuntur, est quaedam materialis cooperatio ad sacros ritus, quae iam in Canonibus Apostolicis (n. 70) puniebatur. Sola amissio mercedis, per se patet parvae, non excusat a peccato cooperationis saltem levi; debet adhuc accedere aliqua causa. Clarum est, facilius id permitti famulis stabiliter servientibus quam personis extraneis.

In venditione tabaci nihil est quod conscientiam laedat, per se est enim communicatio in civilibus nullibi interdicta. Attamen non potest a peccato dici immunis catholicus, qui diebus catholicis festivis id facit; violat enim legem ecclesiasticam de sanctificatione festorum.

Confessarius Petro respondeat negative quoad candelas, affirmative quoad venditionem tabaci diebus festivis iudaicis; interdicit autem venditionem diebus, in quibus nostra festa cum iudaicis coincidunt.

SPES. (68)

a) Caius neque confitetur neque sacrum audit neque aliquando orat; uxori adhortanti respondet: ego vivo prouti mihi ratio dictat, ergo meae salutis certissimus sum.

b) Sophia, cum audivisset de inimica sua, eam aegrotare, rosarium recitavit ad intentionem, ut quam citissime moreretur, sperans, fore, quod a viduo duceretur.

c) Julianus oculis in faciem amasiae infixis, dicit: utinam per totam aeternitatem te intuear!

Quaeritur, quomodo in singulis casibus personae istae peccaverint?

Solutio.

151. a) Caius gravi peccato praesumptionis delinquit contra spei theologicae virtutem, etenim respuit gratias divinas et media salutis supernaturalia, confisus in suis viribus; praesumptio eius saltem interpretative pelagiana est.

152. b) Sophiae praesumptio etiam est graviter peccaminosa, etenim ausa est oratione abuti in ordine ad aliquem effectum malum i. e. ad impetrandam praematuram mortem vicinae, quam sine peccato desiderare non potuit.

153. c) Julianus verbis minus castigatis intendit solummodo amorem suum intensum manifestare et in hoc sensu suspiria eius intellegi debent, non vero ac si voluerit perpetuo in hoc statu vivere, exclusa beatitudine coelesti.

SPES. (69)

a) Vincentius, vitio luxuriae deditus, sodalibus suis dicit: donec iuvenis sum Veneri serviam, postea me convertam ad Deum. Praeter Venerem etiam Baccho homagia aliquando praestat et remorsus conscientiae quietat cogitatione: perinde est

pro statu animae meae, si uni aut duobus vitiis servio, utrumque confitebor et postea emendabo.

b) Joannes tentatione contra castitatem diu infestatus, consensit et peccando cogitavit, Deus mihi propitius erit, quia magnopere uror.

c) Venceslaus saepe et furatur et in luxuriae peccata prolabitur neque secum pugnat, quia, ait, Christus misericors instituit confessionem, in qua Deus facile peccata remittit; confitebor delicta et sicut hyssopo aspersus super nivem dealbabor.

Quaeritur, an in casibus narratis adsint peccata praesumptionis contra spem theologicam?

Solutio.

154. a) Vincentius in neutro casu peccavit praesumptione contraria spei theologiae. Ait enim s. Alph. (III, 21): »Secundum s. Thomam non est peccatum contra spem, velle perseverare in peccato sub spe aliquando poenitendi. Verum est tamen, quod difficulter hic posset excusari a peccato contra charitatem erga se ipsum, cum qui sic proponeret (ie. poenitere demum hora mortis) periculo damnationis se exponeret«. (Cf. 2-2, q 21, a 2 ad 3). Stricte neque id est peccatum praesumptionis contra Spiritum s., hoc enim committitur tunc, »quando aliquis veniam sperat sine poenitentia«. (2—2, q 21, a 1, c.) Vincentius autem vult poenitere sed poenitentiam differt ad posteriora tempora imo forte ad ultimum vitae halitum. Negari tamen non potest, dilationem poenitentiae ad mortem vulgo nuncupari peccatum contra Spiritum s. Neque peccatum praesumptionis involvit altera eius locutio, refertur enim non ad spem veniae sed ad facilitatem confitendi duo peccata eaque emendandi.

155. b) Joannes peccavit ex infirmitate et cum spe veniae, a Deo obtinendae, quam quilibet Christianus fovere debet.

156. c) Peccatum praesumptionis ob spem veniae non frequenter committitur (cf. Baller-Palm. tr. V. s. II. n. 56; Noldin II. 52), quia misericordia divina vulgo non est motivum pro peccaminosa voluntate. Contingit id in peccatis malitiae, prouti in casu narrato, quando haec ex quadam praemeditatione procedunt. Clarum est, Venceslaum commisisse peccatum praesumptionis.

SPES. (70)

a) Cornelius magnam iam pecuniae copiam in medicos et medicamenta expendit; desperata sanatione, nullum medicamentum sumere vult.

b) Cornelia per tres menses petiit a Deo aliquam gratiam; denique animo deiecto, desiit petere Deum, quia, ait, Deus videtur id dare nolle.

Quaeritur, an adsint peccata desperationis in casibus enarratis?

Solutio.

157. a) Cornelius non peccavit desperatione contraria spei, etenim bona temporalia sunt obiectum spei theologicae, quatenus considerantur ut media salutis. Id autem de Cornelio non constat, neque enim de salute aeterna cogitavit neque a Deo gratiam sanitatis petiit, desperavit solummodo de efficacia medicamentorum, quod nullum est peccatum (Elbel II. 191).

158. b) Cornelia minime peccavit; ratio est, quia Deus non semper dat id, quod petimus; si tempore conveniente non dat, nolle dare praesumitur. Alioquin adesset obligatio orationem semel coeptam in perpetuum continuare.

SPES. (71)

a) Ignatius, prosperitate gaudens et multis negotiis implicatus, cum ad s. exercitia admoneretur, respondit: quid mihi de coelo cogitare, modo hic omnia prospere mihi procedant. Imo magnopere ei placet et saepe repetit versus poëtae (Heine): Relinquo coelum passeribus et clero etc.

b) Romualdus, vitio masturbationis deditus, confitetur, se nulla amplius media adhibere velle ad se vincendum, quia per aliquot menses sincere pugnavit contra hoc vitium et nihilominus prolapsus est. Confessario adhortanti et de proposito emendationis interroganti respondet, se non posse emendationem promittere, quia futuri relapsus certus est.

c) Dorothea dicit, se tantopere adlaborare, ut bene confiteatur et unquam ad rectam confessionem pervenire posse, propterea lacrimabunda conqueritur, quod amisit spem salutis.

Quaeritur, an in praedictis casibus adsint peccata contraria spei theologiae?

Solutio.

159. a) Prior locutio Ignatii prodit, eum ob nimiam sollicitudinem circa temporalia carere spe theologica. Quilibet enim homo debet cogitare de beatitudine supernaturali et ad eam ex animo tendere; in Ignatio deest haec tendentia, proinde versatur in statu peccati mortalis ob spei defectum. Altera eius locutio prodit animum contra fidem infensum et involvit peccatum blasphemiae haereticalis. In genere Ignatius ob eloquia sua suspicionem haereseos ingerit, quod confessarius interrogationibus dilucidare debet. Iniungenda est Ignatio frequens oratio, novissimorum meditatio.

160. b) Romualdus interrogandus est, quaenam media adhibuerit ad vitium suum eradicandum, ut cognoscatur; utrum deiiciat animum in ordine ad divinum auxilium an in ordine ad suam infirmitatem. In priori casu est peccatum desperationis contrarium spei theologiae; in altero casu pusillanimitate peccat et quidem per se graviter. Confessarius debet suaviter eum instruere, quomodo ei pugnandum sit, excitare, ut spem in divino auxilio collocet, adducere exempla s. Mariae Magdalенаe, s. Augustini; si respondet, se nunc nullam habere voluntatem peccandi et se proponere Deo adiuvante non peccare, potest absolvi. Si autem tantopere infirmam habuerit voluntatem et diffidentiam in Dei auxilium, ut eiusmodi propositum elicere nolle, non posset absolvi propter malam dispositionem provenientem ex actuali peccato desperationis.

161. c) Dorotheae animi deiectio nondum potest reputari pro graviter peccaminosa desperatione, quamdiu sacramenta frequentat, orat et in genere praecepta observat, etsi pietatis exercitia forte remisse peragat; ratio est, quia certe spem salutis non amisit, quamdiu haec peragit.

CHARITAS. (72)

Paulus, audita concione de actu charitatis erga Deum, anxietatibus laborat, quia sequentes actus pro actibus charitatis habuit, quos ita proponit:

a) Aliquando meditabar de Deo, quomodo cum eius gratia his in terris vivere amoenum sit et in altera vita gloria divina frui; haec meditatio magnam delectationem mihi afferebat.

b) Post talem meditationem aliquis motus grati animi in corde meo nascebatur, quem libentissime admittebam et sub eius influxu vitam virtuosam proponebam.

c) Aliquando considerabam opera divinae misericordiae, quibus nos cumulati sumus, et praesertim aspiciebam Christum crucifixum, eius vulnera, mortem et tunc suspirabam: Deus, quam bonus es, diligo te ex intimo corde.

d) Aliquando considerabam iustitiam divinam, cuius multa documenta tum in historia biblica tum in profana video et dicebam: quam iustus es, Domine!

e) Aliquando dum chemicos processus in cellulis plantarum et cursum astrorum considerabam, diffundebatur animus meus in hac consideratione admirans et exaltans Dei sapientiam et potentiam.

f) Aliquando dedi eleemosynam pauperi absque aliqua speciali intentione sed tantum considerabam Christi misericordiam, qua commotus, dixi, in gloriam Dei - hominis cedat hic actus meus.

g) Aliquando morbo visitatus suspirabam: Sit nomen Dei benedictum!

h) Frequentissime repeto verba s. Francisci As.: Deus meus et omnia! nihil cogitans de Deo propter se diligendo.

Solutio.

162. a) Meditatio eamque sequens delectatio minime involvit actum charitatis; affectus hic est simplex amor concupiscentiae; eius enim *finis cui* non est Deus sed ipse Paulus; aliis verbis: Paulus delectabatur de sua felicitate, cuius fontem in Deo videbat.

b) Gratitude, nata ex consideratione beneficiorum divinarum, pertinet ad amorem concupiscentiae, etenim Pauli animus ferebatur exclusive in Deum, ut ei bonum seu finis cui etiam erat ipse Paulus.

c) Pauli affectus exorsus est a consideratione propriae felicitatis Christi morte promerita et a grato animo erga Deum, hoc modo coepit ab amore concupiscentiae, qui eum perduxit ad considerandam Dei bonitatem erga nos (ut attributum relativum) et amorem Dei hoc attributo ornati, quod iam est perfecta charitas. Possibile quoque est, quod processus psychologicus in Pauli anima eiusmodi fuit, ut non successive sed uno actu amorem concupiscentiae et charitatis elicuerit. (Mazella, De virt. inf. n. 1168).

d) Nuda admiratio Pauli ex consideratione iustitiae divinae, relucens in fati hominum, non est actus charitatis, quia non est actus voluntatis; potius pertinet ad actum fidei. Per se patet, eiusmodi admirationem facillime generare posse actum charitatis.

e) Si verbis »diffundebatur animus meus« exprimit Paulus complacentiam in Dei sapientia et omnipotentia, tunc revera actum charitatis elicuit. Quaestio solummodo moveri potest, num hic actus charitatis supernaturalis sit; difficultas ex eo procedit, quod in casu bonitas Dei consideratur ut sesse diffundens »in ordine naturae per creationem et gubernationem«. (Billot, De virt. th. 31, §. 2). Nihilominus censeo, hunc actum charitatis esse supernaturalem modo Paulus habitualiter fidem habeat, etenim ad actum charitatis supernaturalem sufficit et necessarium est, si Deus diligitur, ut a fide nobis proponitur (cf. Mazella, De virt. inf. n. 1251, qui allegat Suarezium); iam vero et ratio et fides nobis dictat, bonitatem Dei diffundi in mundo, neque Deus, quem ratione cognosco ut sapientem, est distinctus a Deo, quam fides mihi sapientem et potentem praedicat. Dixi »modo habitualiter fidem habeat«, nam absque ea Paulus conciperet Deum omnino naturaliter et amor eius esset omnino naturalis.

f) g) Si actus alicuius virtutis exercetur ex motivo eiusdem virtutis, tunc speciem moralem ab ea accipit; vgr. si quis eleemosynam dat, ut subveniat pauperi, exercet actum misericordiae; si vero ponitur actus bonus ex motivo charitatis Dei,

vgr. ut gloria Dei crescat, quod etiam expressio »sit nomen Dei benedictum« significare potest, tunc actus hic habet valorem actus charitatis. Locutio sub f) certe involvit actum charitatis; locutio sub g) potest esse aut actus simplicis subiectionis erga divinam voluntatem aut actus charitatis; id dependet a motivo.

h) Acclamatio s. Francisci, si cum eius spiritu profertur, continet perfectum actum charitatis, etsi omittatur multiloquium.

CHARITAS. (73)

a) Agatha confitetur, se esse inquietam circa suum erga Deum amorem et quidem contristatur eo, quod nunquam possit actum amoris sentire, quod cor eius aridum sit, dum alias mulieres et lacrimis perfundi et profunde suspirare cernat.

b) Conqueritur, quod filium suum unicum plus quam Deum diligere videatur.

c) Joanna confitetur, quod indulgeat inordinato amori sui ipsius, quia saepe praefert deambulationem orationi, non curat animam suam, ut virtutibus eam exornet et characterem formet; egoismo ducitur in consortio cum proximis, nullum gustum in sui abnegatione sentit.

Quaeritur, an peccaverit et quomodo cum ea procedendum sit?

Solutio.

163. a) Agatha non debet turbari quoad suum amorem ex eo, quod eum non sentiat neque lacrimis perfundatur; sunt enim personae nervosae, quae sensitivae facillime commoventur, dum aliae, aridae, nullam commotionem sentiunt; amor Dei non consistit in commotione sensitiva, quae non semper est in nostra potestate sed in actu voluntatis. Eiusmodi commotiones non sunt spernendae sed neque hominem inflare debent neque in eis essentia amoris est collocanda; si adsunt, licet eas admittere, imo et petere eas a Deo non est prohibitum, si desunt (Scaramelli, Direct. spir. III., VI, 3). Instruenda est Agatha, quod etiam aridus actus charitatis valorem maximum apud Deum

habet et quod certissimum signum charitatis est observatio praeceptorum Christi (II. Joan. III. 8).

164. b) Ex communi theologorum sententia non sumus obligati ad amorem erga Deum intensive summum, quia hic non semper est in nostra potestate, et dein personae nobis magnopere coniunctae excitant in nobis etiam sensitivum amorem, quo actus voluntatis roboratur et sustentatur. Erga Deum sufficit amor appretiative summus, i. e. qui cum summa Dei appretiatione coniunctus est. Si Agatha praecepta Dei observat, quod ex tenore confessionis cognosci potest, dubium eius de suo amore reputandum est pro scrupulo, qui oritur forte ex eo, quod inter amorem appretiative et intensive summum distinguere nequit. Si vero absque necessitate leges divinas violat ob filii amorem, vgr. propter eius amoenitatem vel commodum, tunc revera amor eius erga filium inordinatus est. In hoc casu instruenda est, Deum esse summum bonum et summum Dominum, a quo salus et prosperitas etiam eius filii dependet, ideo diligere debet plus, quam ceterae creaturae.

165. c) Joanna non deponit confessionem suorum peccatorum sed verbis generalibus depingit statum suae animae, inclinationes pravas, imperfectiones, quae omnia omnino convenienter proponere potest pro objecto suarum meditationum; aliis verbis Joanna non distinguit asceticam ab ethica, ascetim a confessione sacramentali. Propterea debet in specie interrogari a confessario, num orationes obligatorias omiserit, num proximo aliquam iniuriam intulerit, aut aliquem odio prosequatur. Quoad inordinatum amorem sui ipsius, hic continetur in aliis peccatis, quae vulgo in confessione explicantur ideo non est distincte declarandus. Et quidem quatenus denotat negligentiam in corporis salute, continetur in peccatis contra V. decalogi praeceptum; quatenus manifestatur per incuriam de salute animae, sufficienter explicatur in violatione praeceptorum Dei, Ecclesiae ac officiorum suorum; de cetero quatenus est radix et signum incuriae in progressu ad maiorem perfectionem, per se non est peccaminosus.

INIMICITIA. (74)

a) Carolus, discipulus, petiit a sodali suo, quem amicum reputabat, librum in commodatum; renuit collega; Carolus offensus non vult loqui cum eo et ita iam per unum mensem omne commercium inter eos abruptum est. A confessario admonitus, reponit, se nil mali desiderare suo sodali, sed non posse eum alloqui; se libentissime tamen responsurum esse, si iste prius loqui inceperit.

b) Agatha cum Bertha propter damnum per gallinas causatum rixata est; ab hoc tempore omne commercium inter eos abruptum est, nulla vult alteram salutare.

c) Cooperator a paracho suo aliquo modo offensus, parochum non salutatur et occasione festi Nativitatis Domini gratulationes consuetas negligit.

Quid ad casus narratos confessarius?

Solutio.

166. a) Carolus, si nulla proportionata causa subsistente repulsam passus est, non patitur iniuriam sed simplici offensa afficitur (Ball-Palm tr. V. s. 6. n. 67), nullum enim ius Caroli violatum est, sed solummodo molestia illata. Ob hanc non meretur ille sodalis, ut tractetur familiariter, ut collega-amicus, attamen manet eius sodalis, ideoque tractari debet ut collega; denegari ei possunt signa dilectionis et urbanitatis ex titulo amicitiae debita, non autem ex titulo collegii praestari solita (cf. opus cit. n. 71). Jam vero discipuli mediarum scholarum sub eodem magistro et in eodem conclavi studiis vacantes aliquem contactum ex rei natura ordinarie habent, contactus hic secumfert et locutionem et praestationem aut postulationem alicuius obsequii. Carolus abruptus omne consortium, tractat sodalem non ut sodalem sed ut personam extraneam et ignotam et eo ipso subtrahit ei signa charitatis pro sodalibus communia.

Quaeritur, quomodo peccaverit? Quoniam causa offensae erat levis, reputatur et offensa levis, proinde et subtractio signorum communium est signum levis offensae non remissae, ergo leve peccatum. Eo magis id valet, quod Carolus non prosequitur odio sodalem, nullum enim malum ei optat, sed potius

superbia excaecatur, quae non permittit eum os aperire. Contumacia eius in taciturnitate erit per se signum superbiae, quae secluso contemptu est venialiter peccaminosa.

Imo si Carolus per aliquot dies nollet respondere alloquenti sodali ad tristitiam iustam manifestandam vel ad eum corripiendum vel denique ad abominationem erga pravam characterem manifestandam, nullum esset peccatum.

Quid si supposita hac levi causa Carolus per longius tempus omne consortium cum collega vitaret et in genere communia signa charitatis denegaret? Eiusmodi agendi ratio non esset graviter peccaminosa ex hoc solo titulo, quod est subtractio signorum charitatis, nam cum odium grave absit, non ex odio sed ex alia causa haec diuturna subtractio procedit (puta ex superbia, naturali contumacia), tamen potest esse graviter peccaminosa ratione scandalii, molestiae vel offensionis, quam collegae parit. Propterea his malis effectibus absentibus, quod non raro contingit, erit solummodo leve peccatum. Confessarius debet in omni casu Paulum adhortari ad consortium cum sodali instaurandum, excipe si vgr. morum corruptela ei immineret, vel si ipse collega superbus eum devitaret. Absolutio tunc solummodo deneganda esset, si denegatio signorum charitatis constitueret mortale peccatum. Ad id cognoscendum oportet interrogare poenitentem, an collega aegre ferat denegationem signorum charitatis, an fortasse alii collegae hac agendi ratione ad iram excitentur.

167. b) Rixae feminarum, quibus causam dant damna a gallinis causata aut liberi aut leves diffamationes, per se pro peccatis venialibus reputantur, nisi perveniatur ad gravia convicia, caedes. Propterea et taciturnitas mulierum vicinarum est peccatum leve. Est peccatum, quoniam vicini in vicis inter se colloqui solent, id fluit iam ex natura eorum mutuae relationis; est leve quia et causa rixae et offensa reputatur pro levi. Si abruptio consortii per plures hebdomades durat et imminet periculum, ne modica offensa in grave odium mutetur, aut si scandalum exinde timetur, confessarius sub poena denegandae absolutionis imponat mulieri utrique, ut vicinam consueto nostro: »Laudetur J. Chr.« salutet et cum ea loquatur. Sciat, sibi impossibile esse obiectivum iudicium ferre, cui parti ius faveat, quia quilibet poenitens causam narrat, prouti subiective affectus est.

Adverte tamen, si non ageretur de vicinis, sed de personis seiunctis, non sunt severe adigendae, ut consortium instituant, quum contactus earum omnino liber sit; tamen saltem Laudetur J. Chr. dicere debent, haec enim salutatio in nostris vicis pro signo communi charitatis habetur.

168. c) Urbanitas expostulat, ut cooperator suum parochum salutet; quando id negligit, non speciale signum charitatis denegat sed signum commune; negligitur enim officium generaliter debitum superioribus non autem nudum signum amicitiae. Adde, quod paritur scandalum pro parochianis; etsi forte una alterave omissio salutationis per se leviter peccaminosa fuerit, ratione scandali, si a famulis vel fidelibus advertitur, facile mortalis evadere potest.

In genere salutatio inter personas sanguine vel officio coniunctas pertinet ad communia signa charitatis. »Si dilectio et eius signa debeantur aliis titulis, naturali vinculo, ut consanguinitatis, collegii et similibus, licet specialiora sint, quam quae omnibus hominibus debentur, inter generales computantur et non potest inimicus ab eis excludi« (Lorca apud Ball-Palm. l. c.).

Gratulationes, quas homines sibi praestant occasione quarundam festivitatum, ut vgr. die onomastica, festo Nativitatis Domini, non possunt accenseri signis communibus charitatis. Ideo per se minime peccat cooperator ob omissionem earundem.

INIMICITIA. (75)

a) Joannes confitetur, sibi saepe redire in mentem iniuriam, qua olim ab Adalberto lacessitus erat, se eam saepe menteolvere et suis domesticis narrare.

b) Caietanus nolens pro furto et honoris offensa acceptare satisfactionem a Vincentio privatim oblatam, actionem contra eum in iudicio instituit, ut a iudice puniatur.

c) Clara interrogat confessarium, quid sibi faciendum sit, nam ab Agatha a se offensa veniam petebat manum ei porrigendo et haec omnem reconciliationem respuit.

d) Sophia, morti proxima, non vult admittere novercam, veniam pro aliqua offensione rogantem, aiens: condono, sed

nolo, ut ante oculos meos compareat. Quaeritur, an moriens absolvi possit?

Quid de istis casibus sentiendum est?

Solutio.

169. a) Recordari iniuriae sibi illatae per se nullum est peccatum, quia factum verum solummodo revocatur in mentem; attamen periculosum est et quidem ideo, quia resuscitata memoria facti, facile odium reviviscere potest. Propterea interdicens est Joanni, ne de iniuria cogitet.

170. b) Theoretice theologi communiter docent, licere sive ex amore iustitiae sive ordinis publici citare inimicum ad iudicem, etsi privatim satisfactionem offerat (cf. Baller-Palm. II. 88), quilibet enim ius suum prosecui potest; attamen recte advertit s. Alph., se in praxi nunquam tales absolvere, nam, ait, »nunquam mihi suadere potui, quod huiusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune et iustitiam diligant, ut omnis vindictae labe sint defaecati« (Hom. ap. IV. 17). Excipi potest casus, si ageretur de homine, qui plures et pluries lacesivit iniuria. Caietanus regulariter absolvi non potest, donec deposito omni rancore promiserit, se privatam satisfactionem acceptaturum neque in iudicio appariturum esse.

171. c) Si Clara nullum damnum intulit aut illatum reparavit, omnino tranquilla sit; fecit enim, quod ad eam pertinebat; altera mulier abruptionem commercii suae superbiae imputet.

172. d) Obiective rem considerando, censemus, Sophiae condonationem non esse sufficienter certam; si enim odium sincere deponeret, nescio curiam noluerit personam tam affinem ut noverca, penes se videre. Itaque si constat, Sophiam revera odium non deposuisse, absolvi nequit. Attamen si odium revera deposuisset et solummodo aspectum eius vitare vellet ob aliquam iniuriam illatam, et bona fide ipsa putaret, se officio satisfacere, posset absolvi.

ORDO CHARITATIS. (76)

a) Laurentio, syndico, commissum est munus distribuendi salis, qui a gubernio provinciae agricolis ob siccitatis calamitatem

destinatus est. Frater Laurentii duplicem portionem ratione consanguinitatis expostulabat; cum repulsam passus sit, exprobrat Laurentio defectum amoris fraternalis. An recte?

b) Oppidum N. fere totum combustum est; inter desolata aedificia videt Franciscus et domum amici sui praedilecti et fratris unius sat opulenti et alterius, quem premit quidem gravis necessitas, qui tamen est homo nequam. Cum nequeat omnibus opitulari, posthabitis fratribus succurrit amico, habitationem ei praeberet, pecuniam mutuaret. Indignantur fratres, an recte?

Solutio.

173. a) Laurentius committeret peccatum acceptionis personarum qua iniquus distributor, si aliter fecisset ac fecit; non enim sua distribuebat sed communia, non agebat qua persona privata sed qua publica, non charitate sed iustitia debuit se dirigere in munere suo fungendo, haec autem consanguinitatem nescit.

174. b) In necessitate gravi et extrema debemus succurrere potius fratribus quam amicis vel aliis consanguineis. Franciscus peccavit graviter, si solummodo ex amore inordinato absente alia causa amicum priore fratre quoad habitationem praetulit, supposito quod uterque graviter premebatur et nullo alio modo utrique succurrere potuit. Non peccavit propter fratrem alterum, quem utpote indignum fraterno amore licite non prosequeretur; ratio est, quia coniunctio sanguinis non est unicum vinculum, quo homines connectuntur, sunt etiam alia, fortia, quae subsistente conveniente causa praevalent.

ELEEMOSYNA. (77)

a) Gregorius vicino suo mutuare pecuniam ad aliquam negotiationem poscenti denegat, hanc unice ob causam, quia mutuis occupari non vult; item alii vicino renuit commodare instrumenta agricultoria, ne deteriorentur.

b) Stanislaus nunquam dat eleemosynam mendicis sive ad ianuam eius pulsantibus sive in via petentibus; et quidem tum ideo, quia mendici saepius ei plures res furati sunt, tum quia putat, per eleemosynam sine discretionem ostiatim mendicantibus datam otiositatem foveri. De cetero quotannis dat aliquam pecu-

niae summam pro societate s. Vincentii à Paulo et in tributis solvit, ut ait, ea quae necessaria sunt pro miseria pauperum sublevanda.

c) Sebastianus, vir ditissimus, summa hieme repulit mulierem, eleemosynam petentem, quae brevi post reperta est fame mortua. Alia die pauperi opifici denegavit mutuum 10 coronarum, quod miser enixe postulabat ad pretium locationis pro habitatione solvendum. (Ex Génicot).

d) Romanus, confessarius, tanquam gravis peccati reos obiurgat in confessionali poenitentes, qui nullam aut paucam largiuntur eleemosynam.

Quid de singulis casibus iudicandum est?

Solutio.

175. a) Gregorio offerebat se occasio exercendi actum beneficentiae seu charitatis non autem misericordiae, quia non de paupere sublevando agebatur, sed de beneficio praestando ex amore proximi. Certe si absque incommodo mutuare posset et per mutuum parceret gravi curae vicini sui, esset aliquo modo laesa charitas. Sed in praxi vix aliquando peccatum committitur, tum quia pecunia mutua in publicis institutis facile obtineri potest, tum quia privati homines mutuantes vulgo incommoda sentiunt et proinde excusantur a mutuo dando. In altero casu, si nullam rationabilem habuit causam denegandi commodatum, peccavit contra charitatem, quam vicini sibi debent. Gravitas dependet a damno vel molestia, qua vicinus affectus est.

176. b) Quod Stanislaus repellit a domo ostiatim mendicantes, certe non peccat graviter; istis enim, quia versantur in communi necessitate, secundum probabilem opinionem succurrendum est sub levi peccato. Imo censeo, eum nullo modo peccare, ne leviter quidem; ratio est, quia Stanislaus eleemosynae largitionem non denegat sed modum consuetum eam erogandi mutat; facit vero id ex rationibus non spernendis, nempe ne per furta damnum patiatur et ne pigritiam indignorum foveat. (Ita Génicot Cas. de eleem. 1. contra Lehm. Cas. n. 104). Debet tamen monstrare pauperi instituta misericordiae, quorum est curam pauperum gerere. Alioquin essent moraliter malae omnes leges, quibus in civitatibus excultis mendicitas interdicti-

tur et incarcerationum mendici circumvagantes. Si tamen in aliqua regione pauperibus non est sufficienter provisum, contra charitatem agit, qui indiscriminatim omnes pauperes ab ostio repellit multi enim inter eos, qui ad ostium pulsant, gravi aut communi necessitate vere premuntur et alio modo sibi succurrere non possunt.

177. c) In his adiunctis per se facile exsurgere potest gravis obligatio succurrendi proximo; siquidem certe tenemur sub gravi succurrere indigenti in extrema, prouti mulier, aut in gravi necessitate, ut operarius, constituto. Haec valent, si Sebastianus scivit utriusque necessitatem; tunc graviter peccasset, si ex avaritia nihil dedisset. Si autem ideo non dedit, quia utriusque necessitatem fictam existimavit, non peccavit. Item non peccasset, si alio modo eleemosynam largiebatur et his pauperibus viam sibi succurrendi monstrasset; nemo enim tenetur omnibus pauperibus occurrentibus eleemosynam largiri.

178. d) Certum quidem est, praeceptum eleemosynae obligare sub gravi, attamen in casu particulari difficile est determinare, num grave peccatum commissum sit. Tum quia magis urget istud praeceptum eos, qui superflua, quam eos qui tantum necessaria statui habent; tum quia non facile est determinare singulorum necessitatem; tum deinde quia divites fere semper aliquam eleemosynam etsi non in consueta forma largiuntur et denique quia naturale et christianum praeceptum eleemosynae in multis regionibus per leges civiles determinatum est, quae pro causis pauperum in tributis solvere iubet. Propterea recte agunt confessarii, si ad eleemosynam dandam in genere adhortantur poenitentes, quin peccatum grave determinent.

CORRECTIO FRATERNA. (78).

Confessario occurrunt poenitentes, qui ratione fraternae correctionis vario modo delinquere videntur et quidem:

a) Discipulus quidam, qui collegam suum pravum librum legentem corripere omisit;

b) Agnes, quae messorum turpia narrantes commonuit, sed, ut conqueritur, derisa est et nescit, an pro futuro ad correptionem teneatur;

c) Angela, quae maritum, cum ebrius domum revertitur, admonet, ex quo rixae oriuntur;

d) filiusfamilias quidam, qui patrem ebrium asperis verbis alloquitur;

e) Petrus, qui amico ad meliora adhortanti respondit, se ab eo nullam admonitionem unquam acceptare velle.

Quid ad singulos casus confessarius?

Solutio.

179. a) Personae privatae rarissime ad correptionem fraternam sub peccato tenentur, nisi excipias valde familiariter viventes. Propterea discipulus, si nullam auctoritatem in collegam suum habuit, nec amicitiae vinculo cum eo ligabatur, nullam spem fructus habere potuit et proinde, minime peccavit, omitendo correptionem. Si spes fructus affulgebat, quia vgr. eius sodalis multo iunior erat, peccavit non avertendo malum a proximo; quoniam autem non approbabat lecturam discipuli sed verecundia cohibebatur, peccatum eius grave non est.

180. b) Agneti dicat confessarius, ut pro futuro abstineat a correptione in his circumstantiis, nam sua importuna admonitione potius obest quam prodest.

181. c) Angelae miserae persuadeat confessarius, ut ab admonendo marito abstineat, quando hic ebrius est, nam tunc tempus non est opportunum imo importuna correptione incitat maritum ad alia peccata; potius differat eam ad tempus, cum somno refectus usum rationis recuperaverit.

182. d) Filiusfamilias non peccat, si bibulum patrem verbis aliquatenus acerbis alloquitur, modo abstineat a laesione honoris paterni et a correptione tempore ebrietatis paternae.

183. e) Petrus, respuens correptionem, peccavit superbia; excipe si ageretur de correptione omnino imprudenti.

CORREPTIO FRATERNA. (79)

a) Paulinus, gymnasii professor, animum discipulorum captare intendens, multa intuetur, sed pauca se videre dissimulat; itaque non vult »nocere« discipulis, etsi eos pluries viderit cau-

ponam visitantes et cum procacibus puellis familiariter conversantes. Amatur et extollitur a iuvenibus! Quid coram Deo sentiendum?

b) Caius, sacerdos, videt alium sacerdotem cibos carnales feria VI. in diversorio publico sibi disponentem. Num teneatur eum admonere?

c) Cornelius audit narrantem aliquem rusticum de sua filia, eam in animo habere ingredi optimum famulatum in urbe apud civem sibi notum. Scit Cornelius civem hunc inhiare puellis pulchris, easque seducere. An teneatur eum admonere?

Solutio.

184. a) Ecce venatorem popularitatis cum nocumento suae conscientiae! Magister tenetur ex officio invigilare moribus discipulorum eosque corripere. Peccat itaque graviter, quoties omitendo admonitionem causa est, quod discipuli in morum corruptela persistunt aut progrediuntur. Non autem semper eodem modo procedere debet. Si agitur de discipulo, qui exceptionaliter quid mali facit, potest ei non nocere et clam fraterno imo et paterno modo corripere; si vero discipulus frequenter delinquit et praesertim quando corruptionem diffundit, debet professor ex officio procedere et abscindere unum membrum infectum, ut totum corpus saluum fiat.

185. b) Distinguendum est: si sacerdos est notus, potest eum monere modo omnino convenienti et affabili; imo tenetur sub peccato id facere, si timetur scandalum laicorum. An secluso scandalii periculo sub peccato teneatur admonere, disputant theologi; puto tamen reverentiam legis exigere, ut fiat admonitio, modo fructus speretur; id in casu evenit, nam agitur de sacerdote, ergo Caius leviter peccasset omitendo correptionem. Si sacerdos ignotus est, abstineat ab omni correptione, ne confundatur.

186. c) Cornelius tenetur sub peccato ex charitate attentum reddere rusticum ad periculum imminens eius filiae, quoties absque incommodo id facere potest.

CORRECTIO FRATERNA. (80)

a) Melania, ancilla, animadvertit, Annam filiorum institutricem, noctu iuvenem quendam in cubiculum admittere atque cum parvis pueris aliquando inhoneste agere. Cum Melania sedulo claudendo ianuam iuvenem illum impedire velit, Anna, quae in domus gubernatione maximam partem habet, ei gravia mala minatur, si denuo ianuam obseret vel si quidquam mali de se loquatur. Quaeritur, num Melania propter metum crimina Annae silentio premere possit? (Lehmkuhl Cas. consc. I. n. 107).

b) Martinus saepe in sodalium suorum peccata inquit partim ex curiositate, partim hunc in finem, ut superiori rem deferat eiusque benevolentiam captet.

c) Henricus confitetur: aliquis e condiscipulis, meis docuit me turpia secumque facere iussit; huic semel consensi. A confessario admonitus de gravi obligatione manifestandi hunc occultum corruptorem praefecto collegii, respondet, se nunquam id ausurum esse; quare sine absolutione dimittitur (cf. Génicot Cas. consc.) Quomodo isti casus diiudicandi sunt?

Solutio.

187. a) Quod ad peccatum cum iuvene attinet, Melania debet tempore statuto ianuam claudere, si hoc officium ei commissum est; neglectus enim officii significaret conniventiam peccatis Annae. Si haec cura ei commissa non est, tenetur impedire peccata Annae, quoties sine incommodo id facere potest, id tamen in casu contingere non videtur ob magnam Annae auctoritatem.— Multo minus licet ei silentio premere, quod pueri vel puellae familiae ab Anna ad turpia seducantur; agitur enim de gravissimo damno spirituali ab innocentibus avertendo. Timor igitur incommodi, etiam non levis, silentium excusare nequit, eo minus quod certe parentes cum gratissimo animo rem excipient.

Si autem ob singulares circumstantias parentibus res deferri non posset, tunc aut instruendi sunt liberi, ut mala non permittant, aut negotium id committatur gravi personae extraneae.

188. b) Martinus cum non sit superior, non debet in peccata sodalium inquirere; imo talis consuetudo immunis a labe

peccati non videtur, etenim adversatur charitati et certe causa est, quod in collegio nexus amicalis impossibilis evadit. Quoties defectus sodalium absque necessitate superiori defert ideo tantum, ut in aliorum ruina ipse in favore crescat, peccat contra charitatem et si agitur de re gravi, peccatum hoc denuntiationis est mortale. Denuntiatio eiusmodi est abusus correptionis fraternae.

189. c) Nimis festinavit confessarius, quando poenitentem statim gravis peccati reum declaravit ideo, quia denuntiare noluit. Hoc accideret solummodo tunc, quando Henricus sciret, sodalem alios corrumpere et propterea moribus totius collegii periculosum esse; etiam in hac hypothese cautissime debet confessarius procedere, quia solidaritatem alumnorum vel condiscipulorum saepe ne confessarius quidem vincere valet ideoque spes fructus ex admonitione non semper affulget. Suadeat poenitenti frequentem confessionem, ut charitate divina crescente, abominatio peccati apud Henricum crescat. Quod si corruptio diutius duraret, tunc absque dubio sub poena absolutionis denegandae obligari debet aliquo modo rem superiori deferre. Si tamen poenitens respondet, se ignorare, num corruptor alios quoque tentaverit, debet confessarius eum adhortari ad denuntiationem faciendam tunc, quando audiverit aliquem casum sollicitationis.

ODIUM ABOMINATIONIS. (81)

a) Gasparus collegam in officio habet hypocritam et superbum, quocum saepius iam rixatus est; cum saepius ab eo molestia affectus esset, nunc declinat eius occursum, non vult de eo cogitare, aut eum aspicere nec »aliquid commune cum eo habere«, de eo saepe loquitur cum despectu inter personas notas.

b) Confessarius mandat Ioanni, ut pro poenitentia recitet 5 Pater noster ad intentionem inimici; renuit Ioannes, quid cum eo confessarius facere debet?

c) Iacobus dicit, se antipathiam sentire erga Paulum, eumque saepius aliquo verbo pungere. Quid de istis casibus sentiendum est?

Solutio.

190. a) Odium abominationis, quo aversamur verum vitium personae ac ipsam personam quia et quatenus hac mala qualitate infecta est, non est peccaminosum, modo limites non excedat. Ut cognoscatur, utrum Gasparus odium abominationis aut inimicitiae in suo corde coquat, interrogandus est, num optet Gasparo malum formaliter, ie. malum ut malum, non propter maius bonum. Gasparus, ut in casu, odio tantum abominationis prosequitur collegam et admonendus est, ne odium hoc in inimicitiam degeneret.

191. b) Prouti non datur specialis amor inimicorum sed tene-mur tantum generali charitate etiam inimicos prosequi, ita nulla adest obligatio specialiter orandi pro inimicis sed tantum non sunt excludendi ex orationibus, quas pro omnibus fundimus (vgr. Pater noster). Nihilominus quando odium in corde pullulat, consulitur ad affectum hunc exstinguendum pro inimicis orare; potest etiam eiusmodi oratio pro poenitentia imponi, ast cautissime procedendum est, ne ignis odii exstinctus iterum erumpat. Propterea si Ioannes affirmat, se ex corde omne odium deponere et talem poenitentiam acceptare non vult, cedere ei debet sacerdos.

192. c) Prouti sympathia ita etiam datur antipathia innata erga quasdam personas. Christianus debet se interrogare, cur-nam antipathiam sentiat, et debet attendere, quomodo eam manifestet; non potest autem permittere, ut passiones naturae corruptae eum dominantur, cuiuslibet enim hominis est illas secundum moralitatis leges refrenare. Si eiusmodi aversio oritur e diversa indole naturali, coërceri debet, ne coniungatur cum vilipensione et despectu proximi; tunc enim esset peccaminosa graviter vel leviter ratione habita offensionis; ratio est, quia in hoc casu naturalis propensio per actum voluntatis approbatur et motus antipathiae fiunt actus odii. Quando vero homo naturalem istam aversionem cohibere conatur, motus antipathiae utpote omnino involuntarii non imputantur. Clarum quoque est, non esse peccaminosam antipathiam, si perversitas proximi ei originem dat, modo rectos limites non transgrediatur; tunc enim est odium abominationis. — Jacobus interrogandus est, num

Paulum verbis pungentibus graviter offenderit aut ei gravem molestiam causaverit; in casu affirmativo dicendum est, eum graviter peccasse.

MALEDICTIONES. (82)

a) Vincentius ex militia redux culturae extraneae documenta praebet, nam tum contra equos tum etiam contra homines in ira ebullire consuevit verba: sacrament, crucifix. Amoena et amara ex militari vita narrans, vera falsis ornans, verbum psiakrew (sanguis caninus) saepissime in narrationem plectit. Cum sodali suo altercans non parcit ei, dicens: diabolus te perdat, infernus devoret, fulgur te feriat, nominat eum bestiam etc., non raro etiam contra parentes eadem verba profert.

b) Agatha loco signi crucis incipit confessionem a verbis: bestia, psiakrew etc. — Quaeritur, quomodo maledictiones Vincentii pensandae sint et quomodo Agatha tractanda?

Solutio.

193. a) Quod notat Génicot (I. 295.) de blasphemia, eadem iure de nostris maledictionibus dicere debemus: »aestimatio communis praeponderare debet etymologiae et grammaticae sive in affirmando sive in negando caractere graviter iniurioso alicuius formulae«. Quaelibet gens sibi proprias maledictiones habet. In Polonia locutiones blasphemae in usu non sunt, quem non moerendum defectum magnus numerus maledictionum supplet. Definitio s. Alphonsi nostro usui loquendi non convenit; dicit enim s. Doctor: »maledictio est, qua quis optat vel imprecatur alteri malum sub ratione mali« (II. 83). Definitio haec non exhaurit ea peccata, quae apud nos sub nomine maledictionum veniunt. Relate ad nostrum usum loquendi possumus eas definire: maledictiones sunt verba ab homine affectu agitato aut otiose prolata, quae vanam nominis Dei usurpationem, contumeliam aut diram imprecationem exprimunt. Quoad diras imprecationes in nostris maledictionibus possumus dicere cum s. Alphonso (IV. 131), eas esse »interiectiones quasdam ad significandam iram« aut verba, »quae modo optativo et non ex seria

intentione optando proferuntur». (Idem in ep. ad Bart. de Marco). Ideoque in pensanda earum gravitate attendendum est: 1) ad affectum, ex quo procedunt, 2) ad homines, a quibus proferuntur, 3) et ad eos, contra quos proferuntur, nam facile ob gravem contumeliam reatum gravis peccati nanciscuntur; 4) ac denique ad aestimationem communem, quae alias maledictiones pro gravibus alias pro levibus habet.

In nostro casu Vincentius miscendo otiose sermoni psia-krew, bestia, per se maledictiones contumeliosas profert sed non peccat graviter; neque puto eum graviter deliquisse invocando diabolum aut cholericum morbum in rixa cum suo sodali, quia inter homines inferioris classis tales locutiones frequentes sunt nec habentur pro gravibus peccatis. Excipe, si ex gravi odio procederent vel gravem offensam causarent. Verba: sacrament, crucifix, Herr Gott, ii, ex quorum patria haec merx provenit (Noldin, De praec. 205) non pro blasphemiiis habent sed significationem vanae usurpationis nominum sacrorum eis attribuunt. Apud nos vero habentur in classi infima pro gravissimis maledictionibus, ideo qui eorum se accusando subiungit, quod alicui graviter maledicebat, debet numerum assignare, quia gravia peccata commisisse creditur.

194. b) Doceat confessarius simplicem mulierculam rectum modum confitendi; interdicat repetere singulas maledictiones et contumelias, sufficit enim generalis earum accusatio, quia plebeiae mulieres proferentes maledictiones vulgo levia peccata committunt. Dixi »vulgo« et minime nego, eas aliquando graviter delinquere; sed gravia peccata maledictionis facilius eruet confessarius tunc, quando peccatorum odii aut contumeliae se accusant; hac occasione interroget, num maledixerint his personis; ita expiscabitur gravia peccata. Nec inquietetur sacerdos ob numerum maledictionum forte non assignatum, nam plures maledictiones ex eodem impetu irae prolatae unum peccatum constituunt.

Si Agatha est materfamilias et filiis maledicit, specialiter ab hoc vitium reprehendenda est eique exponere oportet, quod scandalo peccat erga filios et delicatioris affectus prolis exstinguit ideo, quia infantes ad horribilia in maledictionibus audienda assuefacit. Si Agatha consuetudinaria est, suggeri ei potest,

ut precibus iaculatoriis loco maledictionum os suum assuefaciat vel ut aliquando sibi imponat parvam poenitentiam pro qualibet maledictione. Si consuetudini exstirpandae serio adlaborat, non imputantur ei maledictiones, quas sine advertentia profert.

SCANDALUM (83)

a) Eugenius, parochus, coquam habet et animo hilarem et vultu formosam. Rustici primo curiose domum plebanalem aspiciunt, postea saepius de parochi innocentia suspiciones movent, quas ipse parochus in confessione audit, et denique liberiores quasdam expressiones coquae in mala vertunt. Quid de isto scandalo?

b) Angela matrimonio iuncta est cum medico quodam, quem demum post nuptias infensissimum hostem Ecclesiae catholicae cognoscit. Quoties sacrum audire aut devotioni maiiali vel rosarianae interesse vult, maledicit maritus; quaerit misera a confessario, quid sibi in tristi suo statu faciendum sit?

c) In collegio quodam iuvenum Caius unicus omnino castus invenitur. Deridetur a collegis, qui saepius ex industria turpes imagines ei monstrant et turpia coram eo loquuntur, ut castitatis suae naufragium patiatur. Quaeritur, an et quale sit scandalum in casu posito?

Solutio.

195. a) Etsi parochus nullius peccati contra castitatem reus sit, nihilominus detinendo coquam non convenientem parochianos scandalizat. Detentio famulae est scandalum activum, indirectum; suspiciones et oblocutiones parochianorum sunt scandala passiva et quidem pusillorum; ratio ultimi est, quia ruina spiritualis (peccata parochianorum) fundamentum habet in inconvenientia et levi caractere coquae eiusque iuvenili aetate, propria vero causa peccati est ignorantia et infirmitas parochianorum. Si aliud medium parochus non habet removendi scandalum, debet famulam dimittere.

196. b) Scandalum, quod medicus ex pietate Angelae patitur, est scandalum pharisaicum; ortum enim ducit ex malitia

eiusdem, quae occasione piorum exercitiorum mulieris in maledictiones prorumpit. Angelae potest confessarius *consulere*, ut marito rem explicet et ut ad sacrum eo inscio exeat; imo ut aliquando missam omittat, quando maritum ad iram valde prouidetur. An tunc *teneatur* sub peccato aliquando omittere sacrum, non audeo dicere, ne peiores in meliore ponantur conditione. Auctores in diversas abeunt sententias.

Quoad devotiones maiiales et rosarianas facilius sub peccato adstringi potest ad eas non frequentandas, quando iram mariti timet; tamen censeo, quod rigidum esset, eam obligare, ut semper ab his devotionibus abstineat; esset enim id magnopere molestum et uxor ad conditionem servae deprimeretur. Prudens confessarius suadebit devotionem domi peragendam.

197. c) Clarum est, collegas instituti directe intendere ruinam spiritualem Caii, propterea rei apparent scandali diabolici. Confitendo debent explicite assignare, eos ad luxuriam Caium incitavisse, nam omni scandalo directo laeditur praeter charitatem et alia virtus, in hoc casu castitas. Ideo non esset sufficiens confessio his verbis expressa: scandalizavi sodalem aut incitavi ad peccatum.

SCANDALUM. (84)

a) Caius partem domus suae locaverat viduae cuidam, quam probam existimavit, sed mox rumor famam eius carpens, divulgatus est in urbe. Ut rem exploraret, simulate petiit ab ea usum corporis, ad quod quum illa se paratam ostendit, Caius eam severissime reprehendit et habitationem ei denuntiavit. Quaeritur, num Caius viduam domi retinere possit et num modo probationis peccaverit? (Elbel I. 375, Gury, Cas. consc. 258).

b) Vincentius famulorum suorum fidem exploraturus misit inter eos fidelem cognatum suum, qui eos fecte ad furtum suasionibus inducebat. Probationem non sustinuit unus famulus, qui statim eiectus est.

c) Franciscus confitetur, quod patrem suum levi inobedientia ad gravem iram concitavit et quod fratrem suum suasionem

ad peccatum inducere studuit. Quaeritur, quale peccatum in priore casu commiserit et in posteriore, an confessio integra sit?

Solutio.

198. a) Caius sollicitando viduam per se loquendo peccavit, esto id non fecerit animo peccandi sed potius explorandi viduae indolem; sollicitavit enim ad actum malum. Non refert, quod vidua, ut meretrix, habitualiter parata erat ad peccandum, quia sollicitatione effecit, quod in actum proruperit. Quoad gravitatem peccati non desunt, qui in hoc veniale scandalum tantum vident sed s. Alph. (III. 47) non audet huic sententiae se adiungere. In multis casibus bona fides, quam recta intentio parit, excusabit a peccato.—Caius non peccabit relinquendo viduam in domo sua usque ad terminum locationis, quia bona fide domum locavit, neque locatariam absque gravi incommodo eiicere potest, cum illa ius habitandi ex contractu obtinuerit. Suadendum ei est, ut elapso termino locationis, si constat mulierem esse meretricem, domo eam eiiciat, ne infamia in ipsum domi possessorem redundet. Sub peccato obligari ad eam eiiciendam tunc tantum posset, quando vicinis honestis aut suis domesticis graviter noceret aut locus ad procos alliciendos maxime commodus esset.

199. b) Modus hic probandi famulorum fidem minus rectus apparet; ratio est, quia revera suadetur peccatum; non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Licitum est solummodo aut aliquam occasionem peccandi positive praebere aut uti verbis ambiguis ita, ut ipsi famuli sese eorum occasione determinent, non autem ut suasionem determinentur. Liceret exgr. dicere: vir hic est opulentus, nunc nemo custodit res, fur facillime posset auferre hoc vel illud.

200. c) Levi inobedientia provocare gravem iram reputatur pro levi peccato scandali, quia tunc causa gravis irae est non tam inobedientia quam dispositio irascentis. Nihilominus potest ista ira inobedienti filio etiam ad grave peccatum imputari et quidem tunc, quando filius frequenter inobediens fuit, ita ut »quasi coalescente materia« patientiam patris exhausserit.—Quoad alterum casum, non sufficit in confessione generaliter dicere: ego suasi malum; ratio est, quod suadere peccatum est scandalum

directum, hoc vero adversatur et charitati et virtuti, quae peccato laeditur. Poenitens interrogandus est, ad quod peccatum iniquum consilium dederit.

SCANDALUM; COOPERATIO. (85)

a) Camilla crebro assidet fenestrae et subridet iuvenibus, qui ante domum transeuntes, ardentis aspectus versus fenestram mittunt.

b) Martha, famula, saepius iubetur a sua domina occulte deferre litteras ad quendam militiae praefectum, quem saepius libere cum domina iocare vidit. Auriga iterum iubetur eum domum curru ducere absente marito. Quaerunt famuli, num tuta conscientia ista servitia praestare debeant?

c) Joanna, coqua, iubetur feria VI. semper carnem parare dominis suis. Inquieta nescit, utrum hoc ei licitum sit, cum heri evidenter legem ecclesiasticam violent.

Solutio.

201. a) Camilla indecenter agit, sed per se gravis peccati nondum rea apparet, si id non crebro contingit, haec enim levitas per se nondum notabiliter influit in gravia iuvenum peccata, ut desiderium fornicandi, delectationem morosam et similia. (Génicot, Cas. de scand. 1.). Nihilominus rigore interdicenda est Camillae haec agendi ratio, ne ad ulteriora alterutra pars progrediatur. Dixi »per se«, et si »raro id contingit« nam peccare posset graviter, si eiusmodi levitas, praesertim si est frequens graves tentationes contra castitatem in ea provocaret aut in determinato iuvene desiderium fornicandi excitaret, quod forte ex aliqua epistola vel alio signo cognosci posset.

202. b) Servitia famulae et aurigae certe sunt cooperationes ad peccatum dominae. Cooperationes istae sunt tantum materiales. Obiective loquendo ad rationem famulatus debet accedere secundum mentem s. Alph. (III. 75) metus alicuius damni, ut famuli licite ista servitia praestare possent, vgr. si famulatum aequae convenientem invenire non valerent. Secundum istam opinionem confessarius deberet eis iniungere, ut tempore condic-

to servitio valedicerent. Haec potius valent in theoria, quia in praxi famuli vulgo aut bona fide eiusmodi servitia praestant, neque ad eos spectat investigare, quid in epistola scriptum sit vel ob quem finem aliquis invitetur, aut famulatum deserere aegre ferunt; propterea plures auctores simpliciter dicunt, famulum citra culpam eiusmodi servitia praestare posse (Noldin 129).

203. c) Etiam illi auctores qui (ut Marc 521) famulis cibos non esuriales parare per se non permittunt, sed praeter rationem famulatus aliquam causam expostulant, mitigant suam opinionem, quoties praxim aspiciunt, nam in concreto raro deerit aliquod detrimentum, quod famulum ab omni labe cooperationis certe excusabit. Propterea possumus dicere, Joannem posse tranquillo animo in famulatu permanere. (cf. Noldin 129).

COOPERATIO. (86)

a) Josephus, absolutis studiis gymnasii, in urbe capitali provinciae iuris scientiae vacare in universitate intendit; omni sustentatione destituto offertur occupatio in redactione ephemeridis socialisticae. Quaerit, an locum istum salva conscientia occupare valeat?

b) Jacobus ab avunculo suo in studiis pecunia adiuvatur ea sub conditione, ut caecutienti libros praelegat et eo dictante scribat epistolas ac dissertationes pro ephemeridibus impiis; tum libri tum dissertationes materialismo crasso sapiunt. Quaeritur, an Jacobus licite haec facere possit?

c) Caietanus, caupo, porrigit hospitibus ephemerides omnis sortis et bonas et mediocriter impias et absolute Ecclesiae inimicas, quia, ait, omnis sortis hospites ad me confluunt ac quisque sibi convenientem ephemeridem expostulat. An recte agat?

Solutio.

204. a) Generatim munere aliquo fungi in redigendis diariis socialisticis non licet. Ut casus omni ex parte dilucidetur, attendere debemus ad occupationem, quae Josepho in edendo diario offertur. Si enim iubetur conficere articulos fidem catholicam offendentes, cooperatio eius est formalis et sub nulla conditione

licita. Si autem iubetur actiones indifferentes perficere, ut vgr. telegraphata ordinare, adressas scribere, tunc cooperatio est tantum materialis ast propinqua. In angustiis, quibus Iosephus premitur, posset ad aliquod breve tempus operam suam locare, ut interea aliam occupationem inveniatur. Lex quoque ecclesiastica, quae eiusmodi ephemerides prohibet, in hoc casu ob grave incommodum cessare censetur.

205. b) Quoad lectionem Iacobus potest hic considerari et tanquam cooperans ad avunculi peccata et tanquam legens simpliciter. Sub priori respectu dicendum est, quod lectio eius non est actio intrinsece mala, nam potest quis legere librum pravam ad finem bonum; ideoque cooperatio eius est tantum materialis, sed tam propinqua, ut nonnisi gravissima causa eam licitam reddere possit. Si consideratur ut legens simpliciter, violat etiam legem naturalem, quae vetat christiano fidem suam periculo exponere. Quia periculum istud est et certum et maxime proximum, si lectio est frequens, ut in casu, nullo modo haec functio iuveneri permitti potest, secundum verba Salvatoris »Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur« (Mt. 16, 26).

Quae de lectione locuti sumus, valent a fortiori de descriptione, etenim qui scribit, eo ipso legit. Iacobo ante oculos ponendum est damnum spirituale, quod patitur, et imponenda obligatio, ut quam primum occupationem suam dimittat.

206. c) Caietani dictio non posset impugnari, si nummus suprema vitae lex et summum bonum nostrum esset; sed secundum principia ethicae catholicae retinere et exponere ephemerides, quae data opera fidem catholicam aggrediuntur vel bonis moribus periculosi sunt, ut ephemer. socialisticae, repugnat legi ecclesiasticae (Decr. gen. n. 21) et est peccatum scandalum, ac proinde illicitum, etsi hospitum numerus diminueretur. Exponere vero diaria, quae rarius tantum aliquid fidei vel bonis moribus contrarium continent, non est peccatum, etenim periculum pervertendi est remotum; de cetero, qui ea obstinato animo legere volunt, sine dubio aliunde sibi comparabunt. (Noldin II. 125, 3: Lehmke. I. 664).

COOPERATIO. (87)

a) Iosephus, ut ad consilium municipale eligatur, dat associationi protestanticae 100 coronas et iudaicae iterum 100 cor.

b) Idem largitur 100 cor. pro erigenda statua viro de urbe optime merito, qui tamen protestanticae sectae vivens addictus erat et in eadem e vivis decessit.

c) Associatio pro cantu colendo invitatur a pastore protestantico occasione cuiusdam festivitatis; Iosephus, catholicus, ut membrum eius associationis revera canebat in templo sed verba nihil haeretici continebant. Quaeritur, num in his casibus peccata adsint?

Solutio.

207. a) A natura et fine associationum dependet, quomodo largitiones Iosephi diiudicandae sint. Si associatio una alterave pro scopo habet impugnare catholicos, promovere religionem protestanticam aut iudaicam, iuvare electiones candidatorum liberalium aut iudaeorum, tunc largitio pecuniae pro tali associatione reputanda est pro intrinsece mala, etenim dare pecuniam eiusmodi associationi idem valet ac eius fines promovere. Si tamen associationes scopum habent alium, vgr. iuvare res oeconomicas, operarios, exercere opera misericordiae, tunc largitio eiusmodi nullum peccatum cooperationis involvit. Dubium summummodo moveri posset, si ageretur de associatione, quae occuparetur aliquo instituto, quod educationem confessionalem pro scopo haberet; tunc largitio eleemosynae aliquem indifferentismum saperet et proinde per se esset peccaminosa; excusaret a peccato aliqua causa, vgr. si Iosephus in municipio utilis vel necessarius esset pro bono publico.

208. b) In hoc casu largiri eleemosynam significat agnoscere merita civis praeclari et nullam cooperationem peccaminosam involvit; causa enim est omnino profana, neque eam religiosam fecerit circumstantia, quod forte in templo acatholico statua erigitur.

209. c) Iosephus in tertio casu fit particeps cultus acatholici, quia formaliter cooperatur ad cultum ab Ecclesia prohibitum, quod a gravi peccato immune dici nequit. Id a fortiori valeret, si textus haeresim contineret.

PRAECEPTUM DIVINUM I.

ORATIO. (88)

a) Vos mulieres semper oratis et molestae Deo estis! ita Martinus uxorem suam saepe alloquitur; si non laborarem, nihil haberem, ad quid mihi oratio! Verbis correspondet praxis, Martinus non orat. Quid de eo iudicandum?

b) Uxor eius Petronella et pro se orat et mariti omissiones supplere vult, attamen inquietatur, nam (ut putat) orando fere semper peccat et quidem: a) mane debet solem praevenire ita occupata est tum re oeconomica tum liberis et non potest alio modo quam deambulando preces suas matutinas recitare; b) vespere ultima lectum petit, sed antea ob magnam defatigationem sedendo preces vespertinas persolvit, attamen evagantem mentem cohibere non valet: antequam Pater noster ad finem perduxerit, iam distracta nescit, quid dicat, aut somno consopitur.

c) Filia eius Catharina aliis angitur scrupulis: cum tempore missae canit, omnem attentionem applicat ad melodiae signa, nihil de Deo cogitans; litanias lauretanas ut poenitentiam sacramentalem in scamno recitans, sat diu distracta erat et plene conscia eorum, quae cogitabat, sed non prius venit ei in mentem cogitatio de distractionibus repellendis, nisi ad invocationem Regina Virginum; tunc animo recollecto litanias continuavit; sed mox cum Agnus Dei diceret, in risum prorupit, quia conspexit muscam in apice nasi amicae suae consedissee; risum cohibuit, sed inquieta nunc quaerit, an poenitentiam repetere teneatur?

Solutio.

210. a) Martinus propter contemptum orationis (si hic serius est) et eius omissionem in statu peccati mortalis versatur.

Etsi gradus absolutae certitudinis attribui nequit sententiae, quae orationi necessitatem medii adiudicat, hoc tamen certum est, eam esse validissimum medium gratias divinas efflagitandi; qui hoc medio non utitur, certe sibi imputare debet defectum gratiae ad vitam christiano more agendam; praeterea indubium est Christi praeceptum, quo nos ad orationem obligavit. Deinde Martinus non recte orationem intellegit et animum terrenis rebus nimis applicatum indubitanter ostendit. Docendus est, orationem esse necessariam non solum ad bona terrena impetranda sed praesertim ad obtinendas gratias spirituales, ad laudes Deo canendas, ad Deum propitium sibi reddendum. Revocandus est ei in memoriam finis hominis et caducitas vitae rerumque terrenarum, nam peccare quoque videtur ob spei christianae defectum. Quoties per annum orare sub gravi debeamus, non conveniunt theologi, propterea »confessarius magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissae orationis culpa«. (Gur. I. 260). Certe graviter peccavit Martinus, si diutius quam per unum annum omnino non oravit et quidem propterea, quia orationem neglexit, deinde quia missam non audivit.

211. b) Nullus situs corporis in oratione privata praescriptus est, consuetudo tantum genua flectere iubet. Petronella non peccavit eo, quod sedens aut deambulans oravit.—Quoad occupationes eius, si profundius rem considerare volumus, debemus attendere, ad quid eius intentio directa sit: si principaliter intendebat orare, tunc peccavit distractione voluntaria, quia interea occupabatur negotiis externis, quod irreverentiam erga Deum involvit; si principaliter laborare intendebat, tunc non peccavit, quia oratio eius (quae non est sine aliquo merito) aestimari potest qua medium pium ad mundanas cogitationes in medio labore fugandas. In praxi vulgo fertur intentio principaliter in orationem; ideo instruenda est Petronella, ut saltem Pater noster et Ave Maria genibus flexis oret, ceteras vero orationes inter laborem tranquille perficiat.—Somnolentia et distractiones, quibus in vespertina oratione infestatur, voluntariae non sunt, itaque imputari nequeunt.

212. c) Si Catharina intentionem saltem interpretativam orandi per cantum habuit, quod supponitur, tunc sola attentio

ad melodiam sufficit; haec enim attentio in cantu aequivalet attentioni ad verba in recitatione precum, quae ex omnium consensu sufficit.—Neque cogenda est ad litanias repetendas, nam intentionem orandi habuit, animum applicavit saltem ad verba rite proferenda (quod supponitur), itaque essentia orationis corrupta non est per distractiones, ceteroquin involuntarias. »Omnes debemus fateri, orationem posse substantialiter consistere absque attentione actuali interna« (Lugo, de Euch. d. 22. n. 29). Per se patet, id valere de oratione vocali, nam nemo potest mentaliter orare et simul de alia re cogitare; distractio enim impedit mentis cursum.—Cogitationes alienae etsi diu occupent mentem, etsi orans earum tenoris conscius sit, non reputantur pro peccaminosis distractionibus, quamdiu orans non adverterit se esse distractum, iisque occupari prosequatur.—Musca si puellam ad risum excitavit, adduxit eam ad peccatum, si puella risum cohibere non studuit, secus nihil ei nocuit; debuit orationem interrompere, donec nervi compescantur. In casu nostro ante factum ob magnam imperfectionem orationis Catharinae consulendum est, ut repetat poenitentiam; post factum non est inquietanda.

ORATIO. (89)

Paulus confitetur: α) preces matutinas saepe omisi; β) aliquando loco Pater noster et Ave Maria orationem »Memorare« mane recito; γ) tentatione contra castitatem bis infestatus non oravi; semel prolapsus sum, altera vice eam fugavi; δ) pro patre vivente et matre mortua nunquam oro; ε) semel oravi, ut inimicus meus pedem frangeret. Quid ethica catholica ad hanc confessionem?

Solutio.

213. α) Communiter tenent theologi, nullam esse per se obligationem orandi mane et vespere, »nihilominus in praxi raro abest aliqua (venialis) neglegentiae vel respectus humani culpa« (Mechlinenses, De virt. 92). Confessarius debet adhortari fideles ad hanc piam praxim, imo etiam adlaborandum est, ut anti-

quus mos observetur, secundum quem paterfamilias cum domesticis communiter orationes persolvebant.

β) Nulla forma orationis laicis praescripta est, possunt orare, quomodo velint; commendatur tantum ob suam praestantiam et Auctorem oratio dominica.

γ) Oratio est medium efficax contra carnis tentationes; non ideo tamen peccatum distinctum contra religionem committit, qui hoc medio non utitur: aut enim consensit tentationi et tunc peccavit contra castitatem; aut si non consensit, tunc certe alio modo tentationem superavit; oratio enim non est medium unicum contra tentationes, ut sub peccato ea uti debeamus.

δ) De obligatione sub peccato orandi pro parentibus vivis aut defunctis theologi silent. Dum parentes vivunt saltem tunc admittenda est obligatio ex pietate, quando in gravi necessitate temporali aut spirituali versantur et oratio medium unicum apparet, quo eis succurratur. Si mortui sunt, ignoratur, num oratione indigeant, ideo ex causa incerta nequit deduci obligatio certa. Nihilominus fervide adhortandi sunt fideles ad hanc praxim: nam, si agitur de vivis parentibus, oratio pro eis inflamat nostram pietatem erga eos et nobilitat animum; si mortui sunt, tunc oratio proficua est aut eis, aut aliis miseris animabus. In utroque casu ostendimus gratum nostrum animum, si oramus.

ε) Oratio haec duplex peccatum involvit; primo est odii manifestatio, dein peccatum praesumptionis et quidem grave.

ORATIO. (90)

a) Martinus nunquam B. V. Mariam aut Angelum custodem aut Patronum suum invocât, »quia immediate cum Deo loqui vult«.

b) Filiolum quindecimo vitae suae mense morte abreptum qua angelum colit, eum frequenter orat et hoc modo dolorem suum lenit.

c) Denique amore patriae flagrans, poëtam celeberrimum cultu religioso prosequitur, persuasus, eum Dei gratia vatem populi fuisse in vivis, nunc intercessorem esse in coelis; itaque coram eius statua pie meditatur, Pater noster recitat, profunde

ingemiscit. Petit Martinus, aliqua contione inquietatus, num praxim suam prosequi possit?

Solutio.

214. a) Non datur stricta obligatio invocandi Sanctos; declarat tamen syn. Trid. ses. 25., eos qui »negant Sanctos invocandos esse aut asserunt, illos pro hominibus non orare, impie sentire«, et piam hanc praxim qua bonam et utilem commendat. Certe animum spirituti Ecclesiae catholicae alienum ostenderet et »non omnem culpam venialem ex generali vitio acediae effugeret, qui nunquam invocaret Sanctos ac praesertim B. V. M.« (Dignant, De virt. rel. n. 51); talis dispositio animi »suspicionem movet haereticae mentis« (Lehmk. I. 345).

In casu nostro examinandus est Martinus, num abstineat a Sanctorum et Angelorum intercessione imploranda ex negligentia an ex falsa persuasione, eam nullius esse valoris; in priori casu peccaret leviter, in posteriori a gravi peccato contra fidem excusari non posset.

215. b) Dogma est catholicum, animas etiam parvulorum baptisatorum Dei visione gaudere, imo sermo vulgaris ob innocentiam nomine angelorum eos nuncupat. Si animae istae gratiae sunt Deo, nescio cur pro nobis intercedere non possint. Martinus itaque pro sua praxi minus recte vituperaretur, sed animus eius modo delicato ad Deum convertendus est, ut Omnipotenti confidat et planctu sterili vires animi non exauriat.

216. c) Poëtae ingenium suum sine dubio a Deo recipiunt, attamen propter hoc donum naturale nondum cultu religioso prosequi eos licet, hic enim debetur hominibus ob qualitates supernaturales. Intacta remanente reverentia Martini erga poëtam, abducendus est a cultu religioso ei exhibendo, qui in casu proposito superstitionem per se graviter peccaminosam redolet. Si tamen ei prudenter persuasum esset, poëtam virtutibus in sensu fidei catholicae revera insignem fuisse, posset ei cultum privatum religiosum domi aut etiam in loco publico exhibere (De Servor. Dei beat. III. 10.), vgr. liceret eius vestes, capillos et alias reliquias conservare ac venerari, eum invocare, in eius honorem ieiunare, votum offerre, lampades vel cereos ante statuam vel sepulchrum accendere, modo nullus sollemnis cultus nomine

Ecclesiae aut a maiore aliqua communitate praestetur; itaque non liceret parochio in eius honorem cum parochia processionem instituere, missam ac de Sancto legere et similia (ibid. I. 7.).

SUPERSTITIO IN GENERE ¹⁾.

Virtuti religionis adversatur irreligiositas et superstitio. Haec consistit in eo, quod »exhibet cultum divinum vel cui non debet vel eo modo quo non debet«. (S. Thom. 2—2 qu. 92. 1). Duplex itaque eius species distinguitur: aut Deo vero exhibetur cultus falsus vel vanus, aut creaturae cultus divinus exhibetur. Cultus divinus praestatur creaturae aut formaliter (idololatria) aut sensu improprio, nempe per hoc, quod ei adscribuntur perfectiones, quae soli Deo competunt, ut vgr. scientia futurorum contingentium, virtus salvifica vires naturales superans. Forma perfectissima superstitionis est idololatria, qua creatura pro Deo habetur; aliae formae sunt: divinatio et vana observatia, ad quam revocantur magia et maleficium.

Tum divinatio tum vana observantia est aut simplex, aut daemoniaca. a) *Simplex* est, in qua homo nihil de daemone aut aliqua virtute superiore cogitat sed solummodo aperte ineptis mediis utitur ad effectum aliquem tanquam ex opere operato obtinendum; vgr. in chartis legere; carbonem aquae immittere, ut cognoscatur, quis visu nocuerit; ex garritu aut volatu avium futura conicere. Ad hanc pertinent etiam illae species superstitionis, qua homines rebus ad cultum Dei pertinentibus (signa crucis, orationes) abutuntur, dum expectant ab eis effectus, ad quos non sunt institutae, aut attribuunt efficaciam infallibilem circumstantiis indifferentibus, in quibus potius quam in divina benignitate fiduciam suam collocant.

Haec superstitio simplex est graviter peccaminosa tunc, quando aliquis eiusmodi vanis mediis serio utitur in negotiis maioris momenti et firmam fidem eis praebet; ratio est a) quia

¹⁾ Quia in sequentibus casibus a vulgata divisione superstitionis recedo, ideo praemitto pauca verba de superstitione in genere, prouti eam in praxi video et theoretice concipio. Innitor autem praeprimis operi Simar, Moraltheologie I. §. 137; Berardi, Praxis conf.

tunc temeritas est graviter peccaminosa in rebus maioris momenti respuere lumen rationis et fidei, quo ex Dei voluntate nos dirigere debemus; b) quia tunc adest periculum illaqueandi a daemone nostrae salutis insidianti.

Superstitio simplex est leviter peccaminosa, si adhibetur in negotiis minoris momenti aut firma fides ei non praebetur. Si ioci causa aliquid exercetur, quod per se superstitiosum est, nulum est peccatum, secluso scandalo.

b) *Daemoniaca* est superstitio, si coniungitur cum daemonis invocatione, quod fit per aliquam formulam aut sine formula, mentis tantum intentione. Ad eam revocatur praxis, in qua aliquis generatim superiorem potestatem invocat; cum neque Deus neque angeli rebus vanis se immiscent, praesumendum est, quod diabolus implicate accersitur.

Innititur vero haec superstitio persuasionem, daemonem contra Dei voluntatem et posse aliquid perficere, quod naturae vires superat, et hominem adiuvare suis viribus humanas facultates superantibus. Tum ex natura diaboli tum ex historia constat, talem cooperationem possibilem esse, attamen negamus eam frequenter evenire, tum propterea 1) quia eius munus est in inferno pati, tum 2) quia potestas eius divina providentia ligata est et iuste confidere possumus, Deum nolle hominem talibus diabolicis experimentis in eius perniciem saepe exponere; quis salvaretur, si potestas diaboli non esset ligata? 3) falsum quoque est putare daemonem, qui libera voluntate gaudet ut natura angelica delapsa, posse arte aliqua aut formula ad libitum evocari aut formulam eiusmodi ab aliquo edoceri posse. Qui pactum ineunt cum daemone, falso putant, si iudicant, se diabolum dirigere eumque sibi obedientem reddere, potius homo dirigitur ab eo in suam perniciem.—Haec daemoniaca superstitio graviter peccaminosa est, quia cum hoste Dei et generis humani infensissimo homo explicite aut implicate paciscitur, per quod et reverentiae Deo debitae derogat et suam salutem gravissimo periculo exponit.

Inconveniens mihi videtur a theologis multis saepissime admissa superstitio, quae innititur implicita daemonis invocatione et exerceri dicitur tunc, quando homo a creatura exspectat effectum, qui vires naturales superat, seu utitur mediis, quae nec ex

Dei aut Ecclesiae institutione nec ex natura ad finem apta sunt. Tunc, puto, non licet mihi praesumere, hominem interpretative daemonem invocare, ratio est a) quia non licet mihi praesumere malum, donec positivae rationes me eiusdem convincunt; atqui si homo eiusmodi mediis utitur et nihil de diabolo cogitat, iniuriam ei irrogo, quando absque positiva ratione praesumo, eum a diabolo petere effectum. b) Quisnam prudens invocationem daemonis praesumit, quando audit rusticum aut venatorem infortunium divinantes ex occurso leporis aut anus! Nonne omnes dicunt id esse imprudentiam, non autem daemonis invocationem! Principiis itaque ethicae persuasio et aestimatio communis correspondet.

Stricte loquendo superstitio cum aliqua praxi coniuncta est aut saltem circa vitam practicam versatur, tamen sensu latiori adnumerantur superstitioni fabulae, narrationes a recta ratione aut fide catholica diffformes, quae in populi phantasia et nimia credulitate originem suam habent, quibus tamen firma fides non praebetur. Istae fabulae a nonnullis nomine »vanae opiniones« nuncupantur. Huc pertinent narrationes de spectris nocturnis, de defunctorum poenitentiis etc.

Indocti in simplicitate sua multiplici modo sub hoc respectu errant: a) aut adscribunt potestatibus superioribus, personis phantasticis, diabolo, animabus mortuorum, phaenomena naturalia, quorum causam ignorant, aut b) expostulant a causis naturalibus, quod Deus vel superiores potestates efficere possunt, aut c) caece mores patrios, persuasiones communes sequuntur, quae originem suam debent aut casui fortuito aut caeremoniis religionis paganae aut denique male intellectae religioni catholicae. Daemoniaca vero superstitio provenit ex cupiditate, superbia aut infenso animo erga rem christianam.

Cognoscitur superstitio a) ex aperta insufficientia causae, b) ex vana circumstantia, quae adicitur et cui valor maximus adscribitur, c) ex infallibili expectatione effectus tanquam ex opere operato.

In diiudicandis casibus singulis cauti esse debemus, ne daemonei attribuamus aut superstitiosum reputemus, quod naturaliter explicari potest, etsi nexus causalis a nobis ignoretur. In dubio an effectus proveniat a causa naturali aut a diabolo, lici-

te praxis aliqua exercetur, donec positive constiterit, effectum absolute vires naturae superare; consulto tamen protestatio praemittitur nolendi effectum, si a diabolo procedat. In dubio an effectus proveniat a Deo vel angelo aut a diabolo, praesumendus est diabolicus interventus, quia miracula positive probari debent. Talem praxim etiam cum protestatione contra diabolum exercere non licet, quia verborum vis factis extenuatur.

SUPERSTITIO. (91)

a) Ioannes ipse credit et dono pulchre narrandi praeditus narrat de homine quodam, qui in litore stagni degit, viatores decipit aut in profunda lacus loca trahit; de regina poenitentiam in silva agente, quam plures virgines comitantur; de oppressore saepe homines noctu molestante; de dracone in spelunca Wawel transeuntes devorante; de monstro quodam sanguinem hominum ex venis sugente; de diabolo cum Twardowski paciscente; de sabbatinis in Monte Calvo sagarum conventibus, de earum super scopis peregrinationibus etc. Haec omnia ipse credit et irascitur, si iuniores narratorum veritatem aliquando addubitant. Joannes propterea semel irritatus ad parochum pergit, rogans, ut istas narrationes approbet. Quid ad casum parochus?

b) Philippus credit, animam vicini Jacobi iniuriis maculatam poenas luere in domo, ubi habitavit, et strepitum ingentem media nocte causare. De Simone autem qui mortem in horreo sibi conscivit, constanter praedicat, eum tempore nocturno in horreo deambulare et transeuntes terrore afficere.

c) Idem credit, se cum a domo elongatus in fodina laboraret, de morte uxoris suae praemonitum esse aliqua voce interiore, domum alliciente.

d) Fontem quaerebat, puteum fodere intendens, et pergit ad Philippum, qui ope virgae divinatoriae uberrimam aquae venam invenit.

Quid de his sentiendum?

Solutio.

217. a) Saepe homines narrant has aliasve fabulas, quae a maioribus audierunt et quae aut antiquorum factorum historicorum corruptae sunt recordationes aut phaenomenorum naturalium phantasticae explicationes aut denique religionum paganarum reliquiae, quae vicos, stagna et nemora grege deorum inferioris gradus replebant. Simplex est, qui haec omnia vera esse credit, simplicior, si ab aliis fidem serio postulat; sed in his omnibus superstitionis sensu stricto macula abest. Joanni parochus explicare debet, si quae fabula aliquid veritatis contineat; vgr. ob sanguinis circulationem impeditam homines torqueri ab aliquo oppressore dicuntur. Insuper admoneat eum parochus, ut nunc edoctus, fabulas qua fabulas narret. Eiusmodi vanae opiniones et fabulosae narrationes aut ab omni labe peccati immunes sunt aut ad summum sunt peccata venialia ob imprudentem credulitatem; vulgo vero propter simplicitatem aut defectum firmæ fidei eis credentes ab omni culpa excusantur.

218. b) Catholica doctrina tenet, animas gravibus peccatis oneratas poenas luere in inferno, cuius locus ignotus est; phantasiae hominum adscribi debent omnes animarum deambulationes. Philippus instruendus est, Deum certe punire omne peccatum, sed modum punishmentis non esse a nobis curiose inquirendum.

219. c) Thelepathia, in casu descripta, quae in varia forma occurrit, hodie nondum est explicata, tamen non adversatur doctrinae catholicae hoc phaenomenon psychologicum, ideo in pace relinquendus est Philippus. (Cf. Mercier, Psychologie).

220. d) Experientia constat¹⁾, homines aliquando praeditos esse aliqua extraordinaria sensibilitate erga fontes aquarum, ita ut virga in eorum manibus se moveat, si personae istae aquis vivis se appropinquant. Usui virgae naturali omnino licito, addunt superstitionem, qui ope virgae thesauros aut limites perditos invenire frustra student.

¹⁾ Ego ipse noveram talem sacerdotem in Helvetia et viros graves audiavi similia narrantes.

SUPERSTITIO. (92).

a) Margarita nihil incipit feria VI. aut die mensis XIII., nam dies isti infausti sunt; eadem multa alia credit: itaque cum strix super tecto assedit, certe aliquis in hac domo morietur, cornix clamitans, lepus transversam viam percurrens, vetula occurrens, indubia infortunii sunt indicia.

b) Philippus divitias anhelans, obtinuit a quodam peregrinante (non parvo pretio soluto) formulam scriptam exsecrandi daemonem, ut ei pecuniam ostendat. Utebatur formula exactissime, sed in vanum laboravit; ideo aliam praxim exercet, quam sub secreto audivit: per novem dies ieiunat, ovum gallinae secum portat, vultum non lavat, vestimenta non deponit, numerum 9 quotidie a retro numerat, ecclesiam non adit. His artibus vult daemonem devincire, ut ei pecuniam afferat.

Quid de his censendum est?

Solutio.

221. a) Observatio dierum faustorum vel infaustorum procedit a cultu pagano, nemo tamen de alicuius dii influxu nunc cogitat; solummodo simplices homines ineptum morem patriae sequuntur. Multa phaenomena, quae Margarita indocta superstitiose interpretatur, facile naturali modo explicari possunt. Striges ob acutissimum sensum olfactus prius homine cognoscunt corporis aegroti dissolutionem et tectis assidunt; hirundines insecta ob pluviam imminensem sese abscondentia persequuntur et ideo ante pluviam prope terram volant; picae crocitant, quia aut fellem, qui homines latet, vident aut sperant viscera animalium, quae hospitibus advenientibus exenterantur. Occursus vetulae aut hominis pelle induti, clamores cornicum, cur signa infortunii sint, respondeat stultitia ita iudicantium; nihilominus de implicita invocatione daemonis vix aliquem talia credentem suspicari possumus. In singulis casibus Margaritam venialiter peccavisse ex dictis patet; adhaeret enim simplici superstitioni neque periculum aliquod ei vel cuicumque ex hac praxi imminet.

222. b) Philippus in regula absolvendus non est, donec reddat istam nefariam scripturam, cuius ope superstitionem daemoniacam graviter peccaminosam exercet. Etiam in altero casu

est explicita daemonis invocatio et proinde tota praxis prolethaliter mala habenda est.

SUPERSTITIO. (93).

a) Socrates affirmabat, se a deo tum per oraculum tum per somnia iussum accepisse, ut philosophia occuparetur (Plato, Apol. c. 22).

b) Ludovica cum nocte somniasset, se in templo a rabido cane vulneratum iri, die dominica ab audienda missa abstinuit, ut vitaret damnum, quod putabat certo sibi eventurum esse; (Gury, Cas. consc. I. n. 256.); quotidie somniorum suorum recordatur eaque ope libri interpretatur, ut numeros, quibus in loteria praemium adiudicabitur, reperiat. Somnia quoque praemonent eam, a quibus hominibus sibi cavendum sit et ex hac causa cum duabus mulierculis omnem societatem abruptit.

Quid ad hoc casus?

Solutio.

223. a) Oracula antiquorum maxima ex parte imposturas sacerdotum aut forte aliquando daemonum eloquia fuisse, omnibus constat; quid in casu particulari sentiendum sit, non iam facile decidi potest. Quoad Socratem fortasse sacerdotes (aut qui oracula Delphis dirigebant) Socratem ad philosophiam colendam blando eloquio adhotari volebant ¹⁾; fortasse eloquium communem gentis graecae persuasionem exprimebat. Quoad somnia illa, non excluditur naturalis eorum origo: Socrates assidue philosophia occupabatur, eamque magnopere amavit; forte in aliqua animi deiectione phantasia in specie Dei ad philosophandum cohortantis naturalem animi eius propensionem repraesentavit; aut in genere Socrates aliquid amoeni de philosophia somnavit et communem persuasionem secutus est, qua, ut Cicero testatur (de senect. c. 22), antiqui in somniis deos loqui putabant. Potest quoque admitti adhortatio ex parte veri Numinis divini, cum

¹⁾ Sapiens est Sophocles, sapientior Euripides, omnium tamen sapientissimus Socrates. Aristoph. Nubes.

Socratis philosophia in plurimis punctis veritati conformis esset et propagatio eius Dei consiliis conveniret.

224. Ludovica peccavit graviter saltem per se et quidem duplici modo: scilicet contra religionem peccato superstitionis, somnio firmiter in re gravi adhaerendo et certam fidem adhibendo, nec non contra obedientiam Ecclesiae debitam eo, quod a sacris abstinuit. »Forte per accidens ita somnio perturbata est, ut a missa audienda excusari posset, praesertim si erat gravida, quia feminae in hoc statu variis timoribus anguntur.« (Gury, *ibid.*). In altero casu quoad loteriam simplicis divinationis, non daemoniacae, rea apparet et a gravi reatu contra religionem immunis censenda est, sed posset prodigalitate graviter peccare. Ex tertio casu clare elucet, eam somniis vitam constanter regulare, quod est mortale (Alph. IV. 5).

SUPERSTITIO. (94)

a) Gervasio sene praeunte populi turba in antiqui coemeterii oratorio nocte in vigilia Commemorationis omnium defunctorum convenit, ut specialibus caeremoniis defunctos iuvet. Comburant linum, apponunt esculenta et poculenta, invitant animas, ut eligant, quae sibi necessaria sint, cantant denique quasdam cantilenas signa crucis formando. Aliae animae, quae vitae amaritudinem non gustaverunt, grana synapis comedunt, quibus manducatis in coelum admittuntur; alias, iniuriis maculatas, aves rapaces tangere cibos non sinunt. Ita credit vulgus; quid ad hanc persuasiouem? (Mickiewicz »Dziady« pars I.).

b) Protasius oleribus benedictis pecus incensat, quando tempore verno in pascua illud ducere intendit; nunquam seminare incipit luna decrescente; ne rheumatismo laboret, semper fructus castaneae secum portat.

c) Agatha, uxor eius, lactare cessat suos infantes tantum luna crescente, ut robusti aliquando adolescant; butyro benedicto ubera vaccarum ungit, ne lac perdant. Quid de his et similibus praxibus tenendum est?

Solutio.

225. a) Apud gentiles revera occurrunt similes caeremoniae et persuasio, animas defunctorum cibo et potu iuvari. Ecclesia docet, animas esse spirituales et nos posse eas bonis operibus i. e. oratione, ieiunio et eleemosyna adiuvere, dum in purgatorio detinentur. Exposita caeremonia superstitiosa est, quia actionibus neque de se neque de Christi aut Ecclesiae institutione aptis attribuitur effectus, i. e. adiutorium animis praestitum; possumus etiam dicere, caeremoniam superstitionem falsae religionis esse, quia falsis innititur persuasionibus de anima humana.

226. b) et c) In usu sacramentalium possunt homines superstitionem committere, si non in Dei misericordia et potentia aut Ecclesiae precum efficacia suam confidentiam collocant, sed a sacramentalibus, ut caeremoniis, tanquam a magicis artibus effectum infallibilem in sua simplicitate expectant. Propterea saepe in vera doctrina instruendi sunt fideles, ne rebus sacris abutantur. Non facile peccati arguendi sunt Protasius ob olera aut Agatha ob butyrum benedictum Quoad lunae influxum et castanearum fructus non multum se immisceat sacerdos, nam multae vires naturales ignotae adhuc nos latent, multa, quae populus ex instinctu quodam observabat, postea a doctis scientificè explorata et explicata sunt. Relinquat rusticos in pace, doceat eos, nos tantum a Deo non ab aliqua vi mysteriosa benedictionem expectare debere.

SUPERSTITIO. (95)

a) Martha confitetur: confluunt ad me puellae et adolescentes imo etiam homines aetatis provectoris, ut eis futuram sortem in chartis legam. Quo plus solvunt, eo faustiora divino, sed ipsa chartarum combinationibus fidem non praebeo.

b) Aegroti quoque a me herbas expostulant ad morbos sanandos; libenter eis concedo pro parvo pretio.

c) Orationem scio ad duodecim apostolos, quam si recito et aegrotos unguento a me praeparato quinquies in forma crucis ungo, certe omnes ex morbo sanantur. Quomodo Marthae praxes aestimandae sunt?

Solutio.

227. a) En nostri salutores (Alph. IV. 19) (znahor) in Martha praesentati! Martha contra virtutem religionis directe non peccat graviter, dum in chartis legit—ob fidei defectum; nihilominus delinquit indirecte, quia consulentibus cooperatur ad peccatum superstitionis (fortasse etiam daemoniacae) et aliis scandalum praebet; praeterea peccat, quia omnes decipit. Absolvenda non est, donec praxim iniquam abrumpere promiserit.

228. b) Inquirendum est, num morborum et medicamentorum seriam aliquam scientiam habeat, quod inter rusticos quoad nonnullas morborum species aliquando evenit. Si negaverit, deceptionis rea apparet et tenetur tum exercitium artis abrumpere tum salaria restituere. Si vero experientia demonstravit, eam aliquot personis profuisse, non est inquietanda sed admonenda, ne in casibus gravioribus sibi plus iusto fidat.

229. c) Ex eo quod unico unguento infallibilis sanatio omnium morborum expectatur, vanam observantiam cognoscis et licite quoque suspicari potes, non ex confidentia in Deum precum recitationem et crucis formationes procedere, sed vim aliquam magicam ex opere operato eis attribui, quod superstitionem redolet. Etsi Martha forte leviter contra religionem peccaverit, utpote rea simplicis vanae observantiae, tamen haec praxis sub gravi ei interdicenda est ob pericula, quibus aegrotos exponit, dum negligentiam in morbis serio curandis foveat.

SUPERSTITIO. (96)

a) Plures iuvenes de hypnotismo disserentes, rem experimento dilucidare statuunt; eligitur Jacobus hypnotisandus, sed huic scrupulus exoritur, num licite se subdere possit.

b) Ignatius, medicus, qui saepius hypnotisat, amicis suis curiosis experimentum hoc in uno eorum monstrat.

c) Valentinus, qui studio psychologiae addictus, experimenta hypnotismi serio facit et investigat, sequentes ponit interrogationes: ubi est anima patris demortui, quae causa et sedes aegritudinis sui amici, quid in vicino cubili fit? Porrigit hypno-

tisato epistolam clausam legendam, numerum denique cogitatum divinare iubet etc.

Quaeritur, an et quomodo supradicti peccaverint?

Solutio.

230. a) Etsi hypnotismi phaenomena causis naturalibus certe adscribi debent, tamen praxis haec, utpote corpori et animae periculosa, licite exerceri potest solummodo a viro perito, ex causa iusta, vgr. ad fines scientificos, ad morbum sanandum, secludi quoque debent interrogationes, quae captum humanum transcendunt. Quum in casu saltem duplex prior conditio desit et periculum quoad tertiam immineat, Jacobus non potest permittere in se experimenta facere. Sciant iuvenes, se multa expertis credere, non omnia ipsos experiri debere.

231. b) Etsi Ignatius peritus sit in arte hypnotisandi, tamen illicite egit, quia causam iustam non habuit. Hypnotisatus enim privatur usu rationis et liberae voluntatis ad tempus sui somni sine iusta causa, quod illicitum est. Culpa vero utriusque non excedit per se veniale peccatum, quia omne periculum damni abest. (Génicot, Th. I. 274).

232. c) In hypnosi et sensuum et ingenii vires aliquando exaltantur et ideo hypnotisati mira loquuntur, vulgo tamen in ambitu cognitionis humanae responsa eorum manent. Si ab eis sciscitantur res, quae captum humanum transcendunt, nec de diabolo quis cogitat, committitur superstitio simplex, quae est graviter peccaminosa, si quaestiones referuntur ad res maioris momenti et firma fides praestatur; est leviter mala, si res sunt vanae; abest culpa, si scientifica experimenta serio peraguntur, quin fides responsis praebeatur.

In casu narrato Valentinus certe superstitioso modo hypnotismum exercuit, quando quaestionem quoad statum animae patris sui posuit; excusare eum posset seria intentio investigandi per modum experimenti, num et quale responsum obtenturus sit, sed iam in antecessum deberet omnem fidem cuilibet responso denegare. Quoad morbi causam et sedem attendendum est, num notitia haec spectatis circumstantiis captum hypnotisati transcendat, quod contingeret, si hypnotisatus esset persona omnino aliena, rerum medicarum ignara; in casu affirmativo erit supersti-

tio. Vulgo tamen quoad multas quaestiones res dubia manet; in dubio autem licet ex causa gravi exercere praxim, nam praesumendum est, effectum a natura procedere. (Croix III. p. I. n. 28). Tamen docente s. Alph. (IV. 20), »praemittenda est protestatio, nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit« (cf. S. C. Off. 26 iulii 1899). Reliquis quaestionibus etiam expostulat Valentinus, quae vires hominis naturales ordinarie superant; quia tamen vires naturae ignotae sunt et ille serio rem tractat, non dicerem eum peccati reum; si cum protestatione contra daemonicum influxum talia experimenta clam faceret, semotis omnibus, quae scandalum parerent. Eisdem quaestiones serio interponere hypnotisato, non ob fines scientificos, certe peccatum est superstitionis. Si vero alicui persuasum esset, spiritus quosdam per hypnotisatum loqui, esset spiritismus (daemoniaca superstitio) aut saltem conamen necromantiae vel pythonsismi.

SUPERSTITIO. (97)

a) Apud Eugenium, medicum, consilium quaerit Romanus iuvenis, pro nervis suis excitatis et voluntate debilitata. Comperit medicus, eum vitio pollutionis esse deditum, eique suadet, ut hypnosi se tradat ad maiorem firmitatem nervorum assequendam. Annuit Romanus; medicus in somnum eum coniicit et dormienti per suggestionem severissime vetat tactus turpes. Hac pia fraude Romanus initio aliquem animi vigorem recuperavit, deinde rationis et fidei subsidiis adiutus, omnino a turpi consuetudine resipuit. An usus hypnosis in casu liceat? (Cf. Génicot, Cas. consc.).

b) Venceslaus aegrotus nonnisi hypnotismo ex quadam hallucinatione sanari potest; renuit tamen hoc remedium, persuasus, diabolo omnia hypnotismi phaenomena deberi. Joannes medicus in arte hypnotisandi peritissimus, ipso inscio in somnum artificialem eum coniecit—et sanavit. Num licite hoc fecerit?

Solutio.

233. a) Nihil est in casu, quod hypnosim illicitam reddat; perficit enim eam homo expertus, qui finem omnino laudabilem

et naturalem prosequitur. Quantum hypnosis in casibus similibus prosit, adhuc nil certi statui potest; multi tamen et graves viri affirmant, per convenientes suggestiones in hypnosi adhibitas et nervos pacari et voluntatem confortari, ideoque hypnosim etiam ad vitia moralia sananda eatenus conferre posse, quatenus physica dispositio in ea influit.

234. b) Inviti rarissime in hypnosim coniiciuntur, (Coconier *L'hypnotism franc*, pg. 73); aliquando tamen contingit hoc apud homines extraordinaria sensibilitate praeditos; sed quaeritur, num licite agant, qui invitos somno consopiant? Respondemus, in genere hoc esse illicitum, quia nemo invitus usu rationis privari potest. Tamen in casu narrato puto, Joannem non peccare, si ei ut medico nullum aliud remedium restat et ex sua experientia ei persuasum est, hypnotismum in determinato morbo prodesse aut saltem nunquam obesse. Nescio enim aliam assignare causam renitentiae Venceslai, praeter irrationabilem persuasionem; iam vero multa contra aegrotorum voluntatem tum medici tum circumstantes faciunt, quae aegroti irrationabiliter renuunt; vgr. quoties dolose medicamenta eis porriguntur! Ne dicas, hypnotismum esse extraordinarium remedium, ad quod nemo tenetur; nam medici cum tali dexteritate eum exercent ut nullo modo aliquid difficile vel molestum ei inesse possit. Praeter recuperatam sanitatem potest Venceslaus et hanc utilitatem capere, quod forte suam erroneam persuasionem deponet.

SUPERSTITIO. (98)

a) Anuntiatur spectaculum spiritisticum in oppido et quidem promittitur, fore, quod ope celeberrimi medii, puellae cuiusdam, spiritus mortuorum evocabuntur, corruscabunt, scribing, futura divinabunt etc. Petrus quaerit, an licitum sit huic spectaculo recreationis causa assistere?

b) Paulus persuasus, tabulas rotantes motu inscio nervorum et musculorum in gyrum versari, experimenta cum sociis facit et a mensa responsum ad sequentes quaestiones expostulat: quale nomen eius patris, qualis aër hoc anno exspectandus, quisnam ei horologium furatus est, quale thema pro examine

scriptuali aderit? Alia vice adivit coetum rotantium tabulam indubie divinantem, curiositate ductus, utrum reapse quaedam supernaturalia ibi contingerent, an viribus naturalibus omnia adscribenda sint. Quid de eius praxi in utroque casu?

Solutio.

235. a) Sine peccato interesse spectaculo Petrus non potest quoniam cooperaretur malo; nam spiritistica spectacula, quantumvis raro daemones reapse interveniant, adhuc superstitiosa remanent, nam spiritistae saltem attentant necromantiam et pythionismum exercere, quod certe peccaminosum est. Ex curiositate semel iterumque interesse, tanquam spectator, per se est leve. Imo nullum est peccatum in duplici casu: a) si palam constaret, spiritistam non serio rem tractare sed nugas exercere; (Noldin, De praec. n. 170); 2) etiam supposito serio spiritismo, si quis rem serie investigare intenderit, ut deceptorem detegat. In quantum hic finis prudenter sperari posset, in tantum alienus esset a peccato, qui huiusmodi spectaculis assisteret.

236. b) Rotatio mensae causis naturalibus ita adscribenda est, ut ipsi adstantes inscii aliquo modo responsa dent. Ex hoc principio fluit, superstitiosum esse abusum tabularum (divinatio), si quaestiones ponuntur, quae captum adstantium certo excedunt; nullam vero adesse superstitionem, si quis persuasus, rotationem esse naturalium causarum effectum, experimenta psychophysica facit et in genere nihil praeternaturale expostulat. Excepta prima interrogatione, quae licita apparet, quoad ceteras inquirendum est, num aliquis adstantium rem scire potuerit; si responsa superarent eorum captum (ut clare patet de quaestione quoad aërem) ineptum et superstitiosum esset, eadem a mensa expostulare. Quia vero agitur de rebus minoris momenti, neque aliquis negotia sua gravia secundum ista responsa componere intendit, peccatum hoc est simplex superstitio, venialiter peccaminosa. Esset superstitio daemoniaca et proin graviter peccaminosa, si quis postularet, ut daemon ei responsa daret. In altero casu per se non peccavit Paulus propter meram assistentiam, eodem modo ac nemo peccat, si audit maledictiones; dixi »per se,« nam per accidens scandalo posset peccare, si ad-

stantes excitaret ad talia superstitiosa experimenta facienda. (Génicot, Cas. consc. I. pg. 78. ed. II.).

TENTATIO DEI. (99)

a) Rudolphus, eximio eloquentiae dono a natura praeditus et in arte contionatoria per plures annos bene exercitus, ambonem ascendit vulgo absque ulla praeparatione, confidens in sua loquendi facilitate.

b) Thomas pro difficili sed honorifica contione dicenda invitatur occasione alicuius festivitatis; aliquantulum se praeparavit, de cetero dixit: ego confido verbis Christi: »dabitur vobis in illa hora, quid loquamini«. Sed cum tristitia expertus est in se veritatem adagii: Qui ascendit sine labore, descendit sine honore.

c) Joannes, sacerdos, ad hominem typhoide aegrotantem accersitur et omnia media antiseptica a medico oblata respuit, dicens: Deus proteget ministrum suum. Post paucos dies in eundem morbum incidit, medicos et medicinam spernit, quia nullam fidem eis praebet.

d) Arnoldus timore difficilis examinis cruciatus: si tantum Deus existit, ait, superabo tentamen, quia diligenter laboravi. Collega eius, Antonius, eximio ingenio praeditus, attamen fide debilitatus dicit: eventus examinis me convincet Dei existentiae. Si feliciter superabo examen, Dei existentiam non credam, secus admittam Numen supremum.

Quaeritur, num peccata tentationis Dei commissae sint in casibus narratis?

Solutio.

237. a) Rudolphus confidit in facilitate contionandi, non autem in aliquo divino auxilio extraordinario, propterea non est reus tentationis Dei. Certe nonnulli sacerdotes, dono eloquentiae a natura praediti, laboriosa et longa praeparatione non indigent, tamen etiam ii aliquam meditationem contioni praemittere debent, secus raro cum fructu loquentur et proinde peccabunt, ut Rudolphus, neglegentia.

238. b) Thomas non sufficienter se praeparando peccavit leviter explicita Dei tentatione, quia sine iusta causa extraordinarium auxilium divinum exspectabat. Per accidens posset etiam graviter peccare, si contione sua religionem catholicam ludibrio exponeret.

239. c) Clarum quoque est, Joannem duplicis peccati reum esse; etenim propter vilipensa media antiseptica primo exposuit se gravi periculo amittendae sanitatis; in ordinario enim rerum cursu facillime inficiuntur, qui typhoide decumbentes tangunt vel eis se appropinquant posthabitis cautelis; si Dei protectionem exspectavit, extraordinarium auxilium praestolatus est, temere tentans Deum. Deinde si aegrotus respuat medicamenta, violat praeceptum custodiendi vitam suam. Peccatum eius est per se grave, etenim quilibet tenetur in gravi morbo ordinaria remedia adhibere. Dixi per se, nam aegroti vulgo non reddunt sibi rationem de suo statu periculoso et suis viribus, feбри excitati, nimis fidunt. Ideo domesticis incumbit officium accersendi medicum etiam contra aegrotorum voluntatem.

240. d) Arnoldi locutio, sat frequenter usitata, non est Dei tentatio sed secundum intentionem loquentium potius provocatio ad divinam iustitiam, laborem felici exitu remunerantem. Antonius vero Deum explicitè tentat et graviter peccat. Si examen superavit, hoc non Dei existentiam sed eius laborem et ingenium probat. Si Deus temerariae eius provocationi hac occasione per poenam non respondit, forte alia occasione superbum animum confundere statuit.

SACRILEGIUM. (100)

a) Jacobus conventicula cum puella sub platano umbrosa in coemeterio horis vespertinis saepius instituebat, turpiter cum ea colloquebatur, impudice eam amplectebatur et pedetentim ad fornicationem pervenit.

b) Cum nuptiae eius instarent, pecuniam per fas et nefas colligebat; itaque ex vestibus alicuius fidelis adstantis in ecclesia decem coronas extraxit, anulum aureum qua votum in imagine B. V. M. appensum furatus est, in sacristia quoque abstu-

lit marsupium aeditui ecclesiastici diligenter absconditum et vasa argentea parochi clausa in turri ecclesiastica.

c) Non diu tamen his bonis fruebatur; mox infortuniis fractus et vitae pertaesus in eadem ecclesia venenum sumpsit. Parochus ante auroram de hac re certior factus, clam cadaver foras eiici iussit et omnibus silentium imposuit; ast mox missam celebraturus, dubitat, num liceat ei in eodem templo sacrum celebrare.

Quid de moralitate actuum Jacobi censendum est? quid consulendum parochi?

Solutio.

241. a) Communiter Lugonis sententia ab omnibus admittitur, qui dicit: »per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, videtur, quod peccata (in ecclesia commissa) contrahant ex loco sacro aliquam irreverentiam specialem«, quae tamen non semper gravis est, etsi alia virtus graviter laedatur et proinde non semper in confessione necessario explicanda. De obscoenis vero tactibus et verbis in loco sacro idem (n. 464) auctor tenet, ea induere speciem gravis sacrilegii, si sunt magnopere impudica; puto tamen restringendam esse eius opinionem ad casum, quando haec peccata coram pluribus fiunt; nam si sunt occulta cum Noldin (De praec. 178) pro venialibus sacrilegiis ea habet hominum aestimatio. Haec valent de ecclesia et eadem repetenda sunt de coemeterio disiuncto, sed proportionem servata, nam hic difficilius gravia sacrilegia committi praesumuntur, praesertim in magnis urbibus. In casu narrato de fornicatione nullum est dubium, quod est lethale sacrilegium; quoad tactus et colloquia responsum ex dictis patet. Quia tamen delictum fornicationis occultum manet, coemeterium non est pollutum.

242. b) Furtum pecuniae in ecclesia commissum non est grave quia sacrilegium, quia pecunia omnino profana erat. Annulus aureus addictus erat templo, ideo si furatus est eum Jacobus, gravis sacrilegii reus evasit. Ablatio autem marsupii et sacristia et vasorum argenteorum e turri sensu stricto non in loco sacro patrata est et proinde nullum sacrilegium involvit. Communiter enim admittitur, quod si agitur de actibus directe

oppositis loci sacri sanctitati, non tam late sumitur locus sacer, quam si agitur de immunitate locali (ius asyli) sensu iuris canonici.

243. In ecclesia polluta missam celebrare sub gravi interdictum est; ut autem ecclesia polluatur, factum suicidii debet esse publicum sive iuris sive facti notorietate (Alph. VI. 364); quamdiu paucis tantum notum est, templum non censetur pollutum. In casu nostro stricte loquendo posset parochus adhuc celebrare, quia suicidium nondum est divulgatum; consultius tamen certe erit abstinere a sacro, praesertim si alia adest ecclesia, et recurrere ad episcopum; ratio prioris est, quia indagaciones iudicis et custodum securitatis factum certe publicum reddent.

SACRILEGIUM. (101)

Alexander, cum araret, graviter laesit in tota longitudine agrum parochialem. Tempore messis plures manipulos tritici ex beneficiali agro furto abstulit. Parochus furem in suo vicino fortiter suspicans, exprobrat ei improbitatem. Alexander quo facilius se occultet et innocentem ostendat, simulat offensam et parocho publice insultat, maledicit eumque ut calumniatorem conviciis onerat etc. Sed mox nuptias init et bannis proclamatis confitetur, suscipit communionem et matrimonii sacramentum, reticet tamen in confessione haec peccata. Post longum temporis intervallum graviter aegrotus tandem sincere coram parocho confitetur, se plura sacrilegia gravia commisisse; sufficitne talis confessio?

Solutio.

244. Quia secundum communem theologorum doctrinam adest differentia specifica inter sacrilegium personale, reale et locale (2-2 q. 99. a. 3), ideo quaelibet species sacrilegii distincte in confessione indicanda est. In casu nostro laesio agri beneficialis constituit reale sacrilegium, quia ager plebanalis reputatur pro loco sacro sensu latiore. Non incurrit tamen excommunicationem et quidem neque ex bulla Apostolicae Sedis (l. 11.) neque ex Trid. (Ses. 22. c. 11 de ref.), quia non usurpat agrum auctoritative, ut vgr. rex, deputati ad comitia, sed qua fur rem alienam

aggreditur. (Bucceroni, Comment. n. 38. 76, qui provocat ad D'Annibale; Avanzini-Pennacchi, Comment. in Ap. sed. Alii auctores excommunicationem Tridentinam in hoc casu statuunt). In praxi ob doctorum discrepantiam mitior sententia est sequenda. Auferendo manipulos non committit sacrilegium, quia non fructibus agrorum sed iuribus in agros nota sacri competit. Insultationes et convicia etsi gravia sint, laedunt quidem honorem personae sacrae ast non ipsam personam, ideoque peccata gravia sunt sed tantum contra iustitiam et contra pietatem parochus debitam. Indignae susceptiones sacramentorum constituunt sacrilegia realia, quae tamen specie non differunt ob diversitatem sacramentorum (S. Thomas ibid.). Quoniam vero in matrimonii sacramento ipsi contrahentes tum ministri tum suscipientes sunt, ideo Alexander non confiteretur integre, si diceret in genere, se tria sacrilegia realia commisisse, intellegendo tria sacramenta, quoniam non explicasset speciem distinctam sacrilegii ex indigna administratione sacramenti matrimonii. (Lehmke. I. 380). Quenam obligationes incumbant Alexandro et quonam modo confiteri debeat, clare patet. Haec valent pro theoria, nam in praxi fideles rem per extensum narrant et eo ipso circumstantias species mutantes assignant. Si ipse parochus laesus sacram confessionem infelicis Alexandri excipit, facile omnia peraguntur quoad restitutionem famae et honoris, quoniam cor contritum et humiliatum poenitentis ovis pastor eius non despiciet et ut Deus condonet, ipse condonabit iniurias; ast restitutionem ob limites transpositos in agro plebanali parochus condonare non potest, quia non proprietarius beneficii sed tantum eius administrator et usufructuarius est; permoveat itaque poenitentem, ut obligationem restitutionis haeredibus imponat.

SACRILEGIUM. (102)

a) Felix, parochus, in casula dilacerata, alba maculis plena et cum purificatorio sordido ad altare pergit; cum calicem rubigine corrosum ad offertorium detexerit, conspicit, se patenae oblitum esse; iubet itaque puerum ministrantem eam apportare.

b) Cum convivium apud se institueret occasione diei ono-

masticae tum mappis ex altaribus ad tegendas mensas, tum tapetibus et candelabris ex ecclesia ad ornanda cubilia usus est.

c) Cum quaedam albae et superpellicea scissuris superabundarent, dedit eas pauperibus, ut indusia sibi conficerent.

d) His omnibus non inquietatur, sed dubium sacrilegii venit ei in mentem, quando utebatur papyro ad involvendas merces, et quidem ideo inquietabatur, quia in eodem imagines Christi et Sanctorum typis impressae erant.

Quid in singulis casibus sentiendum?

Solutio.

245. a) Sacerdos, in immundis et dilaceratis paramentis celebrans, peccat sacrilegio, oblitus verborum: »Domine, dilexi decorem domus tuae«. »Sancta sancte tractanda.« Peccatum hoc potest esse grave, si cum magno dedecore negligentia sacerdotis coniuncta esset ita, ut prudentium hominum indignationem gravem causaret; paramenta enim mentes elevare et ad cultus nitorem conducere debent. Adhibere calicem rubigine corrosum ad missam veniale peccatum non excedit (Cf. Génicot, Cas. II. de euch.) Vasa sacra tangere non licet laicis sub veniali, qui tamen ob ignorantiam vulgo excusantur, ast sacerdos id permittens a culpa immunis dici non potest; benignissime sentientes permittunt hoc sacristis laicis, qui in habitu clericali ecclesiis deserviunt. (Bucceroni, Theol. 506). Attamen in nostro casu, quoniam non potuit parochus ab altari discedere, nullum peccatum commisit, si puero patenam apportare mandavit.

246. b) In genere peccaminosum est adhibere res consecratas aut saltem benedictas ad usus profanos; tamen in casu enarrato ab omni labe peccati immunis parochus censeri debet, quoad candelabra et tapetes, quia ob extraordinariam necessitatem usus est rebus, quae tantum mediate ministerio sacro in serviunt et specialiter benedici non solent. His non obstantibus peccaret, si semper et indifferenter supradictis uteretur, saltem ideo, quia rei alienae usum sibi usurparet.

Propter usum mappae, quia haec benedici solet, difficilius a veniali peccato excusatur, nisi extraordinaria aliqua necessitas urgeret (Génicot, Cas. tr. VI.), prouti David omnino licite sacros panes propositionis comedit, quando fame premebatur.

247. c) Non peccavit detrita paramenta ad usus profanos adhibendo, nam certe adhibebantur non in eadem forma, sed in mutata.

248. d) Absque peccato potest quoque uti ad libitum papyris, non obstantibus Christi et Sanctorum imaginibus; non enim depictae sunt, ut colantur, sed ut venditio promoveatur; secus ob papyri impressi abundantiam et usum divulgatum quilibet catholicus centenis scrupulis exponeretur. Decet tamen non adhibere eiusmodi papyrum ad usus sordidos.

SACRILEGIUM. (103)

a) Jonnnes, parochus, a cooperatore suo in honore laesus accusat eum coram civili iudice tum ob offensam illatam tum ob 200 coronas, quas ante tres annos mutuatas frustra reclamat; commonebat quidem fratrem in Christo, sed surdo canebat.

b) Idem parochus in antiqua ecclesia, iam non usitata, conventiculum catholicorum instituit, ut candidatum catholicum ad imperii comitia eligendum adiuvet. — Quid ad casus?

Solutio.

249. a) In imperio Austriaco privilegium fori iam dudum sublatum est; concordatum (an. 1855) art. 13. et 14 expresse id proclamat et conniventiae Sedis Apostolicae documentum tradit; nulla vero exemptio quoad clericos facta est, quominus alios in iudicium citare non possent. Attamen dicendum est cum s. Paulo: »Omnia mihi licent sed non omnia expediunt«. (I. Cor. VI. 12). Joannes citando sacerdotem ad iudicem civilem in causa criminali (laesio honoris), sacrilegium quidem non commisit, tamen certe scandalo peccavit, nam per hoc ad vilipensionem eximii status sacerdotalis confert et populum ad processus iudiciales incitat. Causam agere debuit coram tribunali ecclesiastico. Quoad civilem actionem expediebat prius ad episcopi tribunal se convertere; si id neglexit, ideo gravis peccati scandali eum non arguerem, nisi extraordinariae circumstantiae accederent.

250. b) Parlamenta saecularia aut in genere conventus politicos instituere in templo non licet; neque expedit provocare ad antiquas consuetudines, nam hae omnino disparuerunt; hodie eo magis omnem mali umbram vitare debemus propter radicales, qui clamorem in ephemeridibus saepius extollunt, exprobrantes catholicis abusum templorum et religionis ad res politicas, per quod debiles in fide ab Ecclesia abalienant. Proinde Joannes ab aliquo peccato sacrilegii immunis dici non potest.

SACRILEGIUM. (104)

a) Petrus parochus imaginem antiquam Anglo cuidam, vetustarum rerum amatori, pretio 1000 coronarum vendidit, nemine prius interrogato.

b) Pro pretio 200 coronarum secreto facultatem dedit vicino Joanni in perpetuum utendi via plebanali.

c) Idem beneficiale pratum vendidit Adalberto et in usum iam tradidit, ast demum post unum annum tum episcopo tum gubernio civili rem notificavit et contractum conscripsit.

d) Praedium denique beneficiale ad decem annos locavit, sed pennae et incausti hostis, superfluum putavit, Episcopum de hoc certiores reddere.

Quaeritur, an peccaverit et excommunicationem latam in illegitime alienantes incurrerit?

Solutio.

251. a) Tum lex ecclesiastica tum civilis vetat alienationem bonorum ecclesiasticorum tum mobilium pretiosorum tum immobilium sine licentia utriusque potestatis. Bulla Pauli II. »Ambitiosae« edita an. 1468. ex postulabat beneplacitum apostolicum pro alienandis rebus maioris valoris (supra 25 aureos); nunc vero quia gubernium Austriacum s. Sedis ingerentiam excludit (lex ex a. 1874, 7. maii, §. 51.), Romani Pontifices tum episcopis tum Nuntiis pro quolibet decennio facultatem dant, ut nomine s. Sedis licentiam alienandi bona concedant. Qui alienant bona contra regulas in bulla »Ambitiosae« expositas, incurrunt excommunicationem latae sententiae. Quaeritur num in Austria, ubi

loco bullae »Ambitiosae« speciales dispositiones videntur, censuram incurrant, qui ista specialia praescripta non observant? Res difficultate non caret; quia in odiosis versamur, tentatio infestat dicere: speciales conventiones non sunt idem ac bulla »Ambitiosae«, ergo non incurritur excommunicatio. Attamen ista sententia nimis laxa nobis videtur, quia 1) facultates istas largitur S. Sedes Episcopis et Nuntio, »quo expeditius Sedis apostolicae auctoritas intercederet« et utentes hac facultate semper mentionem facere debent delegationis a R. Pontifice; delegantis vero et delegati una est auctoritas, solummodo modus exercendi potestatem diversus. 2) Leo XIII. declaravit ¹⁾, ubique terrarum constitutionem »Ambitiosae« obligare, quod dicere non posset, si concordata et speciales conventiones vim eius quoad excommunicationem enervarent. His expositis, sequentia de casibus narratis statuimus: Quia imago erat res mobilis longe summam 500 coronarum ²⁾ excedens, contra dictam bullam »Ambitiosae« parochus eam vendidit, nam absque licentia potestatis ecclesiasticae, et incurrit excommunicationem; quoniam vero haec contra praesumentes lata est, excusat ab ea omnis ignorantia. Si imaginis valor infra 500 coronas haereret, parochus non incurreret poenam, quia mobilia non pretiosa (infra 500 cor.) bulla Pauli II. non respicit. Pretium restituendum est ecclesiae.

Quid si parochus pro pretio obtento paramenta pro paupere ecclesia emisset et ipse nullum lucrum percepisset? Plures auctores excusant eum a poena, sed nullus excusat a gravi peccato (Bucceroni, Comment. n. 83, qui ad alios auctores provocat).

252. b) Concessio servitutis praedialis a parochis facta reputatur pro alienatione (Aichner, ibid §. 226, Avanzini-Pennacchi ibidem). Quia tamen res minoris valoris est, licet episcopo potestate ordinaria hanc alienationem permittere (cf. c. Terrulas), proinde parochus ob hoc delictum non incurrit excommunicationem, quia hac plectuntur ii, qui bullae »Ambitiosae« dispositiones neglegunt; haec autem casus respicit, in quibus beneplacitum Apostolicum non episcopale procurandum est. Attamen

¹⁾ Cf. Aichner, Comp. iuris §. 226 n. 18; Avanzini Pennacchi, Comment. Alienantes.

²⁾ Lehmkühl, II. 974.; Noldin, Comment. Alienantes.

graviter peccavit parochus et sciat, quod contractus eius est invalidus et pecuniam debet reddere danti; in casu autem praescriptionis ex parte emptoris Joannis, reddendum est beneficio.

253. c) Quoad prati venditionem, theoretice loquendo Petrus non effugeret censuram, si absque ulla conditione illud vendidisset; si tamen apposuisset conditionem de petendo consensu episcopi post annum, effugeret poenam. Quoniam in Austria venditio valida agri sine licentia utriusque potestatis impossibilis est, ideoque in omni venditione a paracho peracta conditio petendi consensum episcopi subintellegitur; ideo puto, Petrum practice in casu hoc non incurrere censuram.

254. d) Locatio denique praedii ad tempus ultra triennium absque beneplacito apostolico bullae »Ambitiosae« adversatur et excommunicatione plectitur (Ap. Sed. IV. 3.). In Austria facultatem locandi usque ad 15 annos episcopus concedere potest tanquam Sedis ap. delegatus. Qui neglegit episcopo et gubernio civili locationem notificare, in casu mortis beneficiati exponit locatarium periculo damni (de quo in iure canonico); num vero apud nos incurrat excommunicationem, qui ultra tres annos locat praedia, res magnopere dubia est; puto, censuram in hoc casu in desuetudinem abiisse.

SIMONIA. (105)

Vincentius plurium beneficiorum parochialium patronus, a) praesentat Paulum sub conditione, ut organario, qui dotatione caret, concedat in usum duo iugera agri plebanalis; b) ad Petrum, instrumento praesentationis subscripto, dicit: pingue habebis beneficium, spero a te permissionem venandi in agris plebanalibus! Petrus respondet in genere, se certe gratum fore; c) videns aliam parochiam in suo latifundio magnopere neglectam, offert praesentationem Jacobo, zeloso sacerdoti, et duos equos, ut ad beneficium eum alliciat. Annuit Jacobus.

Quaeritur, an adsit simonia in casibus allatis?

Solutio.

255. a) Etsi Vincentius non pro se sed pro alio nempe pro paupere organario rem temporalem expostulavit, nihilominus iuris divini simoniam committit.

256. b) In hoc casu et Vincentium et Petrum ab omni simoniaca labe excusarem, quia nullum antecederet intervenit pactum quoad ius venandi et praesentationem. Neque mentalem simoniam alteruter commisisse dici potest; patronus immunis est ab hac labe, quia praesentavit cum spe iuris venandi, quam etsi antea conceperit et postea manifestaverit, tamen eo ipso ad nihil Petrum obligavit; eiusmodi tamen locutiones valde periculosae sunt, si ante praesentationem proferuntur. Petrus etiam immunis a mentalis simoniae macula censeri debet; promissio enim gratitudinis in genere, sine antecedenti determinatione alicuius objecti, non efficit simoniam, nam quilibet patronus gratitudinem iuste exspectare et praesentatus eam ostendere et promittere potest; practice vero talis promissio antecedens facillime simoniam redolet, quia consensum in obligationem dandi temporale exprimit. Simoniae ambo essent rei, si patronus ante praesentationem spem obtinendi ius venandi manifestaret titulo gratitudinis et sacerdos eam etsi in genere promitteret. Patronus enim praesentaret ratione spei obtinendi temporale, cui satisfacere sacerdos promitteret; breviter, adesset iam pactum.

257. c) Qua patronus ipse utrumque dat: et spirituale et temporale, itaque nulla permutatio intercedit et proinde nulla simonia.

SIMONIA. (106)

a) Felix beneficium ambiens, ut animum patroni capteret, chartis cum eo ludit et consulto errores committit, ut patronus lucretur. Industriam cognoscit patronus, subridens ludum continuat, favorabilem aspectum in sacerdotem et in crescentem pecuniae acervum proiciens. Altera die Felicem praesentat. An simoniam effugerit?

b) Petrus, sacerdos, paroeciam pinguem obtinere cupiebat; sed novit Bernardum, secretarium episcopi, qui plurimum eius

consiliis movebatur, huic nominationi adversari. Ut animum eius caperet, ad prandium eum invitavit, muneribus cumulavit, pauperibus eius consanguineis opitulari coepit. His omnibus commotus secretarius non solum non adversabatur promotioni sed etiam enixe commendavit eum episcopo et examinadoribus prosynodalibus, quo factum est, ut beneficium obtinuerit. Quaeritur, an simoniam commiserit? (Génicot, Cas. consc.).

c) Ludovicus IX. rex Galiae an. 1239. pretio 200 000 librarum Coronam spineam Salvatoris, quae Parisiis in Nôtre Dame asservatur, emisse dicitur. Boleslaus Fortis, Poloniae rex, auri pondere corpus s. Adalberti ab impiis Borussis emisse fertur. Quae legens frater laicus cuiusdam monasterii, reliquias s. Francisci 10 coronis Joanni vendidit; similiter rosarium a Romano Pontifice benedictum et eo ipso indulgentiis ditatum Mariae, piaefamulae, 2 coronis vendidit. Inquietatus tamen a confessario petit, an licite egerit?

Solutio.

258. a) Sine dubio non ora ludentium sed facta loquebantur et ludus palliavit tantum non sustulit nefandum vitium simoniae. Ne dicas, nullum adesse pactum mutuum et consensum ex parte patroni manifestatum; hic enim per spontaneam ludi continuationem exprimitur. Quilibet nempe scit, in ludo maiores errores facile cognosci et iocose exprobrari, non vero approbari. Potuit patronus non animadvertere unum alterumve errorem, non autem eorum seriem; nec tam simplex est, ut eorum significationem non cognoverit. Si ludere continuavit, eo ipso consensum in propositionem tacite a sacerdote oblatam praestitit. Adest ergo consensus duorum in idem placitum externe manifestatus seu contractus. Ceterum in foro conscientiae attendendum est ad intentionem internam utriusque. Si vero sacerdos videret, patronum irasci, quando pecuniam in ludo amittit et propterea aliquos parvos errores ex industria committeret, ne eum exacerbaret, nulla adesset simonia, quia nemo prudens parva pecunia beneficium emere aut vendere praesumitur; nullus quoque prudens sacerdos in his adiunctis patronum ad iram excitabit.

259. b) Petri praxis magnopere periculosa est, sed adhuc simoniae delictum saltem theoretice effugit, etenim Petrus intendebat solummodo captare animum secretarii et non habuit voluntatem strictam obligationem ei imponendi, ut intercederet pro eo apud episcopum et canonicos, nil dicam iam de aliquo pacto externo, cuius nullum vestigium apparet. Aliquis enim contractus, aliqua mutua consensio necessaria est ad simoniae essentiam. Dixi: »saltem theoretice,« nam in praxi »quoties datur temporale solo intuitu rei spiritualis, facile praesumenda est intentio saltem virtualiter simoniaca« (Marc, I. 589, 2). Certe esset simonia ob largitionem pecuniae in quantitate excedente consuetas eleemosynas pro consanguineis secretarii, si hic rem resciverit et quodam modo manifestaverit, fore, quod intercedet, si pecunia eius consanguineis ulterius largietur, ita ut aliquis tacitus contractus eum inter et Petrum intercesserit. Quamdiu mutuus consensus aliquo modo non manifestatur, non committitur vitium simoniae realis, quae in iure punitur, etsi ex una parte intentio adfuerit simoniaca. In foro interno attendendum est praepremis ad intentionem.

260. c) Respondeatur fratri: si duo faciunt idem, non semper est idem. Reges non emebant reliquias sacras, quasi pretium offerentes, sed dederunt pecuniam, ut eas a profanatione praeservarent; hic vero commercium cum reliquiis fecit et proinde simoniae iuris divini reus evasit et peccavit graviter.—Pretium acceptum restituere non debet, quia solam virtutem religionis laesit, non autem iustitiam commutativam.

Vendendo rosarium maiore pretio ob indulgentias adnexas etiam commisit simoniam iuris divini et praeterea secundum Ecclesiae praescripta ipso facto venditionis indulgentiae exstinguuntur. Frater tenetur restituere pretii excessum, quem ratione indulgentiarum elusit; ratio est, quia dolose agebat: emptor indulgentias nullas lucrari potest per recitationem precum ope huius rosarii. Neque bona fides fratri patrocinari potest, quia si indulgentiae amittuntur, non adest obiectum contractus et nullus exstat titulus ad pretii excessum retinendum itaque laeditur iustitia commutativa. Non tenetur tamen restituere pretium pro valore physico rosarii.

SIMONIA. (107)

a) Carolus, sacerdos, apud quendam comitem, iure patronatus gaudentem, pluribus annis liberos in catechismo instruebat, sperans promotionem. Ecce cum beneficium vacasset, existimavit Carolus, sibi conciliandam esse adhuc comitissam quandam magnum influxum in patronum exercentem. Allegatis suis meritis humiliter eam rogat, ut apud comitem intercedat. Preces summa 1000 coronarum pro intercessionem fulcit. Quaeritur, an quietus in beneficio permanere possit?

b) Benedictus videns, filium suum parochum amicitia iungi cum vicino Joanne, exacerbatus dicit: ne multum ei fidus, ille non ex sincero animo cessit a beneficio tecum competendo, sed ego dedi ei 2000 coronas pro cessione. Contristatus est filius, quia pater maius ei vulnus inflixit, quam putavit. Quid facere debet?

Solutio.

261. a) »Carolus nullam commisit simoniam ex eo, quod praecise sub spe beneficii servivit comiti; ratio est, quia in hoc nullum intervenit pactum, nam spes nullum prorsus ius tribuit«. (Elbel, p. II. n. 605, cf. Croix, l. III. p. I. 74). Neque ex eo condemnandus est, quod sua allegaverit merita, nam beneficia convenienter dignioribus dantur; merita vero allegare nondum est idem ac aliquem stricte obligare velle sed officium gratitudinis in memoriam revocare et demonstrare se esse digniorem. Esset simonia, si sacerdos salarium oblatum repudiasset et eius loco beneficium postulasset. Ne dicas, instructionem in catechismo esse rem spiritualem et proinde licitum esse eam praestare pro beneficio; nam in re beneficiaria etiam onera spiritualia simoniam efficiunt; de cetero instructio in catechismo, si pretium expresse remittitur, muneris ab obsequio rationem habet. — Pro intercessionem pecuniam dare certe simonia est, quia directe paratur via ad spirituale obtinendum. (Alph. III. 64). Itaque Carolus non potest quietus in paroecia permanere, incurrit enim poenas in simoniacos statutas et quidem: 1) incurrit excommunicationem R. Pontifici reservatam; 2) provisio beneficii est irrita, ideo restituere debet perceptos fructus beneficiales; 3) fit in-

habilis ad idem beneficium obtinendum et quidem ipso facto; 4) si in censura actus ordinis exercebat, contraxit irregularitatem ex capite violatae censurae. Ab excommunicatione et irregularitate potest eum absolvere episcopus; ab inhabilitate solummodo R. Pontifex. Cum tamen in praxi sine scandalo et gravi incommodo Carolus parochia cedere vix aliquando potest, simplex confessarius potest quidem eum absolvere cum obligatione deferendi rem ad s. Poenitentiarium (S. C. Of. 16 Iunii 1897), sed poenitens sub poena reincidentiae tenetur coram eodem confessario se sistere, ut communicetur ei poenitentia et in genere omne id, quod s. Congregatio disposuerit. Si circumstantiae suadent, petat confessarius a S. Poenitentaria aliquam compositionem quoad fructus restituendos, imo et sanationem provisionis irritae.

262. b) Distinguendum est: aut triennium inde a possessione beneficii effluxit aut non. In priore casu potest tranquillus manere in beneficio, favet enim ei privilegium triennalis possessionis (regula Cancellariae 36), nam sine eius culpa simonia commissa est. (Elbel II. 640). Si ante triennium elapsum rem a patre comperiit, tunc parochus non incurrit excommunicationem, ut patet, attamen provisio beneficii erat irrita. Recurrendum ei est vel ad Romanum Pontificem vel ad episcopum, qui probabiliter dispensare potest cum eo, qui simoniaco modo beneficium bona fide adiit, modo prius renunciaverit huic beneficio (idem 642). Per se patet, excommunicatione oneratum esse et patrem et vicinum sacerdotem, qui, si parochus est, eo ipso non amittit beneficium suum alia occasione obtentum.

SIMONIA. (108)

Valentinus, parochus, resignat beneficio in manus episcopi, petens, ut suo nepoti, Julio, concedatur. Tacite tamen cum Julio pactum iniit, quo sibi pro resignatione ius habitandi in domo plebanali reservavit. Julius obtinuit beneficium ab episcopo sed cum iam decem annos parochiam regeret, conscientia hoc factum ei exprobrat; itaque confitetur et quid sibi faciendum sit, quaerit.

Solutio.

263. Si Julius cum avunculo solummodo rem conferebat et ex pietate promisit dare ei, aetate fracto, habitationem casu quo resignaverit, nulla datur simonia, auxilium enim hoc non ex pacto sed ex pietate seni praestatur. Expedit tamen episcopum de hoc certiore reddere. Si conventionem fecit, paciscendo cum suo avunculo, revera commisit cum eo simoniam confidentialem, nam avunculus reservavit sibi fructus sine episcopi auctoritate (Alph. IV. 90). In hoc casu autem »non solum resignatio est nulla, sed resignans amittit titulum, quum inter alias poenas simoniae sit inhabilitas ad idem beneficium« (Alph. ibid.). Itaque etiam Valentinus exparochus dicendus est; quoad reliquas poenas et absolutionem eadem valent ac quae de Julio dicta sunt.

PRAECEPTUM DIVINUM II.

VANA USURPATIO NOMINUM SACRORUM; BLASPHEMIA.

(109)

a) Camilla in mediis suspiriis frequenter dicere consuevit: o Deus, o Mater Dei; aliquando cum dentis dolore cruciaretur, eisdem locutionibus addidit: o vulnera Christi, Jesus, Maria, Joseph; quomodo peccavit?

b) Jacobus multis calamitatibus visitatus dixit: ad quid vivo in hoc mundo, Deus mei oblitus est! Cum foenum in prato nondum collectum iaceret et nubes coelum obtegerent, maledixit nefandis nubibus et pluviae imminenti, quia molestus labor propter pluviam eum expectabat.

Solutio.

264. a) Camilla venialiter peccat, quoties nomen Dei ex consuetudine sine debita reverentia pronuntiat; idem dicendum de casibus, in quibus verbis sacris suam impatientiam exprimere intendebat. Attamen si haec verba usurpavit in dolore, licet praesumere, eam voluisse Dei auxilium implorare sive proferendo nomen Dei sive formula abbreviata (vulnera Christi) Deum adiurando, quod omnibus non sine spe fructus recte commendatur.

Quia confessario difficile est in singulis casibus comperire, num poenitentes vane Dei nomen pronuntiaverint et ex altera parte fideles saepe sine serio examine de hoc peccato se accusant, expedit expostulare aliquam aliam materiam pro absolutione concedenda, si quis hoc tantum peccatum confitetur.

265. b) Locutiones istiusmodi: ad quid vivo et similes per se blasphemiae sunt, proferuntur enim in hoc sensu, quod homo conqueritur de sua afflictione cum exprobratione erga Deum. Item altera locutio continet blasphemiam et quidem haereticalem, Deus enim cuiuslibet hominis curam gerit. Attamen in casu narrato peccata haec levia sunt ob actus imperfectionem.—Certe non potuit gaudere Jacobus, coelum nubibus velatum aspiciens, tamen maledicendo venialiter peccavit; putamus enim, eum non contra Deum et Dei dispositiones maledixisse, quod certe blasphemum esset, sed contra causas immediatas miserae suae sortis.

VOTUM. (110)

»Titus, iuvenis in luxuria consuetudinarius, quo efficacius confessario demonstraret conceptum emendationis propositum, eidem in sacro tribunali coram Deo promiserat deinceps nedum abstinere ab illo vitio, sed insuper, si in illud reincideret altera die sese castigare salutari ieiunio« (Elbel, n. 187). Mox tamen, animo frigescente, et in vitium relapsus est et non ieiunavit. Quaeritur, an voti violati reus sit?

b) Agnes, cum concionatorem pulchre de virginitate in maiori devotione disserentem audivisset, genuflexa dixit: Beatissima Virgo, promitto et consecro Tibi in perpetuum meam virginitatem.

Putavit, se votum emisisse; post 3 annos iniit sponsalia et petit a confessario rescissionem voti, allegans causas sequentes: 1) quia ignoravit, puellas tam vehementes pati tentationes et castitatem esse tam difficilem; 2) quia favorabiles nuptiae ei offeruntur, ipsa vero est pauper et aegrotans; 3) quia saepius voto fidelis non mansit. Confessarius increpat eam, causas allegatas fuites dicit. Agnes, hoc non obstante, matrimonio iungitur ac cum marito ab anno iam vivit; nunc autem quaerit, quid sibi faciendum sit?

Solutio.

266. a) Non est certum, utrum Titus votum emisit an propositum aliquod solemne conceperit. Votum enim non est promissio »coram Deo« sed in Dei honorem facta; neque vox »promissio« confessarium in errorem inducere debet, nam etiam hoc verbum saepe non plus quam propositum exprimit. Confessarius in casibus implicatis sequendo s. Alphonsi regulam (Praxis. conf. c. 2. n. 25), poenitentes interroget, »si tunc, cum votum emiserunt, existimarunt, se graviter peccaturos fuisse an non, si postea non satisfecerint«. Expediit quoque considerare motivum, quo aliquis inductus erat ad se obligandum ad aliquid. Si intentio simplicis emandationis poenitenti praefulsit, habes propositum plus minusve solemne, si vero Deum honorare aut gratias agere voluit, facile votum praesumi potest. Si res dubia remanet, praesertim si poenitens sufficiente instructione caret, ut impuberes, rudes, praesumitur, eum propositum elicuisse. Confessarius debet convenientibus interrogationibus casum Titi dilucidare; prouti casus apparet, potius solemne propositum in eo adest quam votum.

267. b) In votis diiudicandis non tam ad verba quam ad intentionem attendendum est. Recte Agnes se voto obstrictam censeat, quia virginitatem obtulit Deo, etsi tantum B. Virginem nominavit; (aliter existimat Elbel, n. 190). Sponsalia eius ex dispositione iuris canonici sunt ipso facto irrita. Ex allatis rationibus prima re vera fuitilis est; qui vovet virginitatem, non ignorat, saltem ordinarie, tentationes et experientia potest quemlibet docere, eam observatu possibilem esse. Quoad alteram rationem, paupertas, saltem ordinarie, nondum esset causa per se suffi-

ciens, quia meritum spirituale coram Deo praevalet divitiis; si vero consideratur debilitas puellae, ob quam ipsa sibi prospicere non posset, haec ratio sufficeret ad voti dispensationem petendam, et quidem a R. Pontifice. Tertia ratio ex communi sententia sufficit, quia puella, quae hanc voluptatem aliquoties gustaverat, paulatim decidet inferius, cui periculo praecavere potest matrimonium. Ex rigida confessarii agendi ratione tristes sequelae processerunt. Agnes inivit validum quidem matrimonium tamen graviter illicitum; matrimonio iuncta tenetur reddere debitum, quia praevalet obligatio iustitiae, tamen non licet ei petere, nam votum, in quantum possibile est, observari debet. Jus petendi debitum concedere ei potest episcopus, firmo manente voto castitatis in hoc sensu, quod ad secundas nuptias convolare ei non liceat. (Alph. V. 986; Elbel, 280). Item s. Poenitentiaria vulgo non absolute dispensat in voto, sed confessario mandat commutare votum ad tempus matrimonii.

VOTUM. (111)

a) Camilla, conventus Ursularum alumna, aetate 14 annorum, magnopere complacet sibi et in vestitu religiosarum et in pulchro oratorio, denique in horto pleno pulcherrimis floribus; ut perpetuo his deliciis fruatur, emittit votum ingrediendi hanc religionem, cum adoleverit. Post duos demum annos comperit obstupefacta, filias s. Ursulae obstringi triplici voto perpetuo. Conturbata petit, an hoc votum impediat eam in matrimonio contrahendo?

b) Andreas adolescens confitetur, se catechista suo adhortante qua scholarem 10 annorum ante I. communionem votum abstinendi a cremato emisisse. Num hoc voto ligetur, cum »aquam vitae« tunc temporis ne gustaverit quidem?

c) Thomas tempore missionum cum fere omnes turmatim elevarent manus, ut abstinenciam a crematis voverent, ipse aliorum exemplo tractus est, manum elevavit et verba promissionis repetiit, tum ne aliis peior videretur tum dein, quia concione animosa affectus eius magnopere erant agitati. Nunc votum hoc

durum ei videtur; petit itaque a confessario, quid de eo sentiendum sit?

Solutio.

268. a) Nubat Camilla, si vult, nullum enim valorem habet eius votum ob errorem substantialem in materia voti; non vestitus et flores claustrales faciunt religiosam, sed perpetua consecratio sui ipsius in Dei servitium per vota.

269. b) Nil obstat valori voti; excusatio Andreae de ignorantia sua vana est, quia liberi iam in hac aetate certe de tribus aquae vitae effectibus sufficientem notitiam habent. Alia quaestio est, num expediat pueros in hac aetate ad vota perpetua admittere. Innocentes animae vocem catechistae facile sequuntur, postea tamen obligationis immemores haud raro vota non servant et duplicem culpam contrahunt.

270. c) Votum Thomae valet, quia non valet excusatio respectus humani aut agitati affectus; haec Thomam deliberatione sufficienti nullo modo privarunt. Attamen si Thomas asserit, se interius noluisse se obligare sed tantum ob respectum humanum manum elevasse, credendum ei est, quod votum non emisit sed manum tantum elevavit. Ne ex erronea conscientia peccet, explicite instruat, ut nunc salutare hoc votum Deo offerat. Confessarius caute procedat in similibus casibus, leniter persuadeat et nunquam sub poena denegatae absolutionis ad vovendum cogat, nam votum ita extortum esset nullum ob defectum libertatis. Num expediat gregatim vota talia emittere, alia occasione explicatum est. Nunc saltem in missionibus concionatores formulam solemnem promissionis non autem voti praelegunt, dum fideles manus levant.

VOTUM. (112)

a) Mathias veracitatis Jacobi tam certus est, ut coram amico suo, probitatem eius in dubium vocante, voveat 100 coronas in pauperes erogare, si in quadam causa mentiretur. Sed spes eum fefellit. Quaeritur, an votum valeat?

b) Julianus cum herbae nicotianae abusu nervos et cor

iam debilitasset, iussus est a medico abstinere a fumigatione. Ut voluntatem debilem confirmaret, ad totalem a tabaco abstinentiam voto se obstrinxit. Post unius mensis luctamen contra inveteratam consuetudinem succubuit, coepit fumigare, et, ut fieri solet, duplicavit diurnas portiones. Confitetur. Confessarius dubitat, num votum valeat, quia fumo tabaci nullus Dei honor datur aut diminuitur. Quaeritur, α) an valeat Juliani votum, β) quam malitiam voti laesiones habeant?

c) Caius opibus abundans sed prole carens promisit Deo extruere sacellum, si successore masculino donaretur; fuitque vir bonus exauditus in tantum, ut successu temporis dubitaverit, an rursus deberet Deo quidquam promittere, ne prolibus nimium gravaretur. Sacello nondum exstructo obiit; filii, quorum septenarius est numerus, dubitant an teneantur voto patris, tum quia ista obligatio cum patre sepulta eis videtur, tum quia eorum legitimam laedit (Elbel, n. 226).

Solutio.

271. a) Votum Mathiae valet, quia obiectum eius non est mendacium qua tale sed factum mendacii ei impossibile apparet.

272. b) α) Obiective loquendo votum abstinentiae a tabaco utpote de re indifferenti non valet, tamen actio indifferens in certis adiunctis potest moralitatem nancisci, vgr. si quis ob mortificationem, ob sanitatem, ob periculum peccandi vitandum abstinere proponeret a re amoena periculosa sed moraliter indifferenti. Id valet de ludo chartarum pictarum, de usu tabaci et aliis. Ergo valet Mathiae votum. β) Quoniam gravitas obligationis in voto principaliter a vovente dependet, potuit se Mathias obligare tantum sub levi, quod facere expedit. Tamen si vovens de obligatione non cogitavit, ea determinanda est ex obiecto et circumstantiis. Quoniam in nostro casu obiectum est per se indifferens, ideo ex fine et efficacia materiae in finem gravitas obligationis determinari debet. Ob gravem influxum narcotici nicotiani in cor et nervos, quod medici testantur, peccavit graviter, si talem quantitatem consumserit, qua valetudini suae grave detrimentum inferret. Id tamen non accidit, quando una alterave cigarro fumigatur.

273. Filii tenentur adimplere votum patris non ex virtute religionis, ac si ipsi vovissent, sed ex obligatione iustitiae, quia obligatio realis (ex voto) adhaeret bonis paternis et transit in haeredes. Prouti pia defuncti legata, ita etiam vota non tenentur filii implere cum laesione portionis suae legitimae, quae ex lege ipsis integra servari debet. Si totum sacellum exstruere non possunt, facient, quid in adiunctis plus expedit aut sacellum minus aedificent, aut pecuniam erogent, quae per auctaria ad summam sufficientem creverit.

VOTUM. (113)

a) Romanus, paterfamilias, vovet peregrinationem ad miraculosam B. V. M. imaginem cum uxore et filiis pedibus facere. Renuit uxor, renuunt duo filii, tertius, natu minimus, paratum se ostendit sed ferreo curru non pedibus; ipsi Romano nunc ob vires labefactatas durum esset pedibus iter facere. Contristatus petit a confessario, quid sibi faciendum sit?

b) Helena, in aliquo vehementiore devotionis affectu duo vota emisit: 1) dare cotidie eleemosynam pauperibus; 2) per totum mensem maium assistere devotioni maiali. Brevi tamen a fervore recedere coepit. Per plures dies omisit erogare eleemosynam; neglexit quoque devotionem maialem et quidem semel ideo, quia amica eam invisit, quater vero propterea, quia devotionis pertaesa prata virentia aspicere praetulit.

c) Sophia, 15 annorum puella, dum vaccarum gregi in campo invigilaret, inquieta pecora domare non valens, auditionem duplicis sacri die dominica vovet, si quietarentur. Votum audiens pater, dicit: ego non permitto tibi ligare conscientiam tuam votis, inimicus sum devotionum extraordinariorum! Sophia potest votum adimplere, tum quia die dominica duo sacra in ecclesia parochiali celebrantur, tum quia pater totam diem dominicam penitus liberam ei relinquit. Narrat rem sacerdotibus: missionarius Cappucinus adstans dicit: ego tecum dispenso in hoc voto; reclamatur tamen parochus increpatque barbatum monachum, ne se immisceat parochorum iuribus. Ad puellam vero conversus, Vade in pace, ait, ego te libero a voto! Sophia se a voto a tribus patribus deobligatam sentit. An recte?

Solutio.

274. a) Romanus solus peregrinationem instituere tenetur. Quoad familiam, Romanus tale votum nuncupando, obligavit se tantum ad necessarias dispositiones dandas, ut familia iter ingrederetur; ad nihil plus tenetur, quia nemo alterius actionem dare potest; his factis, iam solutus est a voto. Uxor et filii tenerentur ad peregrinationem tantum ex obedientia, haec tamen in hoc casu minime eos obligat, quia agitur de actione supererogatoria, ad salutem non necessaria. Quoad modum peregrinandi, hic est res accessoria, quia primaria eius intentio ferebatur ad imaginem honorandam; propterea sufficit, si ob iustam, quam habet causam, via ferrata iter peragat. Secus dicendum esset, si eius intentio directa esset principaliter ad mortificationem cum itinere pedestri coniunctam et secundo ad imaginem B. V. Mariae. In hac ultima hypothesis votum factum est pro eo impossibile; si e propria culpa distulit voti adimplentionem usque ad tempus, quo, debilitatus, illud implere non potest, peccavit graviter; si citra propriam culpam votum distulit aut si inopinato morbo invisus pedibus laborat, absque peccato liberatur a voti impleti.

275. b) 1) Helena votum reale dandi eleemosynam nuncupavit, attamen nullam determinavit quantitatem, quam per partes singulis diebus distribueret, in quo casu singulae omissiones coalescerent; sed obligavit se ad aliquam, certe non magnam pecuniae summam, cotidie erogandam, ideo singulae omissiones specialia peccata (venialia) sunt et cum aliis non coalescunt. — 2) Quoad omissam devotionem maiorem ob amicae visitationem, distinguendum est: si amica non frequenter eam visitare consuevit, non peccavit, quia in his adiunctis inurbanum esset, amicam relinquere; excipe si et ipsa amica ad devotionem maiorem aliquo modo invitari posset; secus dicendum, si mulieres saepius se viderent, nam Helena posset sperare, fore, quod amica non offenderetur. Omissiones autem ex acedia imputantur ei; num ad culpam gravem, non audeam affirmare, quia etsi una assistentia devotioni ($\frac{1}{2}$ horae) capax sit gravis obligationis, tamen Helenae omissiones taxandae sunt relative ad totum mensem; etsi enim votum eius personale est, tamen per modum unius vovisse videtur: assistentiam nempe unius mensis. (Génicot, Cas. consc. de voto 8).

276. c) Pater directe irritare posset votum Sophiae, si haec impubes esset (infra 12 annos) et haec irritatio valeret, etsi causae a patre allegatae rationabili fundamento carerent. Quoniam Sophia pubertatis annos adepta est, pater solummodo indirecte posset vota eius irritare, id est in iis casibus, in quibus votum eius potestati praeiudicium inferret, ordinem domesticum turbaret etc.; quia haec non eveniunt, patris mussitatio non influit in voti obligationem. Parochus nihil potest in votis per se, etsi haec sine caeremoniis sint emissae. Cappucinus, utpote ex ordine mendicantium, potest etiam extra confessionem dispensare in votis, attamen in casu hoc etiam ipse non solvit votum Sophiae, quia deerat causa sufficiens. Itaque tres patres frustra tentaverunt ligamen voti relaxare. Confessarii ex ordinibus mendicantium ¹⁾ et alii, qui cum eis in privilegiis communicant ¹⁾, possunt eodem modo ac episcopi ex iusta causa dispensare in votis tum extra tum in confessione sacramentali; et quidem vi privilegii concessi a Martino V. et Eugenio IV.

VOTUM. (114)

a) Cornelius iuvenis, monitionibus frequentibus patris non obsequitur et sero in nocte ebrius domum revertitur. Pater iratus sic eum semel alloquitur: Aut vove, quod nunquam vespere extra domum commoraberis aut minorem portionem in testamento tibi assignabo! Cornelius vovet metu adactus et votum per aliquos annos observat, sed cum iam focum separatum condiderit, petit, an voto teneatur?

b) Micislaus gravem operationem chirurgicam subire debet. Perterritus cultro, quem in manu incauti medici conspexit, tremens dicit in corde: Deus, voveo Tibi castitatem, si sanus evasero! Quaeritur 1) an votum eius valeat; 2) si necessarium esset, a quo petenda esset dispensatio?

¹⁾ Huc spectant: Dominicani, Servitae, Carmelitae, Jesuitae, omnes ordines s. Francisci As.: ut Fratres minores, Cappucini.

²⁾ Ad hos pertinent: Canonici regulares s. Aug., Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Theatini, Camilliani, Crucigeri.

Solutio.

277. a) Rem bene considerare debet confessarius et plures casus distinguere. α) Si Cornelii ebrietas erat perfecta, ita ut non recordaretur voti emissi sed de eo postea ab aliis comperisset, votum eius non est validum, quia nec actus humanus adest in voti emissionem. Ita etiam irritum est votum, si ebrietas non perfecta erat, quoniam ad votum maior deliberatio requiritur quam ad peccatum (Bucceroni 573); est enim liberalis susceptio obligationis erga Deum. Si vero paulisper tantum alcoholio excitatus erat, hic status voto non nocuit. β) Cornelius sub metus influxu votum emisit, nempe ne pater eius portionem diminueret. Hoc non obstante votum valet, etsi metus ad votum extorquendum incussus est, quia pater ius habuit et increpandi filium et adhibendi medium efficax ad eius emendationem; ergo metus erat iustus. γ) Vespere domo egredi per se est res moraliter indifferens, sed non pro Cornelio, etenim ei nocturnae excursions valde iam nocuerunt, ergo abstinere ab eis erit pro eo bonum honestum imo bonum melius, itaque ratione materiae eius votum impugnari nequit. δ) Quamdiu ligatur hoc voto Cornelius? Indeterminate illud nuncupavit, ergo videtur habere valorem perpetuum. Attamen debemus attendere ad causam motivam voti; haec erat remove periculum ebrietatis; poinde si Cornelius adolevit et vitio ebrietatis non est infectus, cessavit causa motiva, cessavit quoque votum. Imo etiam mox post votum emissum posset vespere egredi, si periculum se inebriandi ob circumstantias factum esset remotum; vgr. si cum patre aut amico sobrio ex iusta causa domum relinqueret.

278. b) Metus Miecislai ex causa interna procedit; etsi fuit gravis, tamen usum rationis non abstulit, propterea votum valet. Dispensatio, si est necessaria, petenda est ab episcopo; votum hoc non censetur reservatum R. Pontifici, quia ex metu profiscitur.

In genere dissuaderi debent vota perpetua pro iuvenibus utriusque sexus; praestat, ut confessarius experimenti gratia votum temporaneum, ad unum alterumve annum suadeat; deum probatione hac feliciter finita, permittat voto perpetuo se obstringere.

VOTUM. (115)

Domitilla voto se obstrinxit cotidie 5 Pater noster recitandi; initio murmurabat maritus liberalis et denique interdixit ei »longas« preces fundere. Ne acerbam eius iram concitaret, Domitilla propria auctoritate commutavit hoc votum in eleemosynam (60 hal.) quolibet sabbato dandam; res eo minus coram marito celari potuit; hic graviter increpavit uxorem eamque adiecit, ut a confessario commutationem peteret; confessarius in menstruam confessionem votum commutat. Denique cum aegrota decumbat, haeret dubia, an teneatur ad primitivum votum redire, quoniam in urbe non adest consuetudo, ut aegroti frequenter domi confiteantur.

Solutio.

279. Maritus cum communiore sententia non potest directe irritare vota uxoris personalia, sed tantum indirecte, id est in quantum eius potestati praeiudicant; uxori enim certe maior independentia erga maritum adiudicari debet, quam filiae puberi erga patrem; iam vero in filiae puberis vota personalia paterfamilias non habet tantam potestatem, ut possit ea directe irritare. Ad recitationem 5 Pater noster tam modicum tempus necessarium est, ut certe nullum praeiudicium paterfamilias patiatur; ergo interdictio mariti nihil valet. Domitilla ob bonum pacis valide et licite commutavit preces in convenientem eleemosynam (60 hal.), si fortuna eius est mediocris; nam, moraliter loquendo, aequalitas inter haec vota adest; (pro divite persona talis eleemosyna nimis parva videtur); expediret potius confessarium consulere; confessarius vero ne timide procedat, quia ethica non patitur arithmetica; in dubio addat unum alterumve Pater noster, ut commutatio fiat in maius bonum. Neque hoc alterum votum, etsi reale, maritus irritare potuit; in genere competit quidem ei administratio bonorum, attamen uxor potest etiam invito marito largiri consuetas eleemosynas, esto quod nulla propria bona habeat. Commutatio ultima valet, sive confessarius sit privilegiatus sive non, quia in bonum praestantius facta esse videtur. Si commutatio facta est auctoritate ecclesiastica, vgr. ab episcopo vel confessario privilegiato, Domitilla

non tenetur ad priora vota redire, si ultimum factum est ei moraliter impossibile, quia commutatione a confessario facta, priora vota exstinguuntur. Secus dicendum est, quando propria auctoritate commutaverit. Quaestio tantum est, an votum hoc revera pro ea sit impossibile, i. e. an magnum incommodum ei pariat, sacerdotem quolibet mense advocare. Multum id dependet a circumstantiis loci, temporis, personarum. Quia laici, qui ab ecclesia distant, vulgo abstinent a frequenti confessione, cum diutius morbo detinentur, puto consuetudine contraria excusari Domitillam a sacerdote accersendo et proinde ab omni voto.

Quaeritur adhuc, an ei liceat, si sanitatem recuperaverit, quodcumque trium votorum pro lubitu observare? Hoc omnino ei licet, quia commutatio in eius favorem facta est, quilibet autem favori resignare potest. Secus dicendum esset, si illa aestu devotionis crescente in favorem Dei vota in meliora mutaret, vgr. si votum 5 Pater noster mutaret in rosarium, tunc enim redire ad materiam minorem significaret ex parte negligere maiorem, quod citra dispensationem licite fieri nequit.

VOTUM. (116)

Agatha emisit tria vota: ingrediendi religionem Servularum B. V. M., recitandi cotidie rosarium et largiendi eleemosynam quolibet sabbato. Mox tamen voti prioris rescissionem ab episcopo petiit, sed quia negativum responsum obtinuit, sacro Servularum velo tecta est. Superiorissa, nescio qua de causa, non hilari oculo Agathae vota in novitiatu aspiciebat, et commutavit rosarium in abstinentioniam a carnibus, eleemosynam vero dare prohibuit. Tandem, expleto novitiatu, admissa est Agatha ad professionem simplicem ad triennium valentem. Cum denique post unum annum qua monialis apud suos consanguineos moraretur, impellente aliqua tentatione, vestes suas superiorissae remisit et ad saecularia rediit. Quaeritur, quomodo Agatha singulis vitae suae spatiis votis adstricta fuerit?

Solutio.

280. Ante ingressum in congregationem Servularum certe votis tenebatur; si rescissionem sui voti petere voluit, recte ad episcopum se direxit, quia Servulae non sunt ordo religiosus sensu stricto ideoque votum ingrediendi hanc congregationem R. Pontifici reservatum non est. Superiorissa minus recte sibi usurpavit potestatem commutandi votum rosarii, caret enim omni iurisdictione; solummodo si devotio haec impedimento erat Agathae in educatione spirituali (quod vix credibile est) posset superiorissa indirecte irritare hanc obligationem vi potestatis gubernativae. Idem valet de voto eleemosynae. Professione religiosa consecratur tota persona in Dei servitium, ideoque vota priora particularia per eam extinguuntur. Num id valet etiam de simplici professione? Si haec est temporanea, puto, vota ad tempus, quo vita religiosa ducitur, ex eadem ratione ipso facto suspendi (Lehm. I. 466). Ante discessum suum praematurum debuit Agatha petere dispensationem super votis religiosis, quod si neglexit, mansit eis obstricta donec triennium effluerit aut dispensationem obtinuerit; interea non potuit fugitiva absolvi utpote in gravi peccato actuali manens, etenim morando extra monasterium, votum obedientiae graviter laedit. Quando votis religiosis liberatur, reviviscunt vota ante religionem emissa, scilicet recitandi rosarium et largiendi eleemosynam; haec enim vota erant tantum suspensa.

Num teneatur adhuc tentare ingressum in congregationem Servularum B. V. M.? Qui obstrinxit se voto in perpetuum vivendi in religione, per se tenetur redire, si nullam habet causam iustam discedendi, ut est infirma valetudo, gravis paupertas parentum; secus dicendum, si eiusmodi gravis causa obstat. Qui vero ad aliquod tempus determinatum voto se obligavit, expleto hoc tempore licite ordini valedicit. Agatha interroganda est, qualem intentionem habuerit; vulgo puellae cogitant de perpetuo voto et ita vota facta esse praesumuntur, nisi contrarium positive constet. Agatha itaque deberet redire, ut voto satisfaceret. Attamen quia ipsa pro vita religiosa non apta apparet, consultius est, si ab episcopo petit dispensationem, quae in tali rerum statu denegari ei non debet.

JURAMENTUM. (117)

Boleslaus de sequentibus formulis quaerit, an sint iuratoriae: a) testis mihi est Deus, testis mihi est coelum (świadczyć się Bogiem, niebem), iuro per Deum, puniat me Deus; b) conscientiose loquor (sumiennie); c) prouti amo Deum, Dei Matrem, meam matrem, amitam, prouti Deus in coelo, prouti sum catholicus, prouti sto; d) ne me moveam de loco isto, rapiant me mille diaboli, fulgur me feriat; e) verbum honoris do. Similia profert aliquando dubius de veritate, imo interdum contra veritatem. Quaeritur, quomodo peccaverit?

Solutio.

281. Ad valorem iuramenti necessaria est primo formula, qua in testem invocetur Deus aut creatura, habens propinquam relationem cum Deo et dein intentio iurandi. Quoad formulam debemus attendere tum ad sensum verborum, tum ad usum loquendi et circumstantias; ante omnia vero ad hoc, utrum verba narrative tantum an invocative proferantur. Intentio vero tantum valet, ut in foro interno vere iuret, qui animum iurandi habet quibuscumque verbis aut signis utatur; deficiente quacumque ex causa intentione, nullum est iuramentum, etsi verba iuratoria sint; in foro externo solummodo ex sensu verborum iuramentum cognoscitur.

Formulae ad a) certe sunt iuratoriae; formula sub b) et comparationes sub c), nec non execrationes sub d) et locutiones sub e) per se non involvunt iuramenta (cf. Załęski, Konfencye pg. 130), etenim nullibi invocatur in testem Deus aut creatura ei propinqua. Locutiones istae sunt tantum plus vel minus sollemnes attestationes veracitatis loquentis et nuncupantur voce polonica »sumitowanie się, zaklinanie się.« Neque secundum s. Alphonsum verbum »iuro« est forma sufficiens, nisi quis verbum istud protulerit, quando expresse petitur iuramentum.

Si Boleslaus vere iuravit secundum superius dicta de intentione, peccavit venialiter, supposito quod veritatem dixit, quia de vanis iurabat; graviter vero deliquit, si mendacium probare voluit aut si rem dubiam ut certam affirmavit. Ceteroquin Boleslaus obligatus est sub gravi adlaborare, ut iurandi consuetudi-

nem deponat, etenim nimis assuefactus iuramento eoque abutens, exponit se periculo peierandi et proinde versatur in gravi neglegentia habituali.

JURAMENTUM. 118)

a) Stanislaus studiosus, militiae adscriptus, cum ex more formula iuramenti fidelitatis a praeposito militiae recitaretur, elevavit quidem digitos, sed loco iuramenti maledicebat in animo.

b) Theodorus iurat filio bibulo, se eum virga castigaturum esse, si sero nocte venerit; post mediam noctem redit filius totaliter ebrius; contristatus pater nescit, quid sibi faciendum sit cum iuramento?

c) Mercatrix fructuum, in platea vendens, saepe miscet verba iuratoria cum mercem suam commendat, ut maius pretium obtineat. Simplicius, fructus emens, dubitat, num fides ei praestanda sit, quia mercis apparentia cum verbis mercatricis evidenter rixatur.

d) Jacobus locatario promittit, eum domo furca eiecturum, si pecuniam non solverit; locatarius non solvit; Jacobus, quae ardentem dixit, nunc exsequi timet.

Solutio.

282. a) Stanislaus non iuravit, quia intentionem iurandi non habuit, imo maledictionibus expresse eam exclusit; graviter tamen peccavit, quia legi non obedivit in praecepto magni valoris.

283. b) Theodori verba iuratoria ex intentione tantum terrendi prolata sunt, ideo erraret, qui in eis serium iuramentum videre vellet. »Juramenta parentum de castigando filio itemque dominorum de eiiciendo famulo e domo plerumque non sunt iuramenta vera; tum quia (ea usurpantes) non habent intentionem iurandi sed tantum terrendi, tum quia solent plerumque fieri ex passione dumtaxat« (Elbel, III. 87.; cf. s. Alph. IV. 186). Si tamen serio et ex iusta causa ad poenam prudentem aliquis se iuramento obligavit, tenetur eam exsequi, cum tali iuramento nihil desit ad eius valorem. Attamen etiam in hac suppositione non licet nimis severe procedere; siquidem omnis poenae finis

est emendatio delinquentis; propterea si hic se emendavit, semper ratio aderit, si non ad remittendam totam poenam, saltem ad eam mitigandam. Neque iuramento aliquis se impeditum putet, quominus poenam remittat aut mitiget, ac si absolute nunquam iuramentum cessaret; iusiurandum enim est accessorium et sequitur principale; si ratio puniendi deest aut cessat, non generabit eam neque sustentabit iusiurandum.

284. c) Eiusmodi iuramentis ab ordinariis mercatoribus prolati tantum Simplicius eique similes fidem praestant; sunt enim stratagemata ad maius pretium obtinendum et mercem commendandam; neque, ut vulgo, ligantur mercatores, si talibus iuramentis se minori pretio mercem non daturos spondent, quia subintellegitur conditio, nisi emptor in pretio progrediatur, (Gury, I. 315, 7); de cetero agitur ordinarie de materia modica. Aliiter sentiendum est, si res peragitur cum mercatore gaudente gravitate et auctoritate: eius verbis fides maior vel aliquando tota debet praestari et iuramenta eorum pro veris censentur.

285. d) De re moraliter indifferenti prouti in casu, non valet iuramentum, quia Deus praesumitur nolle fideiubere promissiones, quae in ordine ad vitam moralem nihil valent. Discat tantum Jacobus non iurare in vanum.

JURAMENTUM. (119)

a) Annam precibus et eloquenti aqua vitae nec non matrimonii promissione, induxit Jacobus, ut in iudicio testimonium sub iuramento deponeret, eum apud illam eo vespere fuisse, quo incendium erupit, quod ei falso attribuitur. Anna Jacobum apud se non vidit, sed precibus cessit. Conscientiae remorsus nunc patitur et tunc demum quietatur, quando ex ore Stanislai audivit, Jacobum revera hoc tempore apud Annam fuisse et quidem in eius horreo, unde aliquot modios tritici ei abstulit. Quid de Annae pace?

b) Casimirus nomen suum dedit societati occultae et iure iurando se obligavit ad caecam obedientiam erga superiores et ad secretum servandum; mox tamen, ad meliora reversus, desiderat iuramenti relaxationem; a quo haec petenda est?

c) Casimirus iuravit Sophiae, se eam in uxorem ducturum esse; Sophia procax infidelem se exhibuit et cum alio peccavit. Corde vulnerato conqueritur Casimirus de suo iuramento.

d) Idem mutuas dedit 100 coronas Joanni eique secretum de hoc servandum iuramento interposito promisit: cum Joannes solutionem debiti tardet, Casimirus timet eum accusare, ne forte contra iuramentum agat.

Solutio.

286. a) Anna objective verum testimonium deposuit; sed etsi non erravit, tamen mentita est et periurii rea, quia contra propriam persuasionem iuravit; veritas enim in iuramento debet esse subjectiva, non necessario objectiva.

287. b) Juramentum iidem relaxare possunt, qui vota irritant aut in eis dispensant. Casimirus non indiget dispensatione, quia iuramentum eius est irritum, societates enim expostulantes tale iusiurandum vetitae sunt. (S. C. Inqu. 10 mai 1884).

288. c) Casimirus non tenetur Sophiam ducere, nam iuramentum eodem modo interpretandum est ac actus principalis; iam vero infidelitas alterius partis dat parti innocenti ius resiliendi a matrimonii promissione.

289. d) Juramentum promissorium, prouti et ipsa promissio, non obligat cum incommodo gravi; propterea Casimirus dolum Joannem citet ad iudicem, ut pecuniam recuperet. Ceteroquin Casimirus iuramentum emisit, ut famae Joannis parceret, non, ut ius accusandi infidelem debitorem amitteret; cessat ergo causa motiva.

JURAMENTUM. (120)

a) Agatha, quae a Stanislao prolem illegitimam suscepit, ad iudicem eum citat ob paternitatis expensas. Stanislaus vult iurare, se eam tempore determinato non cognovisse. Agatha antea sine ambagibus peccans, nunc inquietatur, num iuramentum ab eo peieraturo postulare possit.

b) Andreas in regiones extraneas proficiscens iuramento se obligavit, tabacum optimae speciei Joanni clam asportare. Quaeritur, an teneatur iuramento?

Solutio.

290. a) Utique, potest expostulare, nam agitur de causa gravi et licitum est permittere alterius peccata ob gravem rationem. Sibi non Agathae imputare debet Stanislaus suum periurium et in conscientia debet damna reparare.

291. b) Respondeo cum Croix (l. III. p. I. n. 350), si iuramentum est contra iustas leges civiles prohibentes vel iubentes, non obligat. Jam vero clam asportare tabacum vetitum est in nostro imperio, ergo. Per se patet, Andream teneri ad iuramentum, si intentio eius ferebatur ad donum Joanni praestandum et clandestina introductio tabaci per modum circumstantiae accidentalis adiuncta erat, quia potest introduci tabacum soluto tributo, substantia itaque voti possibilis est.

PRAECEPTUM DIVINUM III.

AUDITIO SACRI. (121)

Marcellus, puer, sequenti modo confitetur: omisi missam die Commemorationis omnium fidelium; saepius non interfui vespere et catechisationi nec non processioni in festo Corporis Christi; tempore summae campanas pulso sic iubente aedituo; aliquoties vero tempore sacri diebus dominicis in turri nidos avium quaerebam. Quid de hac peccatorum narratione confessarius?

Solutio.

292. Ecce specimen pueri, quorum non exiguus numerus in vicis et parvis oppidis! Omissiones caeremoniarum festo Commemorationis omnium fidelium defunctorum et processioni in festo Corporis Christi non sunt peccata, quia nullibi adest praescriptum, quod eiusmodi obligationem imponat.—Nulla quoque per se est obligatio assistendi vespere aut concioni aut cate-

chisationi, solummodo per accidens, in quantum quilibet tenetur se instruere in doctrina christiana et aliam ad hoc occasionem non habet, debet hac uti, qua sacerdos catechismum in ecclesia explicat. Sed etiam illi, qui religiosam instructionem in schola aut domi obtinuerunt, concionibus indigent, etenim sine eis vitam christianam ducere vix possunt; attamen quia alia habent media excitandi se ad virtutis exercitium, propterea, si conciones neglegant, nondum eo ipso speciale peccatum committunt, sed in genere acediae culpam contrahunt, quae in peccatis variis manifestatur et cum eis coalescit, vgr. dum neglegunt ieiunia, confessionem annuam. Ex dictis patet, quod fideles semper adhortandi sunt ad conciones audiendas: alii ut instruantur, alii ut instructionem practicent. Expedit etiam variis mediis allicere iuventutem ad catechisationes, vgr. associatione pro cantu colendo, congregationibus confraternitatum, sodalitatum.—Moralis aestimatio neglegentiae Marcelli secundum adiuncta fieri debet. Si laborat magna ignorantia in doctrina christiana, quia vgr. scholam non frequentavit et domi negligitur, in genere graviter peccat eo, quod verbum Dei non audit; singulae tamen omissiones non possunt reputari pro gravibus peccatis, quia una concione aut catechesi tota instructio non absolvitur—Tempore missae extra ecclesiam degens, satisfacit praecepto, qui moralem unionem servat cum missam audientibus. Quoad Marcellum de eius cum populo unione et distantia non ambigitur, quia campanae longe ab ecclesia distare non possunt, sed potius de attentione dubitare fas est. Interrogandus est, num missam persecutus sit et aliquantisper oraverit; in casu affirmativo satisfacit praecepto Ecclesiae. Si autem tempore missae ludebat cum aliis pueris, rixatus est, sermocinabatur et solummodo signo ab aedituo dato campanas ad elevationem pulsabat, tunc non possum dicere, eum missam audivisse sed eum lusisse, rixatum aut sermocinatum esse.—Eo magis quando nidos in turri quaerebat, non missam audiebat sed avibus occupabatur. Advertant ecclesiarum rectores ad puerorum pravas consuetudines! Campanarum pulsationem committant adultis, pueros in ecclesia teneant.

AUDITIO SACRI. (122)

Joannes videt et populum sui pagi et extraneos homines festo Patroni Ecclesiae in templum confluere; aspicit in callendario, nullum festum videt pro hoc die assignatum; dubius haeret, utrum teneatur alios sequi, an possit bobus agrum suum arare?

Solutio.

293. Distinguendum est inter Patronum loci et Titulum Ecclesiae. In provinciis, civitatibus (raro in pagis) olim eligebatur a clero et populo aliquis Patronus secundum legum ecclesiasticarum praescripta et festum eius observabatur qua festum de praecepto; ita s. Congr. Rituum an. 1630 die 23 martii; festum hoc observare praecipit etiam bulla Urbani VIII. *Universa* an. 1642.; quando autem alicubi aliquis Sanctus qua Patronus ante an. 1630 colebatur, nulla electio instituebatur.—Festum vero titolare est festum illius Sancti vel Mysterii, a quo ecclesia titulum seu denominationem habet; hoc festum ex lege communi celebratur tantum a clero in liturgia ut festum I. cl. cum octava, non autem a populo. Patroni sensu stricto electi non frequenter occurrunt, quod etiam ex dicta Urbani VIII. bulla colligere licet; nihilominus in singulis parochiis unus Sanctus habebatur pro patrono, vulgo hic, qui dabat titulum Ecclesiae. Festa vero titularia ubique observabantur a clero, nam rubricae breviarii id praescribunt.

In Polonia antiqua, prouti in multis regnis, videtur, quod Patroni loci nullibi electi erant; loco eorum Sanctus, sub cuius titulo Ecclesia parochialis erecta erat, qua Patronus ecclesiae parochialis et parochiae a populo colebatur et synodi particulares praecipiebant festum et tituli ecclesiae et patroni observare tanquam festum de praecepto, cui e S. Sedis benevolentia indulgentiae plenariae adiungebantur. Ita synodus Warmiensis an. 1623.; Plocensis an. 1643; Leopoliensis an. 1765 et multae aliae etiam antiquiores (vide Decreta synod. pol. Likowski I. II. t. IX. c. 3). Saeculo XVIII. ad finem vergente Clemens XIV. et Pius VI. reducerunt numerum antiquorum festorum (ex bulla Urbani VIII.) et observare praeceperunt 15 festa, inter quae festum Patroni Provinciae. De festo Tituli ecclesiae seu Patroni loci silent bul-

lae reductionum, propterea festa ista a R. Pontifice suppressa videntur. Pro Galicia, an. 1772 ab Austria occupata (prouti dicebatur »revindicata«), promulgare mandavit civilis gubernator (comes Pergen) festorum reductionem die 21. novembris a. 1773. provocans ad bullam Clementis XIV. ddto 1771, qua pro provinciis austriacis a S. Sede reductio festorum concessa est; tunc s. Michael assumptus est qua Patronus Galiciae: Pro regno Poloniae an. 1775. a Pio VI. per bullam »Paternae charitati« (ddto 23 maii 1775) reductio concessa est. Austriacum Decretum civile, cui episcopi suum consensum praestiterunt, non recenset inter festa de praecepto festum Patroni loci, sed celebrare iubet festum Patroni provinciae. Attamen prouti die Dedicationis Ecclesiae ita die, qua indulgentiae celebrantur, interdicat nundinas tanquam abusum diebus sacris indignum ¹⁾ et proinde antiquam legislationem particularem aliquatenus reveretur.

Exinde fluit, quod antiquae leges quoad observationem festi Patroni loci (Tituli Ecclesiae) quatenus scriptae sunt, obligare in tota Polonia cessarunt; qui enim promulgationem a gubernio civili pro Galicia factam non agnoscit, ob recentem avulsionem huius provinciae a regno Poloniae tunc independentis, hic in reductione pro Polonia a. 1775 datam abrogationem huius legis inveniet. Et revera nullibi in urbibus Galiciae festum hoc a civibus observatur, sed celebratur festum s. Stanislai in dioecesi Cracoviensi et festum s. Michaëlis in reliqua parte Galiciae, utrumque tamen qua festum Patroni provinciae.

Quid in pagis? Usque ad hodiernam diem rustici obligatos se sentiunt ad festum Patroni rigore observandum. Quia persuasio ista, reliquiae antiquarum legum, innititur errore ac si existeret lex praeciens sub peccato sanctificationem istius festi, non autem voluntate sese obligandi, ideo rusticorum praxis continuata nequit generare consuetudinem legis vim habentem in conscientia ligantem; notum enim est, quod ad consuetudi-

¹⁾ Nundinis et variis operibus servilibus diebus festivis et dominicis interdictis, pergit citatum decretum: „Haec publicae venditionis et abusu diebus sacris indignorum suppressio de iis quoque nundinis intellegitur, quibus Dedicatio ecclesiae aut Indulgentiae originem et nomen dederunt“.

nem generandam actus debent esse liberi (ergo non ex errore positi) et cum intentione se obligandi exerciti. Cum nec lex positiva nec consuetudo legitima sanctificationem festi Titularis ecclesiae seu Patroni ecclesiae praecipiat, ideo praxis rusticorum solummodo devotionis superogatoriae valorem habet. Quoad casum etsi Joannes per se non teneatur in conscientia ad abstinendum ab operibus servilibus, nihilominus tenetur per accidens, nempe ratione scandali pusillorum vitandi.

AUDITIO MISSAE. (123)

a) Theodorus, iuvenis, comitatur Hedvigem missam audientem, sed tempore sacri nihil de Deo cogitat, quia praeter sponsam suam nihil videt, nihil audit aut sentit; cum ea domum revertitur et interrogatus, an sacro interfuerit, affirmative respondet.

b) Joannes, discipulus, toto missae tempore occupatur colloquio cum collega et iocis inhonestis. Alia vice venit in ecclesiam, quia malam timet censuram sed legit in templo librum romanensem et id tantum cum audientibus sacrum habet commune, quod cum eis genua flectit ad elevationem et communionem et surgit ad evangelium primum et ultimum.

c) Margaritha cum missa audienda multas habet tribulationes et quidem: saepius venit sero, quia infantibus occupata est; una vice ob pudorem omisit sacrum, quia iam sero reflexit, tempus urgere et puduit eam circa consecrationem venire. Quia multo labore opprimitur et aegrotus filius somnum eius nocturnum interrumpit, dormitat tempore sacri etiam stans. Devotioni magnopere dedita dominicis diebus non alternat vices cum marito sed ipsa frequentius in ecclesiam pergit.

Solutio.

294. a) Indulgendum est Theodoro etsi eius assistentia sacri magnopere imperfecta fuit: de intentione non est inquietandus, nam haec semper supponitur, nisi positive excludatur; etsi enim fortasse sacro nullo modo interesset, si officium comitandi sponsam in ecclesiam eum non cieret, tamen non imputantur peccata hypothetica, quae evenissent, si hoc vel illud acci-

disset. Quoad distractiones, peccaminositas earum dependet ab eo, num cum eis luctatus sit; sive voluntarie eis adhaeserit sive non, satisfacit praecepto, quia in tali statu certe saltem confusam ideam habuit eorum, quae in altari peragebantur. Admoneatur Theodorus, amore puellae immersus, magnopere proficuum esse missae tempore pro sponsa devote orare.

295. b) Discipulorum confabulationes, etsi per se attentionem externam impendant, quia furtive fiunt interpolatis vicibus, vulgo non impediunt, quominus quis Ecclesiae praecepto satisfaciat. Possumus enim ad plura simul attendere, quamvis minus attente ad singula (Croix, l. III, l. 658). Non refert, quod sermones Joannis fuerunt turpes, per hoc enim laeditur castitas non autem specialiter lex ecclesiastica.—Severius iudicari debet Joannes in altero casu; per missam totam aut notabilem eius partem deerat ei attentio externa, propterea graviter peccavit, si aliud sacrum non audivit. Non prodest ei circumstantia, quod genuflectebat et surgebat, quia his actibus, forte omnino involuntariis, interrompebat potius suas occupationes non vero sacri auditionem suis occupationibus. Haec circumstantia, quod timore ducebatur ad ecclesiam, prodit quidem malam eius habitualement dispositionem sed per se nondum actualement nolitionem audiendi sacri, ideo non imputatur qua actus peccaminosus.

296. c) Margaritham interrogare debet confessarius, num saepius sero in ecclesiam venerit; si affirmative respondet, indicium est, eam non apte tempus disponere, et singulae omissiones, utpote voluntariae in causa, ei imputantur; si raro id evenit, devotus character mulieris demonstrat, partiales sacri omissiones esse inopinatas aut involuntarias. In specie debet interrogari, quoties post evangelium venerit; ommissio enim partis missae ad offertorium inclusive grave peccatum censetur. Potius de evangelio quam de offertorio interrogatio poni debet, quoniam omnes fideles facilius cognoscunt, quando evangelium legitur; ex altera vero parte offertorium inter et evangelium minimum temporis spatium intercedit, proinde qui venit post evangelium eo ipso ordinarie post offertorium venit. Per se patet, si concio evangelium excipit, opportunior est interrogatio, num aliquis ante vel post concionem venerit.

In altero casu per se minus recte fecit, si ob pudorem ecclesiam neglexit; impossibilis quidem ei erat auditio totius sacri qua liturgiae, potuit tamen interesse sacro qua sacrificio; secus dicendum, si demum post consecrationem venire posset, tunc libera esset a reliqua parte audienda. Dixi »per se,« nam si malas linguas muliercularum prudenter timeret, forte ab omni peccato excusaretur.

Rustici quia somnum tempore aestivo sibi subtrahunt, saepe in templo dormitant, ad quod etiam organorum sonus et incensi odor, calor, aër humidus, conferunt (Stôhr, Pastoralmedicin); si plene non dormiunt, quod vulgo contingit, satisfaciunt praecepto ecclesiastico. Saepe somnolentia eis non imputatur ob impossibilitatem eam abigendi; interrogationibus explorabit confessarius, in quantum somnolentia voluntaria fuerit.

Tranquilla sit Margaritha, quod aliquantis per pluries quam vir eius in ecclesiam pergit; ethica non patitur arithmetica; attendat tamen, ne differentia eam inter et virum quoad sacri auditionem nimis crescat; attendat quoque Margaritha, se facilius sub gravi obligari ad correptionem erga virum, si hic rarissime vellet ecclesiam adire. Si duo sacra celebrantur, fortasse posset alter coniux primam missam, alter vero summam audire. Propterea curent sacerdotes, ut maius temporis intervalum intercedat inter singulas missas.

AUDITIO MISSAE. (124)

Parocho cuidam multi se sistunt, qui missam non audiunt: a) Iosephus servitio viae ferreae addictus, qui tantum aliquando die dominica liber est; b) Ignatius, artis sartoriae tiro, cui magister die dominica officinam custodire mandat; c) Iacobus, impuber, quia pater nullum ei dedit »iussu«; d) Bronislava ob defectum calceamentorum; e) denique filia cuiusdam officialis, quam prohibuerunt parentes in ecclesiam ire, ne sola per plateas deambulet. Quaeritur, an isti revera excusentur?

Solutio.

297. a) Iosephus excusatur ratione officii sui, quod derelinquere non potest; si tamen omnibus dominicis totius anni im-

pediretur et diebus ferialibus aliquando liber esset, teneretur ex lege divina aliquoties in anno sacro interesse; Christus enim sacrificium incruentum instituit, ut fideles de altari participant, Ecclesia vero diem assignavit; si cui impossibile est Ecclesiae praeceptum observare, debet saltem Christi voluntatem exsequi. (Marc, I. 685. Lehm. Cas. I, 364).

298. b) Ignatius contractum de addiscenda arte iniens, debuit sibi reservare facultatem audiendi sacrum. Si hoc non fecit, narret rem patri suo vel tutori vel alicui viro gravi, qui rem cum magistro componat. Si id effectu careret, doceri potest, ut apud loci capitaneum conqueratur, nam etiam leges civiles ei favent (lex recens ddo 18. iulii 1905 Dz. p. p. No. 125.). Expedit tamen per alios id facere. Si etiam id impossibile apparet, quia magistrum timet, deserat impium hominem. In casu, quo etiam id cum morali difficultate esset coniunctum, quoniam vgr. solvit pecuniam pro tirocinio aut alium opificem aequae dexterum facile non inveniet, aut patris iram timet, excusatur a peccato ob impotentiam. Sacerdos recte iniunget ei lectionem piorum librorum.

299. c) Talis locutio in ore impuberum et famulorum, »se nullum iussum accepisse« duplicem significationem habet: aut adhibetur sensu litterali, i. e. paterfamilias nihil iussit et ipsi ex negligentia sacrum omiserunt, et tunc, per se patet, ii a peccato non excusantur; aut volunt dicere: paterfamilias licentiam eundi in ecclesiam non dedit et tunc nullum peccatum committunt subditi sive rationabiliter, sive irrationabiliter (saltem ordinarie) haec licentia eis denegata sit. Confessarius interrogationibus investigabit, quo sensu ista locutio accipienda sit.

300. d) Calceamenta in plerisque locis nostrae regionis ita pertinent ad decorum, ut magnam confusionem patiantur, qui eis die dominica carent. Etiam iis, qui diebus ferialibus nudis pedibus deambulant, vix posset proponi mandatum, ut absque calceis diebus festivis in ecclesia appareant. Secus si quem non dedecet nudis pedibus incedere, prouti apud pauperrimos vel mendicos rurales id contingit; hi tamen non excusant se defectu calceamentorum. Ex dictis responsum patet pro casu Bronislavae; interrogari adhuc potest, utrum forte ex incuria eius hic defectus calceamentorum proveniat, an inopinate hoc defectu laboret.

301. e) In magnis urbibus non sinuntur domicillae solae quibusdam temporibus in plateis apparere, quia periculum a iuvenibus perversis timetur. Aliquando tamen exaggeratur periculum et tantum respectus ad mores politos obstat; haec irrationabilis consuetudo legibus Ecclesiae adversatur. Ordinarie puella excusabitur a peccato in his adiunctis iam per hanc causam, quod parentum vetitum infringere non audet et rarissime iniungi ei potest, ut contra parentum voluntatem perfracte agat. Quae diximus de populosis urbibus, non possunt applicari pagis vel parvis oppidis, ubi periculum tale generatim evanescit; qui eiusmodi consuetudinem introduceret, graviter peccaret.

AUDITIO SACRI. (125)

a) Thomas, una tantum hora distans ab ecclesia, semel omittit sacrum, quia occupationibus totius hebdomadae magnopere defatigatus requiescit.

b) Gregorius, ipse in templum pergere non valens, prohibet, ne filius ardens cremati amator et filia procax ad sacrum audiendum pergant; timet nempe, ne occasione peccandi exponantur (Gury, Casus consc. I. 351).

c) Helenae famulae raro permittit herus sacrum audire, relinquit enim eam domi, ut pecora custodiat. Confessarius mandat ei aliud servitium quaerere, illa vero reponit, se non posse aliud invenire in eodem pago natali et se timere ne, elongata, deseratur a iuvene, qui eam in matrimonium ducere intendit.

Solutio.

302. a) In multis casibus non possem gravis peccati reum dicere rusticum, qui magna defatigatione se excusat, puta, si laboravit in sudore vultus tempore messis per sex dies, si somnum sibi subtrahebat; propterea si Thomas alioquin conscientiosus homo apparet, in pace relinquendus est, imo instruendus, ne ex conscientia erronea peccet.

303. Gregorius excusari potest saltem quandoque ex eo, quod filium aut filiam ob allatas rationes in ecclesiam pergere vetat, si periculum est proximum. Praeceptum enim audiendi

sacri, utpote positivum, cedere debet naturali de vitanda occasione proxima peccandi. Haec tamen praxis diu durare non potest, nam etiam influxui gratiae divinae, concioni et exemplo bono aliquid tribuere fas est.

304. c) Si Helena bis in mense impeditur in sacro audiendo, urgeri non potest, ut locum suum deserat, nam etiam heri rustici non in meliore conditione adesse solent, si unus sacerdos est in parochia. Si vero ei permissum esset semel tantum in mense adimplere legem ecclesiasticam, teneretur per se alium famulatum quaerere et, si sine damno aut incommodo mutare servitium non posset, liceret ei in loco suo remanere. In casu nostro causae ab ea allegatae sufficientes videntur.

ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS. (126)

a) Coram parochio accusant rustici Joannem catholicum, eum festo Assumptionis B. V. M. conduxisse iudaeum et lutheranum ad segetes colligendas, haesitat parochus, an laborem permittere possit ob laborantium religionem diversam.

b) A iudaeo conducitur Franciscus, ut die dominica eius merces in vicinum oppidum vehat. An id liceat Francisco in casu, quo iudaei ipsi merces currui imponunt?

c) Ad nundinas, quae die subsequente dominicam in aliquo oppido celebrantur, fabri lignarii in die dominica ante mediam noctem merces suas currui imponunt et iter ingrediuntur; aemulantur enim in occupando opportuno loco, quo facilius mercem vendere possent.

d) Aemilius, mercator, officinam suam per totam diem dominicam apertam tenet; aliquando agrum et equum emit die festivo pecunia numerata et equum in proprium stabulum abduxit.

Solutio.

305. a) Iudaei non tenentur legibus Ecclesiae, quia non baptisati non sunt ei subiecti; lutheranos autem, prouti saepius hoc declaraverunt ss. Congregationes romanae, praecepta ecclesiastica in genere ligant; proinde per se non peccavit Joannes, si iudaeum conduxit ad laborem, tamen non licuit lutheranum

operae applicare, etsi protestatus sit, se festum B. V. M. non agnoscere. Dico per se, quia per accidens reus fit culpa. Nihil enim magis Ecclesiae menti convenit, quam quies publica diebus festivis observanda, in qua mystici figuram futurae quietis coelestis vident; etiam lex civilis publicos labores diebus festivis vetat omnibus civibus sine discrimine religionis. (lex ddto 18 iulii 1905). In regionibus autem, ubi latini cum graecis et protestantibus et iudaeis mixti habitant, quies haec in diebus festivis partim ob calendarii discrepantiam, partim ob legis defectum non potest esse universalis, attamen servanda est secundum possibilitatem, id est saltem romano-catholici attendere debent, ne publici labores non necessarii in suis agris et officinis perficiantur. Puto, id non solum ex convenientia fieri debere, sed sub peccato et quidem ob scandalii periculum; per talem enim laborem catholici minus fervidi ad legem ecclesiasticam violandam incitantur. Si labor non publice perficeretur, puto, nihil obstare, quominus iudaeus in negotio catholici occupetur diebus festivis aut dominicis; talis operarius aequiparatur aquae vel vento molam agitantis. Quia labor in agro Joannis natura sua publicus est, ideo debet parochus eum interdiceret; si necessitas urget, clarum est, posse Joannem etiam personaliter laborare et iudaeum conducere; ideo in hoc casu debet parochus rusticis rem explicare, ut omne scandalum removeatur.

306. b) Etsi peregrinatio sive curru sive pedibus non computatur inter opera servilia, tamen et consuetudo, quae sub hoc respectu multum valet, et gubernium civile vetant diebus dominicis currus onustos vehere et idem dicendum est etiam in hoc casu, quo currus oneraretur aut pridie aut a iudaeis ipsa die dominica. Vetat eadem ratio quietis publicae, de qua in casu praecedenti.

307. c) Cum dies dominica computetur usque ad mediam noctem, praxis haec opificum per se illicita apparet; excusaret eos, praeter iacturam notabilis lucris, consuetudo inveterata, cui facilius indulgeri potest ideo, quod labores isti nocte peraguntur. Confessarius potius dissuadeat et ad fiduciam in Deo adhortetur, quam vetet istum laborem.

308. d) Mercatores diebus dominicis officinas tantum per breve tempus horis matutinis aperire possunt, ut provideatur iis,

qui diebus ferialibus in emptione impediuntur, (lex civilis in Galicia permittit diebus dominicis aperire officinas ab h. 7—11 ante meridiem; vide praescriptum locumtenentiae pro Galicia dtto 1905, die 26. octobris, Dz. u. kr. 114). Ob mercatorum aemulationem vulgo non inquietantur catholici, si mores suos dispositionibus legis civilis conformant; tempore tamen missae »summae« sub peccato debent omnes officinas claudere.—Privata emptio agri et equi etiam numerata pecunia a nemine inter opera prohibita recensetur, fit enim absque strepitu et quietis perturbatione. Peccaret Aemilius, si apud notarium vel advocatum contractum emptionis-venditionis conscriberet.

ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS. (127)

a) Justinus, sutor, progrediente hebdomade progreditur in diligentia; sabbato strenuissime laborat, etiam noctem carpit usque ad 4. imo 5. horam matutinam in dominica; aliter, dicit, se non posse familiam sustentare ob magnam concurrentiam.

b) Fabrum ferrarium die festivo inquietant agricolae: alter petit, ut ei vomerem reficiat, quia summo mane arare intendit; alter vero iter faciens rogat, ut equum ei calceet. Haesitat faber timens, ne peccet, si votis agricolarum cesserit.

c) Julius, haeres bonorum, e pomis terrestribus spiritum alcoholicum fabricat, sed magnam difficultatem experitur ex eo, quod multi operarii operam suam locare detrectant ob festi violati timorem. Quid ethica catholica de hoc?

d) Ut festo Corporis Christi altaria pro processione in opidi plateis peragenda erigantur et ornentur, plures homines arbores caedunt. Murmurat iuvenilis cooperator, cum videt homines securibus operari in tanta festivitate. An recte?

Solutio.

309. a) Interrogetur sutor, quomodo feria II. laborare consueverit? Certe tempus otio terit aut tristes ebrietatis sequelae in lecto eum detinent. Si huius furfuris hominem reperiet confessarius, non credat iniquitati, quae mentitur sibi. Protrahendo laborem 4 horas post mediam noctem peccat sutor, imo dupliciter

delinquit, si operariis laborare mandat. In hoc tantum casu non peccaret, si inopinate iussus esset perficere laborem a cliente aegre dilationem passuro; propterea oportet eum explicite de hoc interrogare. Sola ratio amittendi lucri consueti non excusat eum.

310. b) Etsi plurimi theologi, s. Alphonso praeunte, permittunt fabro in priori casu laborare ob necessitatem, tamen apud nos sine scandalo hoc fieri non posset ob contrariam consuetudinem. Itinerantibus autem consuetudo succurrere permittit; saepe fabri nullum salarium pro tali labore acceptare volunt, quae laudabilis est consuetudo, ast non obligatoria, quia licitum eis esset retinere pecuniam etiam in hypothesi, quod illicite laborarent.

311. c) Ob chimicos processus non potest interrompi labor in tali fabrica inceptus, ideo licet operariis operam suam locare et diebus dominicis laborare, modo labor restringatur ad necessarias tantum occupationes.

312. d) Pietas opus per se servile licitum reddit; nihilominus adlaborare debet parochus (non cooperator), ut labores duiores pridie perficiantur; si id fieri non potuit, non peccant, qui ad maiorem solemnitatem die festo eosdem peragunt.

ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS. (128)

a) Anna, sartrix, quolibet feriali die decem horas in officina mercatoris laborat; vespere domum reversa, sumpta refectioe, aliquantisper deambulat, quia defatigatam se sentit, vestes autem pro se reficit et conficit die dominica post meridiem. Caius, sacerdos, interrogatus de hac praxi, increpat eam verbis: si potes deambulare, potes etiam suere die feriali!

b) Genovefa, vetula, acu textit (szydełkiem robić) et pingit (haftować) diebus dominicis non lucri gratia, sed ad otium vitandum; putat quoque, sibi licitum esse vestes dissuere (pruć), quia id non est idem ac vestes conficere. Flores quoque artificiales tum ex cera tum ex tenerrimo papyro conficit eosque offert vel ecclesiae vel amicae suae. Cum flores pro ecclesia asportaverit, loco laudis increpationem a parochio audit pro vio-

latione diei festivi. Conqueritur apud te, num iuste vituperium mereatur?

Solutio.

313. a) Deambulatio est Annae necessaria ob diurnum laborem defatigantem; non licet ex ea concludere, Annam posse vespere in hebdomade pro se suere. Si posset, certe peccaret conficiendo vestes die dominica; attamen puto, ordinarie cum maximo incommodo id sartrici coniunctum esse, si consideramus, quod praeter laborem 10 horarum aliae occupationes circa victum, cubilis ordinem vespere eam expectant; satagat tantum occulte laborem suum perficere. Idem dic de aliis operariis, qui operam suam per hebdomadem locant.

314. b) In multis operationibus mulierum plus valet dexteritas et labor ingenii quam virium physicarum, ita ut ex natura sua difficulter operibus servilibus tales occupationes adnumerentur; potius dicendum, consuetudinem in ultimo foro causam decidere. Attendendum quoque est, utrum aliqua mulier ex professo, mercenario modo, talibus negotiis occupetur, an in domo sua pro se vel causis piis quid conficiat. Itaque Genovefae secundum nostras consuetudines non potest permitti acu texere aut pingere; licet vero ei flores artificiales ex cera aut papyro conficere; hic potius mens laborat quam corpus. Idem sentiunt Gury, I. 356, Noldin, n. 271, Génicot 334; paulo severior est Bucceroni 655, qui tantum ob pietatem id permittit. Dissuere non licet, nam oppositorum eadem est ratio; si suere est opus servile, ergo et dissuere.

ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS. (129)

a) Paulus, puer rusticanus, singulari modo dies dominicas transigit: mane in urbem vicinam pergīt, ibique columbis et cuniculis (króliki) negotiatur, aliquando vestimentum novum apud iudaeum mercatorem emit; domum reversus stercus e stabulo eiicit; post meridiem vero autumnali tempore fructus ex arboribus colligit. Quid ad hanc praxim?

b) Jacobus vestibus se induens die dominica conspicit orbiculi (guzik) defectum in indusio et scissuram parvam in veste exteriori. Irascitur matri, quae turbata diem sacrum violare timet et anxia haeret.

c) Rusticis cuiusdam pagi, dum tempore messis segetes in terra iacerent, quadam die dominica tempestas repente ingruere visa est. Alii subito proprio Marte ad segetes colligendas curribusque et equis in horrea evehendas currunt, alii a parocho facultatem id faciendi petunt; alii tandem etiam dispensationem petere veriti sunt et a labore abstinere. Qui recte agunt?

Solutio.

315. a) Mos infaustus invaluit, quod pueri rustici diebus dominicis negotiationes in urbibus peragunt et, quod magis dolendum, saepe hac occasione sacrum omittunt et in tabernis dominicam transigunt. Ipsa vero publica venditio columbarum prouti et emptio horis matutinis ob consuetudinem non est peccaminosa.—Etsi lex civilis nunc permittat omnes indiscriminatim officinas diebus dominicis per 4 horas aperire, tamen quoad vestimenta et in genere merces, quae victui non deserviunt, antiqua consuetudo in multis locis adhuc sustinetur et vulgo homines pii culpabiles se sentiunt, si talium emptione quietem dominicam perturbant.—Stercus eiicere, prouti et domum verrere, reputatur pro licita occupatione ex necessitate; suadendum tamen est, ut summo mane hic labor perficiatur.—Tempore pomeridiano fructus colligere, qui de arboribus deciderunt, non est peccaminosum iam ex hac ratione, ne furum praeda fiant. Ex arboribus autem colligere fructus in maiore quantitate pro opere servili iuste habetur.

316. b) Reficiat vestes ad iram filii compescendam!—peccatum eius ab aliis adiunctis dependet. Mulieres, quibus saepe contingit, quod vestes demum die dominica reficiunt, peccant, quia negligentia earum culpabilis est; experientia enim edoctae possunt et debent ita suas occupationes circa lintea per hebdomadem componere, ut diebus ferialibus sese cum iisdem expediant; quoties id non faciunt, ipso facto exponunt se periculo proximo violandi diem dominicam. Si tamen raro eis hoc contingit, non peccant vestes inopinata reficientes, quia citra prae-

visionem id evenire praesumitur. Si mater Jacobi ad primam classem pertinet, semper peccat per negligentiam, si ad alteram, a culpa immunis est.

317. c) Si revera periculum imminebat, prouti saepe evenit, ne pluvia segetibus noceret, eas die festo colligere fas erat rusticis; Ecclesia enim non vult suis praeceptis occasionem damnorum dare. Causa haec necessitatis per se excusat absque ulla dispensatione. Ut omnes anxietates removeantur, consulitur petere dispensationem a paroco; cooperator potest tantum declarare, non urgere praeceptum in aliquo casu determinato. Ex dictis patet responsio ad quaesitum.

PRAECEPTUM DIVINUM IV.

OBLIGATIONES FILIORUM. (129)

Leo, filius patris bibuli, qui domum strepitu luctuque implere solebat, accusat se in confessione, quod odium contra eum cohibere non potuit; cum ebrio saepe rixatus est, eumque conviciis onerabat; semel cum sero in nocte frustra patrem expectasset, clausit ianuam, quod patrem magnopere exacerbavit; tandem domo aufugit, ut artem sartoriam addisceret. Etiam hoc contra patris voluntatem factum est, etenim ipse sutor, suam artem eum docere in mente habuit. Denique pater mortuus est et qua haereditatem reliquit ei multa debita in cauponis pro cremato solvenda. Sepelivit mortuum et tantum aspersionem cadaveris curavit absque missa et exsequiis. Quomodo Leonis agendi ratio diiudicanda est?

Solutio.

318. Odium istud filii, de quo se accusat, verosimiliter est odium abominationis, quod vertebatur contra vitium non contra

personam; interrogandus est Leo, num patri quid mali serio optaverit, ut cognoscatur, an forte odium inimicitiae cor eius rodat. Erravit et peccavit miser Leo, quod cum ebrio rixatus est; ebrius caret usu rationis et nulla argumenta intellegere potest; debuit patrem in momento sobrio obsecrare etiam increpare, si id necessarium reputabat. Maledictiones, quas contra patrem coram protulit, sunt peccata mortalia, nisi eas direxisset contra eius iniquitatem et tunc a veniali non essent immunes. Convicia pensanda sunt secundum offensionem patris; inter homines infimae classis non reputantur pro gravibus peccatis. Januam claudere sero revertenti est stratagema contra ebrios, ut resipiscant, ideoque iram pater sibi non filio imputare debuit.

Domo aufugere non licet filio minorenni et quidem sub gravi peccato; in nostro casu excusatur filius a culpa, nam fecit id ex causa gravi et rationabili. Filius enim nauseam picis habens non tenetur artem patris addiscere, quia in electione vitae status filii sunt liberi; supponuntur enim sequi vocem eius, cui etiam parentes obedire debent, i. e. Dei, qui per naturales propensiones voluntatem suam manifestat.

Quoad debita distinguendum est: aut Leo haereditavit aliquid post defunctum genitorem aut non; in posteriore casu non obligatur ad debita patris solvenda, quia sunt onera personalia; in priore, si debita sunt contracta pro potationibus, ex lege naturali solvenda sunt, ex lege autem austriaca fine cohibendae ebrietatis ius ad actionem iudicalem huius generis creditoribus adimitur; proinde non peccat Leo, si ea non solvit accomodando se legi civili; secus si pater contraxisset debita pro victu aut aliis rebus.

Exsequias funerales secundum statum et consuetudinem filius curare debet; notorio bibulo patri, attenta eius conditione, forte Leo non intulit contumeliam, si corpus durante vita saepius potatione aspersum post mortem aqua tantum benedicta aspergere mandavit; qui vivus honorem non merebatur, neque per mortem ius ad eundem acquirere potuit. Quoad sacrum pro defuncto non gravis neglegentiae arguerem filium, si id praetermiserit, tum quia in casu particulari nescimus, an anima indigeat hoc auxilio, tum quia alio modo efficaciter adjuvari po-

test, vgr. indulgentiis. Alioquin pauperes non possent officia sua erga defunctos parentes adimplere.

OBLIGATIONES FILIORUM. (130)

a) Ladislaus, minorennis, confitetur α) se fuisse inobedientem erga parentes; β) se matri magnam tristitiam causasse ob neglegentiam in studiis; γ) se clanculum, ut putabat, maledixisse parentibus, dum contra intentionem pater haec verba audierit et graviter iratus sit; δ) se irreverenter matri respondisse, quo mater ad lacrimas permota est. Quomodo eius peccata pensanda sunt?

b) Juliam, 18 annorum puellam, adducere vult mater devotissima ad confessionem menstruam; contumaciter tamen renuit puella imo devotionem matris irridet. An et quomodo peccat?

Solutio.

319. a) Inobedientia filiorum minorennium vulgo reputatur pro peccato levi, tum ideo quia parentes raro serium et strictum praeceptum dant, tum ob negotiorum impositorum parvum valorem, tum denique ob puerilem filiorum levitatem, quae res mature non ponderat. Hoc non obstante possunt filii etiam graviter peccare et quidem tunc, si praeceptum refertur ad bonos mores, pericula peccatorum removenda et filii saepius illud vel contumaciter transgrediuntur. Si agitur de impuberibus, expedit, ut confessarius interroget eos, quoties parentes propter eorum inobedientiam magnopere irati sint aut mater lacrimaverit, materiam inobedientiae non exquirat; etsi enim lacrimae matris et ira patris non sunt indubia signa gravis inobedientiae, tamen si saepe filii eas causant, produnt animum malevolum et statum animae forte graviter peccaminosum. Si vero puberes saepius inobedientes se ostendunt, expedit, ut cognoscantur gravia peccata, de materia interrogare, vgr. num contra iussum parentum conversati sint cum inhonestis personis, num sero domum reversi sint; addenda est interrogatio de numero, ut status animae poenitentis cognoscatur.

320. b) Si parentes pro conditione sua urgent, ut pueri studiis vacent, quia vgr. eis alio modo providere non possunt, aut quia familia est nobilis vel ex classe exulta, tunc filii per negligentiam peccant ob violationem serii praecepti et saepe ob damnum, quod eis inferunt (Génicot I. 348); ideo si advertunt ad malitiam suae notabilis negligentiae, non possunt a reatu gravis culpaes immunes dici. Si vero parentes studia non urgent, quia sunt ex inferiore classi, tunc filii non peccant graviter, nam eo ipso ostendunt, sibi deesse indolem, et monstrant aptitudinem ad statum, in quo studia molesta necessaria non sunt. Similia dic de filiis divitum parentum, qui studiis sublimioribus operam navare detrectant. Attamen certe (objective saltem) peccant pueri quicumque, divites et pauperes, qui artem scribendi et legendi in aetate puerili addiscere neglegunt.—Neglegentia Ladislai secundum eius indolem et rationis evolutionem ac parentum conditionem diiudicanda est. Vulgo peccant filii graviter per negligentiam, si semestralē censuram insufficientem afferunt.

321. c) Maledictiones clandestinae filiorum, sine animo pravoprolatae, et convicia occulta non reputantur pro gravi peccato a s. Alphonso (Hom. ap. VII. 2); puto, id valere de impuberibus tantum ob defectum sufficientis discretionis. Quod pater audivit, id inopinate factum est, neque filio paterna inopinate erumpens ira et gravis offensio imputari potest.

322. d) »Provocando ad lacrimas dici nequit (Ladislaus) mortaliter peccasse, si ipse egit ex levitate et quaestio est de matre ad lacrimas prona. Aliud plane dici debet de filiis vel filiabus maioribus, qui superba et amara tractatione parentes ad lacrimas usque contristant« (Lehmkuhl, Cas. I. 469); adde, si quicumque filii continua et contumaci inobedientia patrem ad iram et matrem ad frequentes lacrimas provocent. Ladislaus ad primam classem pertinere videtur.

323. e) Julia per se non peccavit graviter propter inobedientiam in operibus supererogatoriis; admoneri tamen debet, ut piam matrem imitetur. Id valet, si agitur de frequentia sacramentorum ex devotione, nam severius iudicanda est, si mater necessariam pro ea duceret confessionem frequentem, vgr. ad vitium aliquod eradicandum. Irrisio autem laedit honorem ma-

tris; ex eius offensa potest cognosci, num leve an grave peccatum commissum sit.

OBLIGATIONES FILIORUM. (131)

a) Gasparo, cum filiam Joannis in uxorem duceret, promisit eiusdem pater dotem convenientem dare; ast nuptiis celebratis filiam solam absque dote ei misit; post plures rixas Gasparus uxorem vetuit visitare patrem et post annum eum ad iudicem citat. Quid de agendi ratione Gaspari iudicandum?

b) Philippus, rusticus, amore vesano prosequitur Annam, vicini agricolae filiam; pater eius id rescians, interdicat ei, ne puellam visitet, et iurat, se nunquam consensurum esse in matrimonium cum Anna paupere. Quaerit Philippus a confessario, quid sibi faciendum?

Solutio.

324. a) Gasparus iustam causam tuetur, attamen modo non ex omni parte licito. Si uxor eius consuevit frequenter parentes visitare, quia non longe distant, potuit ad indignationem suam ostendendam uxori tale vetitum dare ad breve tempus; peccavit vero, si per longius tempus uxorem cohiberet a parentibus visitandis praesertim, si essent aegroti et filiae consolatione aut auxilio indigerent. Si parentes longe distant, et filia non frequenter eos visitare consuevit, facilius grave peccatum vitabitur. Idem dicendum proportionem servata de commercio epistolari inter personas excultas; epistola enim visitationi aequivalet. Non peccavit Gasparus ex hoc, quod patrem ad iudicem citavit, quia sibi non genero imputare debet Joannes, si tantopere non honorifico modo cogitur ad dotem solvendam.

325. b) Luce clarius est, rationem adiudicandam esse Philippo et tum patris vetitum tum iuramentum non valere ob futilia motiva, quibus innituntur; filius enim in matrimonio ineundo iiber est et tenetur tantum consulere parentes, quoniam nubens, sibi uxorem, parentibus autem nurum adducit. Confessarius in his casibus, non debet praecipitanter iudicium ferre; discordiae enim possunt labente tempore sedari; suadeat nuptiarum dila-

tionem, suggerat modum, quo patris voluntatem flectat; si id non procedit, permissive se habeat.

OBLIGATIONES PARENTUM. (132)

Rudolphus nervorum affectione potius quam sana ratione vitam suam dirigit: a) plus diligit filios suos quam privignos, imo saepe duriores labores privignis imponit; b) filium suum illegitimum matre orbatum domi detinere non vult nec uxori idem permittit quoad eius filiam illegitimam; c) filiorum suorum natu minimo maxime favet eique clam pecuniam subministrat; imo contractu fictitio fere dimidiam partem suorum bonorum cedit. Quaeritur, an peccet?

Solutio.

326. a) Jam natura adigit Rudolphum, ut privignis suos filios praeferat eosque teneriore affectu prosequatur, non enim consanguinei sed affines ei sunt. Optime faciet, si aequali modo eos cum suis filiis tractabit, ut iurgia evitet et magna merita coram Deo acquirat; ita se rustici obligatos sentiunt idque omnibus consuli potest. Stricte loquendo debetur privignis sustentatio ex eorum et maternis bonis; ex bonis vitrici hypothetice, i. e. tunc, quando alii sustentationis fontes matri desunt; cum hac enim obligatione viduam duxit; ex hoc sequitur, quod etiam educatio secundum eorum et matris conditionem eis debetur. Ita ex rigore iustitiae; hunc tamen charitas mitigare debet. Nam debetur privignis a vitrico et fervidior quam erga extraneos charitas et efficacior, tum ob propinquitatem, tum quia saepe privigini eum in oeconomia adiuvant, tum denique, quia et decor domus et matris honor exigit, ut non magnum discrimen inter filios et privignos intercedat. Certe graviter peccat, si bona eorum administrat et instar famulorum eos tractat, si eos fame premit aut supra vires labore gravat. Secundum haec dicta interrogandus est Rudolphus, num infra conditionem privignos tractet aut num fame eos vexet vel extraordinariis laboribus oneret, ita ut valetudo eorum frangatur.

327. b) Quoad filios illegitimos, sufficit, si parentes eis provident educationem homini necessariam, etsi conditioni parentum inferior sit, modo spiritualis eorum educatio non neglegatur. Ex eo sequitur, quod non est absolute necessarium, ut parentes apud se eos teneant. Joannes propterea non peccat, si illegitimam prolem suam et uxoris apud se detinere non vult; interrogandus tamen est de spirituali educatione illegitimae prolis.

328. c) Praeferendo ceteris filium natu minimum peccat graviter, si ceteri filii id aegre ferunt; nam tunc iurgia in familia oriuntur et character illius praedilecti depravatur ac denique ceteri saepe iniuriam patiuntur in bonorum distributione, prouti in casu narrato. Excusaretur pater, si rationabilem haberet causam unum ceteris praeferendi, vgr. si hi essent discoli.

OBLIGATIONES PARENTUM. (133)

a) Agatha scit, filiam suam exire ad iuvenes horis vespertinis et hoc ei permittit, tum quia ei confidit, utpote aliis meliori, tum quia cupit maritum pro ea; b) iudaeo, qui apparet, ut pro filio solvat debita pro cremato et vestibus, fores monstrat et interrogat eum, cur non venerit, quando credito merces daret; c) filiam impuberem non mittit in scholam, vult enim, ut anseres pascat; filium autem, qui in tirocinio apud sartorem erat et aufugit, domi detinet et sinit, ut tempus otio terat. An et quomodo peccaverit in singulis casibus?

Solutio.

329. a) Confidentialia matris ex amore excaecante provenit; permittendo nocturnas excursiones filiae graviter mater delinquit; edocenda est, ut iuvenes domi coram adultis cum filia colloquantur, nisi tristes sequelas suae indulgentiae experiri velit.

330. b) Non tenetur solvere debita pro potationibus filii, debet vero pro vestitu necessario, quia parentes obligati sunt filiis etiam discolis et prodigis necessaria vitae subministrare. Sed quandoquae honor domus exigit, ut parentes omnia filii debita exstinguant.

331. c) Forte simplicitas excusabit eam a peccato gravi, quod filiam non mittit in scholam popularem et pro tota vita infelicem facit. Obiective immunis esset a peccato gravi tunc tantum, quando filiam domi scribere et legere utcumque docuerit, aut si tantopere esset pauper, ut vestimenta non valeret filiae comparare, quod raro evenit; neque credendum est, filiam multum matri lucrari.

Peccat, si pro viribus non adhortatur filium, ut revertatur ad suum magistrum aut in genere ad laborem qualemcumque, si causam deserendi magistrum sartorem habet. Parentum enim est curare, ut filii edoceantur aliquod vitae genus, quo honeste sustententur, imo peccant parentes etiam tunc, si talem vitae conditionem filiis ex neglegentia non dant, quae eorum natalitia decet.

OBLIGATIONES CONIUGUM. (134)

a) Andreas, rusticus, instigante sua matre cum dotem a socero obtinere non posset, subtraxit alimenta uxori suae Annae; habitat quidem cum ea sub eodem tecto, tamen mater non Anna ei cibos parat. Mox animi eius aversio tantopere invaluit, ut pervenerit ad caedes et nuper securi eam percutere intendebat. Anna, perterrita, ingratae domui valedixit.

b) Martinus interdicat suae uxori Sophiae hebdomadariam confessionem, quam ex confessarii iussu peragere vult; pecuniae amator solus in montana excursionem aestivam ad unum mensem facit, uxorem autem domi manere iubet, ut aliquantisper a matrimonii iugo liberatus respiret.

Solutio.

332. a) Andreas non peccasset, si per breve tempus, puto tres dies, denegasset alimenta uxori et ad patrem remisisset, intendens hoc modo influere in suum socerum. Si tamen diu talis status duraret, graviter peccaret, quia coniuges tenentur habitare una quoad thorum et mensam (Alph. VI. 939) et mariti est alimenta praestare uxori, etiamsi haec nullam dotem attulerit. Ex separatione a mensa tristes sequelae vulgo procedunt.

Peccavit, quoties uxorem verberavit, ipsa enim innocens est; gravitas autem peccati dependet a gravitate percussione et honoris laesione (inter rusticos sub hoc respectu peccatum censetur leve). Verberatio moderata ob correptionem, de qua s. Alphonsus (H. A. VII. 12) loquitur, nunquam suaderi et raro indulgeri potest ob periculum abusus etiam inter homines infimae classis; potius post factum res mitius iudicari debet.

Si cohabitatio Annae cum marito adeo molesta evasit, ut moraliter impossibilis prudenter appareat, et praesertim si periculum imminet pro vita mulieris, infelici ad tempus indulgendum est, si a viro aufugit; praevalet enim ius naturale conservandi suam vitam. Stabiliter in separatione vivere posset non nisi ex episcopi auctoritate. Propterea et confessarius et parochus omnia tentare debent, ut coniuges uniantur. Andreas non est absolvendus, donec se cum uxore reconciliaverit.

333. b) Martinus graviter peccavit in casu narrato; si enim confessarius mandavit frequentiam sacramentorum, tunc id Sophiae necessarium ad salutem censi debet; talia vero impedire theologi communiter pro gravi habent; nec uxor in hoc casu per se tenetur marito obedire, quia salus aeterna ultimus et primarius eius finis est.

Si Sophia solummodo ex devotione vellet frequenter communicare ex confessarii consilio (non mandato), maritus ponendo ei obstacula per se leviter peccaret. Quia tamen talis acerba tractatio uxoris, si diu durat, certissime gravissimam molestiam mulieri parit, peccat maritus graviter contra charitatem, si per longius tempus uxorem a sacramentis arcet. Raro tamen tam strictam subiectionem, quae potius servituti aequiparatur, exstulabit maritus, si uxor officia sua domestica fideliter adimplet. Martinus peccat, si absque aliqua iusta causa tantam tristitiam uxori parat eo, quod eam domi relinquit, dum ipse salubri aëre fruatur; non enim serva sed vitae socia est. Uxor recte postulat, ut cum Martino proficiscatur iam ideo, quia ius ei competit, ut maritus cum ea cohabitaret.

FAMULI. (135)

a) Teresia, ancilla, cum aliquid minus dextere fecisset et a matrona increparetur, altum tenebat silentium; id dominam loquacem et rixae cupidam magnopere exacerbavit; alia vice post largam verborum colluviem simile silentium fregit et impatiens os eius verbum: stulta! ebullivit. Horribilis matronae exacerbatio secuta angore replet famulam, quae petit, quomodo peccaverit?

b) Hedvigis, cubicularia, cogitur cotidie usque ad 12 horam laborare et mane 5. hora surgere; sanitatem iam magnopere labefactavit ob somnum subtractum; servitii pertaesa occasionem illud deserendi quaerebat ac demum a filio heri sollicitata aufugit, non renuntiato servitio. Relicto famulatu, narrat aliis puellis, filium heri plagis castigatum esse et ipsum herum cum uxore sua in discordia vivere. Nunc confitetur et quaerit, quomodo peccaverit?

Solutio.

334. a) Taciturnitas famulae, etsi aliquando pro offensione haberi possit, tamen in casu nostro non est dicenda peccaminosa, si causa minus recte peracti laboris patet; si vero dominam latet, peccat famula contra obedientiam et reverentiam, si contumaciter silet. Convicium, quod in verbo »stultus« invenitur, si profertur a famula in faciem personae superioris conditionis, certe gravem involvit laesionem reverentiae heris debitae.

335. b) Hedvigis aut scivit, talem laborem eam exspectare, et in conditiones famulatus libere consensit, aut nescivit. In priore casu nullam patitur iniuriam; etsi molestus sit famulatus et valetudinem afficiat, debet usque ad tempus conductum perseverare; solummodo tunc posset servitium abrumpere, si proximum periculum incidendi in gravem morbum ei immineret; ratio est, quia lex naturalis curandae valetudinis praevalet contractui. Si ignoravit laborem et somni subtractionem neque aliquod tempus liberum invenire potest, ut in decursu diei somno indulgeat, tunc debetur ei aliquid plus praeter consuetum salarium, quia labor eius unius hominis vires excedit. Potest itaque aut laboris reductionem aut mercedis augmentum petere; quod si ei denegatur, non peccat contra fidelitatem, si ante terminum

servitium deserit. Neque ei adscribenda est laesio contractus, etenim herus prior violat conventionem tacitam, qua quilibet se obligat ad imponendos labores viribus famuli proportionatos. Compensationem occultam si fecit, dissimulet sacerdos post factum, non permittat eam ante factum. Unica sollicitatio ad turpia a filio heri nondum dat famulae ius ad aufugiendum; si saepius repeteretur, posset rem hero referre; si hic eam defendere nollet vel non posset, licet ei absque renuntiatione servitium deserere et ad molestias vitandas de hac re syndicum (praepositum communitatis) certiore reddere. (§. 29, 3 praescripti pro famulis ddo 1. iulii 1857). Peccat Hedvigis propalando secreta familiae et quidem contra fidelitatem forte leviter, sed graviter contra iustitiam ob detractorem, si secreta detecta multum nocuerunt familiae. Id tamen in casu narrato non videtur accidere, tales enim famularum narrationes non multum ponderantur.

HERUS. (136)

a) Hedvigi, famulae, quae per tres dies aegrota in lecto decumbebat, detrahit de salario Henricus pecuniam solutam alii famulae, quae vices eius gerebat, nec non expensas pro medico et medicamento factas. Hac notitia contristata iterum in morbum incidit et per sex hebdomades aegrotavit; herus vero statim eam dimisit. Quaeritur, num iusta fuerit tractatio heri?

b) Idem duas famulas sine renuntiatione dimittit ideo, quia altera pretiosum vas crystallinum casu fregit, altera pecuniam furata est. An iuste egerit?

Solutio.

335. a) Henricus cum expostulat a famula expensas pro medico et pharmaco neque contra charitatem neque contra iustitiam delinquit, cura enim valetudinis est cuiuslibet officium personale. Non licuit ei detrudere de salario, si ad duos vel tres dies substitutricem conduxit; id enim adversatur tum aequitati tum consuetudini universali, quae in contractu tacite subintelligitur; cuilibet enim optima valetudine gaudenti per aliquot dies in anno aegrotare contingit. Henricus vero con-

duxit Hedvigem cum ordinariis humanis imperfectionibus neque talem casum sibi explicite reservavit. Quoad alterum morbum aut famula habet parentes vel cognatos, qui eius curam gerant, aut non. In priori casu non peccat, si cognita gravis morbi natura, eam ad parentes remittit, nam famulae sufficienter providetur a personis plus coniunctis. In posteriore hypothesis debet eius curam gerere. Nostrae leges (l. c. §. 21) iubent herum per quatuor hebdomades famulam aegrotam curare apud se aut in hospitali; tempore hoc elapso, res syndico est notificanda et aegrota tractatur ut pauper. Henricus secundum hanc distinctionem diiudicandus est. Ne dicas, ipsi imputari debere alterum famulae morbum; hunc enim non praevidit neque eius causa efficax est; adscribendus est enim debili organismo famulae.

336. b) Si famula saepius talia damna causavit, debuit ei alium laborem assignare vel, si id impossibile est, dimittere utpote ineptam ad famulatum; si longiore servitii tempore aliquando ei id contingit, violavit herus iustitiam et tenetur omnia damna ex dimissione provenientia resarcire, i. e. sustentationem dare pro tempore prouti lex decernit aut donec alium famulatum invenerit. Si statim invenit aliud servitium, nullum damnum passa est, ergo Henricus ad nihil tenetur. Pro furto famulum absque mora dimittere omnia iura permittunt.

HERUS. (137)

a) Josephus dicit, non pertinere ad se invigilare famulis, num sacrum frequentent, orent aut quae loquantur; quilibet enim, ait, pro se respondere debet.

b) Non vult dimittere Annam ancillam, quae matrem suam aegrotam curare desiderat, quia ipse aegrotus est; denique confitendo adulterium cum Anna patratum, non adiunxit circumstantiam famulatus.

Solutio.

337. a) Si agitur de famulis aulicis, qui separatim vivunt, nexus herum inter et famulos est laxior, ideoque tantum ex charitate ad summum sub levi tenentur heri ad eorum correctionem

et curam spiritualem gerendam. Famuli vero sub eodem tecto habitantes strictius connectuntur cum hero, ideo facilius urgebit praeceptum correctionis fraternae ex communi charitatis obligatione, non ex alia speciali virtute; obligatio vero haec non urget cum magno incommodo, cum, praesertim in urbibus, famuli abiudicant heris ius curae spiritualis et in genere novissimis temporibus mutuae relationes in societate herili magnopere relaxatae sunt; saepe sufficit, si herus tempus liberum pro exercitiis religionis concedit. (Génicot, I. 356, 4). Maxime laudanda est praxis, qua herus cum famulis una orat, nulla tamen adest obligatio. Ex dictis patet, Josephum nimis laxè sentire, attamen in genere non esse reum gravis peccati, nisi certo sciverit, se admonitione potuisse impedire famuli corruptionem.

338. b) Concurrentibus officiis erga matrem et herum, praefenda est mater, quae vitam dedit; ideo peccat Josephus, si non vult dimittere famulam in casu, quo mater omni subsidio destitueretur; etiam lex positiva (l. c. §. 30) iura matris tuetur. Quia herus nullam habet specialem obligationem erga animam famulae, nullam novam speciem peccati fornicationi addidit, quando rem turpem cum ea habuit. Confessario tamen necessarium est scire etiam hanc circumstantiam ob directionem, ut cognoscat nempe occasionem proximam peccati; propterea officium poenitentis est interroganti confessario rem confiteri.

DISCIPULUS. (138)

Alexander, 15 annorum discipulus, confitetur, se sero vespere in taberna plura pocula cerevisiae hausisse idque contra leges scholasticas, quibus severe prohibitum est discipulis vespertino tempore cauponas visitare. Se alios rogasse, ut sibi in aures insusurarent, cum in schola magistro responsa daret; se versionem in schedula scriptam libro furtive superposuisse, quando Iliadem iussu magistri vertebat; se elaborata scripturistica ab aliis transscripsisse; cum a professore increparetur ob confabulationes tempore praelectionis, se in faciem ei restitisse et rixatum esse; se punitum denique magistro coram maledixisse

et postea clam subsannavisse; se per plures dies scholam non frequentasse. Quaeritur, quomodo in singulis peccaverit?

Solutio.

339. Etsi specialiter nullum Alexandro periculum proximum immineret ex visitatione tabernae, tamen deliquit contra leges scholares et coram Deo. Omnibus enim fatentibus, illa praescripta scholaria, quibus discipuli a gravi morum corruptela arcantur, obligant in conscientia.—Insusurrare alteri responsum, schedula furtive imposita magistrum decipere, elaboratum ab alio transscribere, haec et aliae eius speciei discipulorum artes sunt deceptiones peccaminosae. Peccata vero haec, si singulatim considerantur, venialem culpam non excedunt, nisi confluant in unum peccatum gravis negligentiae, quod eveniet; si discipulus nullum progressum facit et semestralis censura mala ei imminet. Propterea interrogari debet explicite de censura.

Confabulari, non attendere tempore praelectionum, in quantum legibus scholaribus id adversatur et ordinem non turbat, non potest pro peccato reputari; si vero id coniunctum esset cum perturbatione ordinis et praesertim si per hoc notabiliter impediretur ipse et eius collegae in acquisitione scientiae, esset veniale.

Rixa cum magistro si altercationis ordinariae limites non transcendit, vulgo pro veniali habetur; graviter vero peccaminosa est, si honor magistri graviter laeditur, ut vgr. conviciis, maledictionibus in faciem prolatis. Irrisiones clandestinae levitati iuvenum ut venialiter peccaminosae adscribuntur. Imprecationes contra magistros prolatae originem habent in commoto animo ideoque ordinarie venialiter malae praesumuntur ob actus imperfectionem; praesumptio tamen veritati cedit, praesertim si agitur de discipulis provectionis aetatis et maturi iudicii capacibus. Omissio praelectionum, ubi frequentatio rigorose expostulatur, ut in scholis mediis, si notabilis est, pro gravi negligentia iuste habetur. Pro notabili reputari potest absentia 8 dierum, etenim secundum nostras leges dimitti potest discipulus, qui per hoc tempus absentiam non iustificat; dimissio autem est certe gravis res.

MAGISTRI HAERETICI. (139)

a) Carolina pro filiis suis magistram extraneam conducit linguae gallicae gratia; cum haec domum venerit, comperit, eam sectae calvinianae adscriptam esse; haesitat mater contristata et nescit, quid sibi faciendum sit.

b) Joannes ob linguam germanicam addiscendam mittit puerum suum in scholam lutheranam.

c) Paschalis, magister, pro pecunia corrigit discipulo censuram ex mala bonam; alteri vero, quia cum eius patre multas relationes habet, uno gradu meliorem supra merita dat.

Solutio.

340. a) Quoniam a magistra vel invigilatrice acatholica etiam positive non corrumpente imminet periculum indifferentismi pro parvulis, ideo per se graviter peccaret catholicus, qui talem magistram scienter conduceret. Non sufficit enim, si parentes infantibus non nocent, nam positive adlaborare debent, ut instructionem religiosam parvuli habeant et in communia exercitia vitae christianae introducantur. In quibusdam adiunctis posset permitti Carolinae, ut ad tempus retineat talem invigilatricem et quidem, si aliam facile habere non posset, si mater quoque prole sua multum occuparetur; in omni casu debet Carolina vetare magistram aliquid de religione cum parvulis loqui.

341. b) Si adest catholica schola in loco, peccat graviter pater et absolvi non potest; ratio enim addiscendae linguae germanicae non sufficit, ut animam pueri proximo periculo amittendae fidei exponat, linguam enim alio modo addiscere potest. Si omnino deest alia schola, quia vgr. in regione protestantica habitat, non peccat pater, qui mittit filium in talem scholam, modo adhibeantur cautelae necessariae ad periculum perversionis removendum, puta, si pater domi instruat parvulum in religione, si errores protestantismi refutet. Etiam tunc si perversionis periculum adesset proximum i. e. si magister traheret discipulos ad lutheranismum et quaedam defectiones ab Ecclesia iam adessent, absolute illicitum esset talem scholam adire.

342. c) In primo casu absque dubio graviter peccavit magister acceptione personarum et scandalo, saltem si agitur de

scholis mediis; condiscipuli enim in his casibus facile suspicantur pecuniariam corruptionem et videntes magistrum a iustitiae tramite discedentem, labefactantur in suis persuasionibus de necessitate huius virtutis. In altero casu peccatum non censetur grave ob materiae parvitatem.

ELECTIONES. (140)

a) Casimirus electiones ad comitia regni nihil curat, vilipendit enim omnem autonomiam.

b) Thomas in electionibus ad comitia regni iubetur a Martino, a quo laborem saepissime obtinet, suffragium pro socialista dare; lucri cessationem timens, obsequitur Thomas, etsi principia socialismi interne reprobet.

c) A Michaële, qui sedile in consilio municipali ambibat, 25 coronas obtinuit pro suffragio in eius favorem ferendo; pecuniam abscondit, nihil gratis in mundo dari cogitans.

d) A Valentino invitatus est ad epulas; cum ultimum ferculum apponeretur, sermonem miscet Valentinus de futura electione ad provinciae comitia rogatque convivas, ut ei faveant. Promittunt libentissime; ast cum secreto darentur suffragia, Thomas votum alii candidato dedit. Electione finita Valentinus, victor, iterum convivium instituit pro suis electoribus. Apparet etiam Thomas, cerevisiae amator. Quomodo in singulis casibus praxis eius aestimanda est?

Solutio.

343. a) Cives secundum probabiliorem opinionem tenentur sub peccato ad usum iuris suffragii ex iustitia legali i. e. ex cura boni communis, quae cuilibet civi incumbit, quando eorum suffragium est necessarium vel utile ad promovendum bonum vel avertendum malum commune. Abstinencia Casimiri a suffragatione non est peccaminosa, si suffragio suo neque nocere neque prodesse potest i. e. si certa est electio digni aut indigni. Peccat vero, si per suam abstinentiam causavit electionem indigni, vgr. socialistae, quod contingit tunc, si auctoritate et exemplo suo etiam alios ad abstinentiam moveret, ita ut ipsi minoritas voto-

rum aliquo modo imputanda esset. Qua elector gregarius vix unquam graviter peccabit per abstinentiam, quia differentia votorum vulgo maior est, quam ut unum suffragium decisivum valorem habeat, nisi in aliquo casu particulari cum maxima probabilitate contrarium praevideatur.

344. b) Si secreta dantur suffragia, facile difficultatem evitabit, nam promissione utpote ad rem illicitam data non tenetur et potest secundum suam conscientiam suffragari. Si vero voce dantur suffragia, liberatur a peccato, si notabile damnum timet, vgr. dimissionem, laboris repulsam etc., aliquo tamen modo ad scandalum vitandum declarare debet, se ex necessitate agere. His suppositis puto, Thomam a peccato saltem gravi esse immunem.

345. c) Comitia municipalia fere exclusive res oeconomicas tractant ideoque mitius sunt iudicandae praevaricationes in electionibus ad eadem. Si Thomas pecuniam accepit, non tenetur eam restituere, quia aut pro electione indigni aut digni dati sunt ei nummi; in priori casu innititur resolutio principiis de contractu circa rem turpem; in posteriore casu favet ei haec circumstantia, quod non obligabatur ex iustitia commutativa ad suffragium ferendum, nam haec tantum iustitia non patitur mercedem.

346. d) Priores epulae ad nihil eum stricte obligabant, nisi promissionem dederit; decebat tantum non participare in epulis, si domino non favebat. Certe vox interna exprobrans ei defectum sinceritatis, amaritudinem admiscuit epulis posterioribus, vox haec testimonium ei reddit peccati commissi; a restitutione tamen electus eum liberare praesumitur.

ELECTIONES. (141)

a) Jacobus candidato a liberalium castris et ephemeridibus contra catholicum candidatum commendato suffragium dat, quia, ait, homo peritus est et catholicismus ad rem politicam nihil spectat.

b) Joannes candidato perversae factionis popularis democratico-liberalis, quae decem membra in comitiis regni numerat,

suffragium dat, non quidem ex intima persuasione, sed unice quia rogabatur. Quaeritur, an peccaverint praedicti electores?

Solutio.

347. a) Ecce ipse Jacobus liberalismo infectus est, cum intendat restringere influxum Ecclesiae in vitam publicam et socialem ac si »optima societatis publicae ratio requirat, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu« (*Quanta cura*). In casu proposito non peccaret suffragio suo, si ageretur de peiore candidato vincendo aut si tantum oeconomica negotia in comitiis discuterentur; id tamen posterius nemo praevidere potest, ideo peccatum cooperationis et scandali Jacobus non effugit. Nihilominus puto etiam in eo casu electorem ab omni peccato esse immunem, si ageretur de eligendo viro in rebus oeconomicis aut scientificis peritissimo, a quo multa exspectare licet, etsi liberalia placita in negotiis politicis et religiosis profiteatur. Ratio haec me convincit, quod ex iusta causa licet permittere malum; electores in hoc casu moverentur rationibus oeconomicis et permetterent nocivum eius influxum in aliis negotiis. »Prudentis confessarii erit sanam doctrinam magna benignitate condire neque gravis obligationis mentionem iniicere, si cernit hominem, in ceteris officiis suis fidelem, ad capiendam veritatem non assurgere« (*Génicot, Cas. pg. 143*).

348. b) Factio decem deputatorum in comitiis legislativis ordinarie non multum valet ideoque cooperatio Joannis per suffragium non erit per se graviter peccaminosa. Alia tamen mala timenda; deputatis occasio praebetur in conventibus electorum, quos vulgo instituunt, et in colloquiis privatis principia sua cum quadam auctoritate diffundendi; ex hoc capite, puto, grave esse peccatum efficaciter concurrere ad eligendum candidatum, qui in comitiis quidem non obest, in sua tamen regione magnopere nocere potest. Dixi »efficaciter« quia saltem ratione cooperationis non graviter delinquant, quorum suffragium non erat necessarium ad deputatum eligendum, quia hic numerum votorum necessarium iam obtinuit vel certe obtenturus erat. Potest tamen esse peccatum scandali.

PRAECEPTUM DIVINUM V.

SUICIDIUM. (142)

a) Eugenius in quinta condignatione habitat; dum nocte alto consopitur somno, exsuscitatur tubae sono ignem anuntiante; vult aufugere per scalas sed ignis obstat; revertitur in cubile, voraces flammae iam eum lambunt; ne earum praeda evadat, prosilit de fenestra in plateam cum evidenti mortis periculo et perit.

b) Gregorius, ad carcerem perpetuum condemnatus, ut libertatem recuperaret, terebrato muro, dimittebat se fune, qui ne medietatem quidem altitudinis aequabat, inde in terram prosiliturus. Ast infelix admodum successit eventus. Vix enim funem cratibus ferreis affixum apprehendit, hic ruptus est et Gregorius cervicem sibi fregit (Gury, Cas. I. n. 376). Quaeritur, num isti viri suicidii rei sint?

c) Anna, virgo pia, cum die quodam a milite ad luxuriam cogeretur nec periculum ullo modo evadere posset, sic lascivum hominem affata est: »Si mihi peperceris, docebo te artem, vi cuius in bello laedi non poteris unquam. En ego hoc unguento ungo collum meum; tu stringe gladium, percute collum et certum artis meae habebis experimentum«. Miles curiositate et rei novitate captus, rem ocius experitur et uno ictu amputavit caput Annae, quae hac industria a summo periculo amittendae virginittis erepta est. (Gury, Cas. consc. I. 383).

Solutio.

348. a), b) In utroque casu suicidium erat indirectum; Eugenius intendebat effugere æcerbiorem mortem in flammis, Gregorius perpetuum carcerem; neuter desiderabat mortem formaliter sed eam ex gravissima causa permisit; proinde neuter peccavit.

349. c) »Anna peccavit per se loquendo, i. e. secluso casu coelestis inspirationis vel bonae fidei. Ratio est, quia isto modo

occisionem sui directe procuravit vel eidem directe cooperata est. Nunquam autem licet mortem sibi directe inferre vel modo directo morti suae cooperari. Stante autem casu, ut iacet, per accidens Anna ob omni peccato excusanda est; quia optima fide ex amore castitatis processisse videtur». (ibidem).

HOMICIDIUM. (143)

a) Rudolphus miles, excubias agens, cum viro appropinquanti acclamasset nec responsum accepisset, directo in eum sclopeto ita globulo feriit, ut vulneratus mox decesserit.

b) Alexander, vectigalium custos, videt hominem mercibus vectigali obnoxiiis onustum latenter limites transgredi; acclamat, ut gressum sistat, sed frustra; denique fugientem occidit.

c) Hermina audit, maritum suum cum privigno secreto colloquentem et mortem sibi machinantem. Cum vidisset, maritum determinato die globulos pro sclopeto repetitorio emisit et mussitantem deambulare, nullum dubium ei restitit de morte sibi imminente. Ut insidias evaderet, venenum ferculo in coena miscuit ac utrumque vita privavit. Quid de istis casibus ethica?

Solutio.

350. a) Militi excubias agenti non licet occidere transeuntes, etsi tesseram (hasło, Losungswort) non dent; eius enim est impedire, ne extranei malo consilio ingrediantur locum, quem custodit. Si hi admoniti contumaciter progrediuntur, debet eos prohibere et in casu necessitatis etiam sclopetum explodere, semper tamen cum observatione moderaminis. In casu narrato miles non observavit suas instructiones, ideo homicidium ei imputari debet.

351. b) Custodibus vectigalium competit quoque ius ferendi sclopeto, quando defraudatores moniti gressum non sistunt; ast etiam eis licitum non est maius malum inferre, quam necessitas expostulat, ut fugam impedian; si praeter intentionem occidunt, homicidium pro casuali habetur. Ne dicas, hic agi de re minoris momenti, quia lex id permittit ad damna graviora praecavenda et auctoritatem custodum conservandam. Sibi itaque

vulnerationem quisque aut mortem adscribere debet. Ex dictis elucet quoque, curnam ex professo defraudantes vectigalia graviter peccent, ratione nempe periculi, cui se exponunt, amittendae vitae.

352. c) Lugo (De iust. D. 10. n. 157), qui provocat ad exemplum belligerantium solvit casum his verbis: »si aggressor, iam praeparavit arma vel quid aliud fecit ad exsequendum decretum te occidendi, iam incoepit te invadere« et licitum est cum occidere, si alio modo insidias evadere non potes; imo (n. 159) declarat, id licere, si quis solum decretum occidendi ab alio conceptum comperiret et mortem alio modo evitare non posset. Lugoni contradicit Lehmkühl (Cas. I. n. 517). Puto Lugonis sententiam valere in theoria et in aliquo casu extraordinario; tunc, si quid eiusmodi accidit, Deus inspirat cogitationem et ipse est qui casum diiudicat. In ordinario rerum cursu mulier potest alio modo sibi subvenire, vgr. domo aufugere vel rem magistratui deferre, ita ut non moderaretur suam tutelam, si venenum immiscuisset.

HOMICIDIUM. (144)

a) Venceslaus, parochus, noctu a duobus latronibus larvatis expergefactus iubetur quidquid habeat pecuniae et pretiosi supellectilis ostendere. Paruit tremebundus parochus. Verum cum iam praeda onusti abirent latrones, parochus sclopetum, quem semper paratum habebat, per fenestram in eos explosit et magna voce vicinos inclamare coepit. Hi cum venissent, invenerunt unum latronum occisum, magnamque praedae partem gratulantes retulerunt parocho. Is tamen angi coepit, veritus, ne hominem sine necessitate occidisset. (Ex Génicot, Cas. I. tr. VI. c. 2, Cas. 4).

b) Joannes, nocte evigilans, audit non procul a se strepitum ex altero cubiculo. Surgit, arripit arma, dirigit sclopetum in eum locum unde strepitum percipit, ferit—accenso lumine invenit furem occisum cum aliquot panibus fugitum.

c) Hugo, militiae praefectus, impetitur ab homine ebrio et in furorem acto. Adversarium imperturbatus districto ense ex-

spectat, eumque, cum nollet desistere, confodit (Lehmkuhl, Cas. n. 150). Quaeritur, an in casibus allatis licitum fuerit hominem occidere?

d) Vincentius tectum suae domus, populosae plateae adiacentis, reparabat, ast perticis ante domum positis (ut volunt praescripta policiae et consuetudo) homines ad suum laborem attentos non reddidit. Ecce inopinato casu securis de tecto cecidit et hominem transeuntem occidit. An imputari ei debeat occisio?

Solutio.

353. a) Anxietatem omnem deponat parochus, furem enim occidit ad recuperanda bona fortunae magni momenti, quae aliter recuperari non poterant; intentionem tamen dirigere nullo modo potuit ad furem occidendum, sed tantum ad eum in fuga impediendum. Quia non peccavit, irregularitatem non contraxit.

354. b) Joannes non est moderatus suam tutelam; vulgo talis strepitus furem non latronem prodit; iam vero ad furem deterrendum sufficit lumen accendere aut saltem magna voce interrogare, quis sit! et minari sclopeti explosionem. Solummodo si ageretur de aliqua regione barbara, ubi fures latronum more domos invadunt, liceret ei post primam interrogationem ferire.

355. c) Si homo sui compos militem, saltem superioris ordinis, impetit, hunc ad fugam non teneri, communiter censetur. Verum si agitur de ebrio et amente, vulneratio saltem lethalis illicita erit; nam nemini indecorum est ebrium vel amentem evitare et dein non est difficile hominem non sui compotem deterrere vulnere etiam non lethali aut sola percussione, nisi contrarium constet. Quapropter Hugo moderamen inculpatae tutelae non servasse censendus est.

356. d) In foro externo certe punietur Vincentius ob culpam saltem iuridicam; in foro interno imputatio dependet ab eo, utrum ex levitate an ex perfecta oblivione perticis viam occludere omiserit. In posteriori tantum casu ab homicidii reatu immunis censi debet non in priori. Facile enim quilibet sane mente gaudens ex haec omissione infortunium praevidet et cuilibet aliqua cogitatio de tali periculo in mentem venit.

HOMICIDIUM. MUTILATIO. (145)

a) Helena, infelix ob discordias continuas cum marito ebrietati dedito, saepe optat sibi mortem ac demum gravi morbo decumbens existimat, iam sibi oblatam esse occasionem se liberandi a suis miseriis: respuit omnem medicinam; mox vires eius exhauriuntur, advocatur confessarius; hic eam adhortatur proponendo et mortis periculum et miseram prolis sortem. Incassum laboravit et propterea eam absolvere detrectat.

b) Michaël, sacerdos, in media missa in terram corruit; domum asportatur; medicus citatus declarat, Michaëlis cor aliquo defectu laborare ipsumque a tabaco fumigando et cafeo sumendo absolute abstinere debere. Promittit Michaël, sed cum iam habitum fumigandi contraxerit, sentit capitis dolorem et nervorum depressionem, quae molestiae eum ad officia adimplenda ineptum reddunt. Inter malleum et cuspidem positus, nescit, quid sibi faciendum sit.

c) Franciscus a militia abhorrens, potum aliquem sumpsit, qua icterum (żółtaczką, Gelbsucht) artificiali modo in se produxit et, mendaciis additis, ab onere militandi sese exemit. Altera vice digitum sibi amputavit et, etsi non omnino incolumis, tamen castra evasit.

Solutio.

357. a) Helena non peccavit ex hoc capite, quod mortem sibi optabat ob vitam vere amaram cuius finem a Deo exspectabat. Sic enim sibi optare mortem significat velle, ut Deus vitam abrumpat, cum eius conservatio magnopere molesta apparet; id vero peccaminosum non est, modo nihil positive suscipiatur et animus Dei ordinationi subiiciatur. Obiective peccavit graviter respuendo medicamenta ordinaria, quia quilibet tenetur media ordinaria et necessaria adhibere, ut officia adimpleat; in casu proposito tale officium Helenae est: vitam custodire; medium ordinarium: medicamenta sumere. Quis tamen profunditatem exacerbationum mensurabit earumque influxum in voluntatem feminae infelicis eiusque cogitandi modum investigabit! Si mulier morti proxima est et nullus fructus ex admonitione speratur, in bona fide relinqui debet et absolvi. (Elbel IV. 21).

358. b) Agitur de morbo gravi, qui mortem causare potest, ideoque serio medici consilio sub gravi obtemperandum est. Lucta, quam quilibet fumigationi assuefactus sustinere debet, ut se ab hoc iugo liberet, molesta est; molestia tamen haec non est tam extraordinaria, ut possit excusare a peccato eum, qui gravem morbum aut mortem in sua ignavia eidem praeferret. Idem dic de cafeo. Mitius dicendum esset, si non ageretur de morbo gravi et mortis periculo proximo aut si medici in praescribendis medicamentis non essent concordēs. Neque statim gravis peccati arguerem Michaëlem pro una alterave cigarette vel paucis scyphis cafei, nam narcotica habitualiter tantum hausta graviter nocent.

359. c) Si Franciscus ex experientia aliorum vel medici testimonio scit, morbo huic facile mederi neque eum tristes pro tempore futuro relinquere sequelas, peccatum eius grave non est ratione nocumenti valetudini illati. Abscissio autem digiti, quae ineptum ad militandum reddit, a gravi reatu immunis non est, quia digitus ut membrum corporis humani gravem valorem habet. Adde, quod iudicia militaria tales ignavos acriter puniunt et militiae adscribunt.

DUELLUM. (146)

a) Duo praepositi militares rixantur; calidus sanguis perducit Joannem ad alapam infligendam Hectori coram pluribus personis. Hector pari cum dexteritate argumentum retorsit. Crescebat procella, cum ab aliis spectatoribus duo certantes divulsi sunt. Ut autem honori militari et vindictae cupiditati satisfacerent, statim in duello congressi sunt, electis patrinis, loco et armis designatis. Quaestio occurrit de peccato et excommunicatione.

b) Dionisius, ephemeridum scriptor, a Juliano, quem non levibus contumeliis laceraverat, in duellum provocatus est. Noverat tamen, Julianum ab amicis ad hoc fuisse coactum et tantum exteriorem apparatus velle. Accepit igitur forti animo non periculosum certamen, conniventibus testibus, quibus haec intentio nota erat. Congrediuntur, leges duelli ad amussim ser-

vant, sed in aërem explodunt. Heroica pugna in diariis urbi et orbi anuntiatur et Julianus reparato honore gaudet.

c) Duo iuvenes puellam expetentes ita paciscuntur: ambo unam ducere et proinde ambo vivere non possumus, duellum americanum decadat, quem Orcus deglutire debeat: sorte designatus venenum bibet. Dictum factum; remansit unus, num ideo ut censurae onus in se sentiat?

d) Franciscus confitetur, se furem deprehensum baculo percussisse et dimisisse; se famulum et fratrem natu minorem verberasse.

Solutio.

360. a) Juxta plures non peccavit Hector, si stante pede alapam retorsit, quia id honoris reparatio expostulabat, alioquin pro ignavo haberetur. Hanc sententiam post antiquos (vide apud Lessium) tuentur ex modernis Génicot, Cas. tr. VI; Noldin⁵ 327, contra s. Alphonsum et alios, qui in retorsione talis argumenti vindictam privatam et rem periculosam vident. Puto, etiam supposita posteriore sententia in praxi raro id graviter peccaminosum esse ob actus imperfectionem ex animo vehementer commoto, cum ipse instinctus naturalis ad id hominem impellat. Milites isti armis congregantes certe graviter peccaverunt; num excommunicationem incurrerint ob duellum? Difficultatem facere videtur haec circumstantia, quod ex eodem impetu irae quodammodo continuasse videntur eandem rixam. Attamen haec circumstantia non obstat, nam post interruptionem ipsa duelli pugna exarsit et ceterae leges duelli essentielles servatae sunt: patrini electi, arma condita, locus designatus.

361. b) Illicite agunt ambo non quidem contra V. decalogi praeceptum sed contra charitatem et bonum commune scandalo delinquant. Non effugiunt peccatum sed tantum excommunicationem, quae lata est in serio duellantes.

362. c) Ambo peccasse, est luce clarius, tamen superstes non incurrunt excommunicationem in duellantes statutam, quia lex poenalis, utpote strictae interpretationis, non tangit nisi perpetrantes duellum armis periculosus. Sic dictum »duellum americanum« praeter nomen nihil cum vero duello commune habet; est potius suicidium sorte designati.

363. d) Quoad furem verberatio est per se illicita, privata enim auctoritate alios punire nefas est; tamen Franciscus excusatur a peccato tum ideo, quia quilibet fur praefert privatim puniri quam ad iudicem citari, tum quia punitio vulgo ex primo impetu irae provenit; addi debet, quod verberatio non potest esse coniuncta cum aliqua vulneratione aut gravis morbi periculo. Famulum moderate castigare lex naturalis et positiva permittit. Fratrem natu minorem potest percutere alter frater tantum ex praesumpta patris licentia, quando inter fratres maius discrimen aetatis intercedit. Ratio limitationis est, quia tunc tantum verberatio rectae correptionis indolem et fructum habere potest.

ABORTUS. (147)

a) Margaretha, rustica, confitetur, se abortum foetus causasse per hoc, quod sarcinam lignorum domum ferebat.

b) Stephaniae, ut morbo medeatur, balnea calida praescribit medicus et aperte dicit, abortum certe secuturum esse. Stephaniana petit, an liceat ei balnea sumere?

c) Parochus accersitur ad Sophiam parientem. Ob pelvim arctam absolute vult medicus compresso capite infantis matrem salvare. Narrat haec Sophia in confessione, parochus vero, videns casum craniotomiae toties vetitae, sub poena absolutionis denegandae prohibet ei huic operationi se subiicere. Quid ad casum?

Solutio.

364. a) Confessarius attentas reddat praegnantem mulieres, eas ob abortus periculum debere cavere ob oneribus gravibus portandis et praeterea in casu abortus, praesertim inopinati, eas obligatas esse foetum sub conditione baptizare. Imputatio in casu particulari dependet a praevisione abortus futuri. Si mulier, sarcinam dorso imponens, cum aliqua probabilitate iudicavit (aut graviter timuit) abortum secuturum esse, imputatur ei hoc malum, praesertim si talem tristem eventum iam antea experta est. Si periculum non praevidit, abortus casui non autem mae eius voluntati adscribendus est.

365. b) Omnino tranquille potest uti balneis, si haec ad gravem morbum curandum necessaria sunt; non enim intendit abortum sed eum permittit ex gravi causa. Admoneatur a sacerdote de baptismo sub conditione conferendo.

366. c) Obiective loquendo non potest absolvi mulier permittens in se craniotomiam vel directam abortus procurationem; in his enim casibus directe occiditur innocens. Attamen in praxi, cum ex una parte matres doloribus opprimuntur et atra mortis umbra eas terret, ex altera vero medici valetudinem et vitam promittunt, non mirandum, si matres bona fide in craniotomiam consentiant et rarissime fructus ex admonitione sperari possit. Dissimulet sacerdos rem et in spem matrem miseram erigat, neque his negotiis multum se immisceat. Si tamen de licetate craniotomiae explicite a dubitante sacerdos interrogatur, doctrinam catholicam dissimulare non potest. Curet, ut baptismus (non ab eo) sed ab obstetrice conferatur in utero materno (cf. Antonelli, Med. pastor. I. n. 443).

ABORTUS. (148)

Ad graviter aegrotam Joannam accersitur medicus et unicum remedium ad eam salvandam videt in abortu. Consentiant et mulier et eius maritus; medicus praescribit pharmacum, famulus mittitur in apothecam, pharmacopola conficit medicamentum, adiuvante puella cubicularia mulier sumit pharmacum, effectus sequitur. Quaeritur, quisnam excommunicationem incurrat?

Solutio.

367. Tanta est theologorum discrepantia in explicanda excommunicatione lata in abortum procurantes, ut quilibet, legens commentarios, tentetur dicere, vix aliquando eam incurri.

Certum est et ab omnibus admissum, cooperantes non comprehendi hac censura. Itaque in casu proposito immunes sunt ab excommunicatione et famulus, apportans pharmacum et pharmacopola et maritus.—Agitur de muliere et medico. Nota est quaestio, mulierem olim non fuisse comprehensam censura et nunc non obstantibus claris verbis bullae Ap. Sed. multi eam

comprehendere nolunt. Quidquid sit in theoria, in praxi ob theologorum dissensum et carentiam auctoritativae definitionis censendum est, mulierem excommunicatione non comprehendere. Medicus veniret nomine consulenti, si tantum generale consilium daret; cum vero et consilium det et distincte praescribat medium eiiciendi foetum, nescio, quomodo nomine »procurantis« non intellegatur. Prouti vgr. si ab eo praescriptum remedium nocuit matri, dicitur medicus nocuisse; si profuit, dicunt, eum sanasse matrem; ita etiam abortum procurasse dicendus est, si pharmacum praescripsit. Puella porrigens pharmacum, non suo sed mulieris nomine agit, itaque non procurat.

PRAECEPTUM DIVINUM VI.

DELECTATIO. (149)

a) Joannes magnopere diligit filiam suam, non tam ob animi dotes, quam ob venustam faciem et oculos pulchros; arripit eam super genua et presse osculatur, non sine commotione carnali.

b) Paulus, iuvenis 18 annorum, cum diligentia re graviore digna deambulat hora statuta in platea, qua discipulae et schola domos redeunt. Aspicit earum facies, oculos, crines, figuram; aliam admiratur, alii displicentiam suam manifestat; puellis id placet, subrident et omnia optime procederent, nisi magister eum deprehenderit et punierit. Praeter magistrum vidit hoc Deus; quomodo coram Deo Paulus reus sit, quaeritur?

c) Petrus, Parisiis et Vindobonae pinacothecas visitans, imagines sine delectu, prouti appensae sunt, aspicit; contemplatur et imagines et statuas mulierum nudas; aspectus hi eum excitant, omnem tamen motum comprimit et phantasmata, quae imaginatio reprodicit, removere conatur. Quid ad praxim hanc?

Solutio.

368. a) Joannes ob sensibilem (non veneream) delectationem filiam suam osculatur. Num peccaverit? Etsi carnalem commotionem sentiat, peccati gravis nemo eum arguet, nam ideo, quia et pater et coniugatus est, pro eo remotum est periculum consentiendi in illicitam veneream delectationem. Imo si ad ostendendam benevolentiam id faceret, non peccaret, etsi commotio carnalis amplexus comitaretur, quia patriae morem sequeretur (Alph. IV, 417). Attamen peccat venialiter, si ex sensuali affectu id faciat, i.e. ob amoenitatem, quam ei eiusmodi amplexus pulchrae filiae pariunt (ib. 418).—Hoc ultimum in casu proposito accidere videtur. Eiusmodi blanditiae interdicendae ei sunt etiam ex hac causa, ne filiam ad libidinem excitet.

369. b) Per se nugae sunt et ioci, quae tales iuvenes ex levitate faciunt, sed nugae magnopere periculosae et ioci saepe gravis depravationis signa aut initia. Delectationes enim sensibiles quaerunt, »pulchrum in natura admirantur«, quod per se non esset mortale, attamen in theoria tantum, quia in praxi vulgo iuvenes ulterius progrediuntur. Ideoque interrogandus est Paulus, num (commotiones carnales senserit vel potius, ut apud nos dicitur) cogitationes pravas aut graves tentationes habuerit eisque saepe consenserit. Si affirmat, quod vulgo contingit, peccavit graviter, nam directe quaerens talem delectationem, posuit causam proximam commotionis venereae et exposuit se proximo periculo consentiendi in delectationem (Cf. Alph. IV. 416; Lehmkuhl I. 861); leve esset peccatum, si impubes ex levitate talia ageret.

370. c) Pinacothecas magnarum urbium aspicere omnibus consulitur, hoc tamen negotium indispensabiliter iungitur cum aspectu picturarum, quae nudas personas repraesentant. Si visitans aesthetica studia serio prosequitur prouti, vgr. pictores, scriptores, non peccat aspiciens nudas personas depictas etiam morose (confer medicum), quia non id, quod obscoenum simpliciter, sed quomodo pictum sit, contemplatur; adderem, quod periculum commotionis carnalis et delectationis, ut puto, in hoc casu aut omnino abest aut est valde remotum. Quoad alios, qui ex curiositate ipsa pudenda personae depictae, non ceteras partes, obiter aspiciunt, venialiter peccant; qui vero morose con-

templantur et praesertim, qui exorta vehementi commotione carnali contemplari non desinunt, graviter delinquant. Ratio peccati est, quod secundum diuturnitatem et intensionem aspectus exponunt se levi aut gravi periculo consentiendi in delectationem veneream ex aspectu exorientem. Id valet obiective, per se. Si autem Petrus serio affirmat, se omnem motum et omnia phantasmata semper aut fere semper removisse, quod non tam saepe contingit, credendum ei est; neque gravis peccati arguendus. Expedit adiicere, quod in imaginibus vetustis et statuīs marmoreis partes minus honestae non tantopere excitant, ideoque earum aspectus vulgo veniale non excedit, nisi quis directe delectationem veneream quaerat. Etiam haec circumstantia non est spernenda, quod sensibilitas retunditur, quando plures et pluries pinacothecae visitantur. Per se patet, si Petrus imagines aspiceret expresse, ut amoenitatem veneream sentiret, haberetur luxuria directa in quolibet aspectu.

LUXURIA IMPERFECTA. (150)

a) Cornelius, iuvenis, deambulans aspicit puellas messe occupatas et sentit commotionem carnalem; non censentit quidem in eam, attamen ab aspectu non abstinet.

b) Saepe mane evigilans tardat surgere et plurimis impletur phantasmatibus impudicis, concomitante commotione carnali; non approbat ea neque tamen reprobatur.

c) Joanna accusat se, se impuras cogitationes fovisse; nihil amplius ab ea exigit confessarius. Alia vice dicit, se paululum cogitavisse de turpibus, sed mox repulisse cogitationem.

Solutio.

371. a) Cornelius ponit actionem superfluum, sine sufficiente causa, ex qua carnalis sequitur commotio; quia eam advertit et non abstinet ab aspectu, exponit se periculo gravioris commotionis et consentiendi in delectationem ex ea proficiscentem, ideoque graviter peccat (Alph. IV. 422).

372. b) Motibus concupiscentiae debemus resistere positive saltem per displicentiae actum; passive se habere erga eos est

per se »levis negligentia« (Lacroix l. V. n. 11); in iuvenibus et iis, qui dediti sunt vitio luxuriae, erit grave ob proximum periculum consentiendi in turpem delectationem; si vero positive constat de aliquo, eius voluntatem in his circumstantiis vulgo non rapi in consensum in rem turpem, non potest talis homo gravis peccati argui. Cornelius diiudicandus est secundum moralem statum suae animae.

373. c) Nomine cogitationum impudicarum veniunt plura peccata et quidem: 1) delectatio morosa i. e. complacentia voluntatis in phantasmate venereo; 2) cogitatio theoretica de re turpi, vgr. si quis considerat mente actum generationis, copulae etc., haec est peccaminosa ratione periculi excitandi venerem et consentiendi in delectationem; 3) desiderium inefficax luxuriose peccandi; si occasionem haberem, peccarem; 4) desiderium efficax seu propositum peccandi. Peccata ista specie distinguuntur et stricte loquendo debent etiam in confessione specificari. Quisnam vero praeter hominem in theologia versatum has distinctiones noverit? Adde, quod peccatum incipit a cogitatione et ad desideria progreditur. Oporteret itaque poenitentes interrogationibus adiuvere. Sed materia est et difficilis et periculosa, ideo omnino sufficit, si confessarius interrogat poenitentem, praesertim adultum, primo de desideriis peccandi seu quoties habuerit voluntatem peccandi ita, ut paratus fuerit ad peccatum, postea vero »de aliis cogitationibus turpibus«, et quoties poenitens consensum praestiterit. Imo saepissime neque discrimen inter desiderium et alia peccata interna comperiet confessarius, ideo ordinarie contentus sit sacerdos accusatione generali de peccatis internis.

Quoad desideria non exquirat circumstantias mutantes species (persona nupta, consanguinea), nisi in concreto aliquem ad peccatum sollicitaverit verbis aut factis. Fideles enim ignorant, has circumstantias addere malitias specificas actibus et dein semper adest periculum excitandi libidinem et abalienandi fidelem a sacramento, si nimis interrogationibus molestaretur. Confessarius contentus esse debet in multis luxuriae casibus integritate formali.

Secundum dicta Joanna interroganda est de desideriis voluntariis et dein, quoties aliis cogitationibus impudicis consense-

rit. Forte faciliores sunt interrogationes sequenti modo propositae: num detinuerit istas cogitationes, aut num voluerit cogitare impudice.

Expressio, »se paululum cogitavisse etc.« est valde ambigua: aut denotat breve temporis intervallum, quo quis delectabatur re turpi, aut consensum imperfectum. Quoad priorem casum notum est, quod non refert quoad speciem theologicam, quamdiu quis adhaeserit peccato; posterior casus facit peccatum leve ex imperfectione actus. Si difficile est cognoscere verum rei statum, confessarius dubia relinquat Deo et diiudicet poenitentem secundum statum eius conscientiae: si non est deditus vitio luxuriae, praesumendus est non graviter peccasse.

AMORES. TACTUS. (151)

a) Adalbertus, ut amaros servitii militaris dies iucundiores reddat, cum Agatha, coqua, relationes connectit, cum ea die dominica deambulat, bibit et saltat, turpia loquitur et patrat. A confessario obiurgatus, ut hanc malam consuetudinem abrumpat, se velle Agatham in uxorem ducere, reponit. An fides eius dictis praestari debeat?

b) Valerianus, gymnasii discipulus, confitetur, se diligere puellam amore serio et epistolare commercium cum ea sustinere. Interrogatus a confessario de tentationibus, dicit, se vulgo eas repellere; addit tamen, se puellae manum saepius presse osculari et osculum oris aliquando furatum esse.

c) Gasparus, auriga, confitetur, se iocasse cum puellis; interrogatus a confessario, cuiusnam speciei ioci fuerint, reponit, se inopinate tetigisse mamillas puellarum imo etiam earum pudenda super vestes et lubricas historias narrasse, cum foenum colligerent.

Solutio.

374. a) Amores in genere non sunt permittendi »illis, qui non possunt vel nolunt nuptias celebrare intra tempus rationale, quod scilicet arbitrio prudentum iuxta timoratorum praxim determinatur« (Marc, I. n. 826). Tales non praesumuntur mili-

tes amoribus dediti, ergo non possunt absolvi, nisi serio promittant emendationem et commercii abruptioem. Praestat statim prima vice differre eis absolutionem, si facultatem mox redeundi ad confessionem habere sperant, secus si emendationem promittunt, absolvendi sunt conditionate aut absolute, prouti sacerdoti de eorum dispositione persuasum est.

375. b) Amores discipulorum mediae scholae sunt et pro studiis et pro salute animae magnopere nocivi nec serii esse censentur; ideo et sub gravi ordinarie interdici debent et urgendum est, ut omne commercium abruptatur. Praesumptio tamen cedit veritati: in hoc nempe casu ordinarie iuvenes rem serio tractare censentur, quando cum permissu parentum suorum aut puellae id faciunt.—Oscula furtiva sunt venialia peccata; oscula manuum ex more patriae fiunt, ideoque non sunt peccaminosa. Si presse dantur, tunc distinguendum est: aut fiunt ad ostendendum affectum serium, tunc nullum involvunt peccatum, supposito, quod amores sunt liciti; aut ex libidinoso proveniunt corde, quod raro contingit, tunc a gravi peccato immunia esse non possunt.

376. c) Quoad mamillarum compressiones et oscula distinguendum est inter homines rudes et excultos; priores minus excitantur talibus iocis, imo etiam tunc, cum pudenda super vestes obiter contrectant, nullas commotiones carnis patiuntur, peccant tamen venialiter; per se patet, peccatum grave committi, si compressiones sunt diuturnae et cum gravi commotione carnali coniunctae; exculti vero facilius excitantur et dum partes etiam »minus honestas« ut brachia, crura tangunt, ex venereo affectu id faciunt, ideo graviter peccant.

Etiam non nimis rigore aestimandae sunt narrationes, quas operarii proferunt, dum in agris laborant, »quia ludrice (ob vanum solatium) audiuntur et dicuntur« (Alph. IV. 426). Si ex tenore confessionis cognosci non potest, interrogandus est Gasparus de intentione, num voluerit verbis seducere puellas, et num valde turpia narraverit; si utrumque negaverit, praesumendum est, eum ioci gratia narrasse et proinde venialiter peccasse. Tota enim ratio peccati in luxuria indirecta consistit in eo, quod aliquis actus plus vel minus movet (spectatis circumstantiis) ad venereas res et periculum involvit consentiendi in delectationem

involutam in commotione. Apud operarios vulgo in his circumstantiis non oritur commotio talis, quae pariat periculum proximum consentiendi seu in quam ordinarie consenserint; ratio est, quia labore defatigantur. Nihilominus increpandus est Gasparus ob suos iocos, quia et ei et aliis periculosi sunt.

LUXURIA INDIRECTA. (152)

a) Angela narrat, se in ludo participasse, in quo pro pigro redimendo iussa est osculari iuvenem et ab eo osculum accipere. Quaerit, num iterum huiusmodi ludo vacare possit? (Elbel, p. IV. 200).

b) Aurelius, iurisprudentiae studens, quandoque librum de physiologia tractantem a Paulo, medicinae studioso, mutuum accepit, ut ex eo disceret, quae ad humanam generationem morbosque venereos pertinent. Interrogatus a confessario, num inter has lectiones interdum acquiesceret pravis desideriis vel delectationibus, respondit, se non raro et turpiter commotum et pollutionem passum esse, sed tunc ope orationis vel lectione ad tempus intermissa conatum esse, ut consensum denegaret (ex Génicot, Cas. ad VI. praec. 18).

Solutio.

377. c) Talia oscula in ludo coram pluribus patrata vulgo absque libidinoso affectu fiunt, ideoque culpam venialem non excedunt. Angela potest ludere sed expresse renuat oscula.

378. b) Aurelius modo (ut exponit) consensum in turpes motus cohibuerit, non peccavit graviter, dum occasionem pollutioni dederit curioso illo medicinae studio. Habuit enim causam gravem librum legendi, nempe ut addiscat ea, quae adulescens in universitate studens sine pluribus incommodis ignorare nequit; imo talis lectio etiam ab omni peccato immunis esse potest. Rem tamen periculi plenam esse liquet, quare commendandum Aurelio, ne plura legat, quam utile sit ad cognoscenda, quae solent omnibus adolescentibus nota esse, neve occulta libidine impulsus frustra relegat, quae iam legerit. Severius talis lectio prohibenda foret discipulis mediae scholae; his enim sal-

tem in classibus inferioribus nulla iusta causa esse solet, cur huiusmodi tractatus perlegant.

LUXURIA INDIRECTA. (153)

a) Jacobus, rusticus, visitat Hedvigem nocturno tempore in stabulo, cum ea colloquitur de concione, de rebus oeconomicis, nihil in hoc mali videns.

b) Joannes scit, se semper noctu pati pollutionem, quoties carnem suinam vespere manducaverit. Inquietus petit a cofessario, num ei liceat disponere hanc carnem pro collatione.

c) Idem ex abundantia seminis vehementer infestatur a tentationibus; ut se ab eis liberet, expresse supinus in lecto iacet, scit enim, se semper in hoc situ habere pollutionem, quae eius naturam sedat. Aliquando vespere dicteria turpia audivit, ex quibus somnia impudica et dein pollutio nocturna secuta sunt.

Solutio.

379. a) Possibile est, quod Jacobus nullum peccatum contra castitatem in nocturnis confabulationibus committit, sunt enim tantopere frigidae naturae; tamen eiusmodi conventicula interdicienda ei sunt sub gravi, tum quia repetitae visitationes nocturnae certe excitabunt venerem dormitantem, tum ut politiores mores doceatur; si enim Jacobus serio de matrimonio cogitat, potest palam cum Hedvige confabulari, si non, abrumptat commercium.

380. b) »Sine causa rationabili permittere pollutionem semper videtur aliquid indecens et inordinatum« (s. Alphonsus IV. 484); coram hac clara sententia, cuius ratio patet, nimis laxa videtur opinio Noldin: »actiones licitas propter effectum futurae pollutionis, omittere non tenemur« (De sexto n. 32). Certe non tenemur magnopere constringere nostram libertatem, nam hoc iam esset incommodum et causa sufficienter excusans—attamen si nulla absolute adest causa, nullum incommodum, sub veniali debemus vitare actionem per se licitam, quae efficit, quod corpus pullutione foedatur. Itaque Joannes non tenetur stabiliter abstinere a carne suina, nam esset ei durum Judaeis assimilar-

tamen leviter peccaret saltem tunc, si omnino liberam electionem in cibis haberet et frequenter carnem suinam eligeret ac proinde tristes effectus pollutionis frequentis in se experiretur, ut sunt voluntatis debilitatio, phantasmata impudica etc.

381. c) Joannes in casu priori peccat graviter, nam directe intendit pollutionem nocturnam eamque causat. Non excusat eum ratio, quod tentationes diminutum iri sperantur; nam concupiscentia ob luctam et ad merita acquirenda nobis remanet et mediis ordinariis vinci potest; denique non licet intendere finem bonum per actionem malam. Pollutio nocturna imputatur, si quis causam graviter influentem ante somnum posuit, prouti vgr. ebrietas ei imputatur, qui magnam copiam potus alcoholici sumpsit et postea somno consopitus est. Causa graviter influens censetur peccatum grave in genere luxuriae. Quoniam dicteria turpia vulgo sunt levia peccata (nisi sint magnopere excitativa), ideo pollutio nocturna Jacobi imputatur ei pro levi culpa; si autem id saepius acciderit, hoc esset signum, pro eo dicteria turpia involvere proximum periculum pollutionis.

LUXURIA INCOMPLETA. (154)

a) Bartholomaeus, pastor ovium, longas horas suae occupationis distrahit cantu; canit devotas, canit quoque minus honestas cantilenas.

b) Veronica, puella rustica, convenit cum aliis puellis et adulescentibus in vicina domo; in conventiculis iuvenes non raro turpia narrant, illa subridet et verbum aliquod addit; tangitur etiam aliquando turpiter, omnem vero tactum respuit. Obiurgata a confessario reponit, se nihil aliud facere praeter ea, quae ceterae puellae faciunt. Confessarius non vult eam absolvere, donec promiserit, se nunquam participaturam esse in conventiculis.

c) Stanislaus, discipulus, figuram indecentem delineavit, eam aspicit et valde ridet; in arte pictoria tristi modo se exercens, genitalia tum masculina tum feminina graphice depicta aliis collegis ostendit; in dictionario germanico verba impudica quaerit aliisque condiscipulis narrat.

Solutio.

382. a) De cantu pastorum et operariorum idem dicendum est ac de eorum turpiloquiis; cantilenae turpes vulgo sunt venialiter peccaminosae, quia saepissime obiter, ob melodiam proferuntur, ita ut cantantes argumentum ignorent. Excipe, si cantantem vel audientes graviter commoverent ad inhonesta ob suam turpitudinem; propterea si confessarius grave peccatum suspicatur, debet interrogare, an cantilenae magnopere turpes fuerint aut an cantans graves tentationes propter cantum passus sit.

383. b) Nimis severe confessarius procedit; iuvenibus per se non possunt interdici conventicula, tum ideo, quia oblectamenti indigent, tum quia adest eis necessitas cognoscendi puellas, ut inter eas eligere possint uxorem suo characteri congruentem. Conventicula talia essent graviter illicita tunc tantum, quando alicui praeberent proximam occasionem graviter peccandi, quod praesertim ex experientia constabit. Veronica interroganda est, num propter conventicula saepe graves tentationes passa sit et num iis saepe consenserit. Si non consentit aut raro, non potest ei sub poena absolutionis denegandae vetari participatio in eisdem.—Subridere, dum turpia narrantur, non semper est signum consensus in veneream delectationem, nam ad risum excitare potest lepidus modus narrationis vel timor, ne quis inurbanus appareat aut ne moroso suo vultu alios ad turpiora ex industria narranda excitet. In his casibus risus potest esse etiam ab omni peccato immunis, si quis non potest eum cohibere. Veronica itaque non praesumitur graviter peccasse, nihilominus praescribendae sunt ei cautela, ne in gravia ruat. Quod in classi inferiore a lethali culpa immune dicitur, id eo ipso non valet da adolescentibus in classe hominum exculta ob nervos eorum excitatos.

384. c) Puerilia agit Stanislaus et scandalosa. Puto, non expedire interrogare eum, quomodo inhonestae figurae fuerint, id enim dedecet; quia gravem suspicionem ingerit, eum veneree delectatum esse, ideo interroget conf. de numero, nisi aetas et simplicitas Stanislai pueriles divinare iubeant iocos. Venialiter peccaminosa est inquisitio verborum in dictionario.

LUXURIA NON CONSUMMATA. (155)

a) Janina, puella hilaris animo et vultu, ut putat, formosa, saepissime conversatur cum masculis; alii osculum manu, alii aspectum ardentem mittit, alii manum suam diutius contrectare permittit, de amore libentissime loquitur, subridet; saepius sollicitant eam viri et munera offerunt; sed illa semper in media via gressum sistit, munera acceptat, nunquam vero consentit in peccatum.

b) Catharina, ancilla, animadvertit, ab alia coancilla ad suam cameram intempesta nocte admitti iuvenem; cupiens proin explorare quid rei, simulavit, se altum dormire, reipsa autem avidissime auscultavit, quid ageretur; et quia audivit discursus lascivos, imo percepit, quae non licet palam loqui sine offensa castae mentis, hinc et ipsa Catharina vehementissimos sentit stimulos carnis. Jam quaerit a confessario, an tuta conscientia similia dissimulare valeat (ex Elbel, IV. 201).

Solutio.

385. a) Ecce feminam demi procacem (coquette), sed non demi peccatricem! Sine dubio licitae sunt nonnullae artes innocentes, quibus puellae alliciunt iuvenes, v. g. licet eis se belle vestire, vultum defectuosum pingere, observare modos se vestiendi recentes. Magnopere iam periculosae sunt aliae artes, quibus masculos sua persona occupare et complacentiam excitare intendunt; huc spectant procax modus ridendi, aspectum proiiciendi, appropinquandi vultum. Nunquam tamen permissum est eis directe libidinem excitare in viris eorumque affectibus oblectari, etsi ad ulteriora non progrediantur et in media via gressum sistant. Graviter peccavit Janina toties, quoties artem suam exercebat, etiamsi affirmet se ob convenientiam tantum id facere vel alios oblectandi gratia. Munera retineat, quia ei sunt donata, nisi conditionem aliquam quis posuerit, quam illa non adimplevit. Per se patet, quod eiusmodi artes strictius prohibitaе sunt matrimonio iunctis feminis.

386. b) Catharina non potest tuta conscientia similia dissimulare, tum quia praecepto fraternae correptionis huiusmodi peccata impedire tenetur, tum quia auscultando impudicos dis-

cursus, se ipsam sine iusta causa exponit periculo lapsuum carnalium, quos tamen iure naturali ac divino quilibet tenetur vitare. Serio inculcandum est Catharinae, ut peccata nullatenus imposterum dissimulet, sed si qua spes emendationis affulgeat, prius secreto et charitative coancillam ab illo commercio dehortetur; si hoc non possit fructuose facere, minetur revelationem rei apud herum; dein occludat fenestras et fores; si haec et similia non proficiant, rem tandem deferat ad herum aut saltem generalibus verbis: extraneas nempe personas vagari nocte circa domum, aut, si expedit, narret rem explicite.

FORNICATIO. (156)

a) Franciscus, viduus, famulam habet, quacum frequenter peccat. Sub influxu consanguineorum aliquando cogitabat de eius dimissione, sed num inveniet aliquam, quae pari cum diligentia et dexteritate rem oeconomicam curaret? Confitetur tantum, se pluries fornicatum esse. Num sufficit?

b) Mathias cum Francisca saepius peccavit, mox tamen eius pertaesus cum sorore eiusdem rem turpem habuit. Confitetur se fornicationis esse reum, putans, sufficere talem declarationem; an recte?

Solutio.

387. a) Franciscus vivit cum famula sua in notorio concubinato ideoque ex communi theologorum sententia iam quando prima vice confitetur, non potest absolvi, donec eam dimiserit. Si concubinatus esset occultus et famulam conduxisset ad annum neque sine infamia vel gravi incommodo eam eiicere et aliam invenire posset, liceret eum absolvere, supposito, quod cautelas necessarias adhibuerit, quibus periculum ex proximo fieret remotum; praesertim frequentem confessionem promittere deberet (Alph. IV. 436). Si vero ista media non sufficerent i. e. si altera vice iisdem peccatis onustus rediret, absolutio ei dene-ganda esset. Tales excusationes: »aliam similem non inveniam«, proveniunt ex obcaecatione sub influxu concupiscentiae pravae. Ratio concubinatus per se non mutat speciem peccati, aperit

tamen debet in confessione, ut mala dispositio poenitentis sacerdoti innotescat.

388. b) Mathias non sufficienter declaravit suum peccatum, quia praeter fornicationem cum Francisca commisit incestum peccando cum eius sorore; haec enim facta est ei inhoneste affinis ob peccatum cum Francisca patratum; si, turpiter cognita puella, continuaret peccata cum Francisca, hae posteriores fornicationes etiam essent incestuosae ratione contractae affinitatis. Deberet itaque declarare, se cum duabus sororibus rem turpem habuisse.

DEBITUM CONIUGALE. (157).

a) Theophilo, paracho, difficulter evenit tam puellas a venerea avertere quam mulieres ad suas obligationes convertere. Occurrunt ei plures casus: Agatha non vult reddere debitum, quia res turpes fastidit; Agnes, quia teste medico mors ei imminet, si conceperit; Angela, quia vir eius, bibulus, generat quidem, sed prolem iam numerosam non curat; Augustina, quia debilis est.

b) Laurentius dicit, se propter paralysim non posse perficere copulam ob aliquem defectum in genitalibus et tantum eam tentare et impudice tangere uxorem.

Solutio.

389. a) Agatha sub gravi obliganda est ad obediendum viro; testantibus medicis copula carnalis multis mulieribus non delectationem sed molestiam parit, haec tamen non est tanta, ut excuset eas ab officio implendo.

Agnes excusatur, si medicus, non aliqua muliercula, serio mortem ei ex conceptione praenuntiat, quia ad tantum periculum subeundum contractu matrimoniali se non obligavit.

Angela per se immunis est a culpa (Lehmkuhl, II. 863; Noldin, de VI. n. 85) tamen suadendum ei est, ut non deneget debitum ob periculum incontinentiae mariti et ob rixas vitandas.

Augustinam debilitas ordinaria non excusat, tamen si gravi morbo laboraret vel gravis morbus ei immineret, ex sententia

communi theologorum ab obedientia matrimoniali ad tempus morbi liberaretur.

390. b) Confessarius in his casibus ad medicum poenitentem remittat et investiget, quid hic decreverit. Quoad copulae permissionem distinguendus est duplex casus: a) aut impotentia subsecuta est matrimonium b) aut praecessit. In priori casu licet marito, si potest aliquo modo, copulam perficere, etsi verum semen non effundat, quia facit, ad quod ius habet. Si vero nullo modo eam perficere valet, non sunt licita talia tentamina, quae mulierem pullutionis periculo exponerent. In utraque hypothesis non peccat, si uxorem impudice tangit aut cum ea dormit ad fovendum amorem. »Cui enim propter varias circumstantias consummata copula illicita est vel impossibilis, actus imperfecti, periculo pollutionis secluso, propterea interdicti nondum sunt« (Lehmkuhl, II. n. 835 et 836).

Si impotentia certa et perpetua praecessit matrimonium, hoc invalidum est et pseudo-coniuges etiam ex privata auctoritate separari possunt (S. Alph. VI. 110). Id valet in theoria potius, nam in praxi separatio sine scandali periculo vulgo fieri non potest; ideo ad Episcopum recurrendum erit, qui processum instituet, servando formam a iure canonico praescriptam et neque ipse decisionem concipiet sed demum s. C. Concilii, cui singuli casus proponendi sunt, rem penitus discutiet et curabit a R. Pontifice obtinere dispensationem super matrimonio rato non consummato. Ecclesia nunc non permittit talibus coniugibus habitare ut fratri et sorori ob peccandi periculum; attamen aliquando coniuges bona fide sunt quoad valorem matrimonii aut bona fide putant, sibi licere habitare ut frater et soror; tunc praestat relinquere eos in bona fide, quando timetur, quod non possunt adigi ad causam coram iudice agendam (Lehmkuhl, Cas. II. 747).

SPONSI. (158)

Anna confitetur, se cum sponso minus pudice iocari, oscula et manuum compressiones permittere, et interrogat, an liceat ei tactus, impudicos sinere, quos sponsus poscit. Addit quoque, se saepissime pati tentationes impudicas, quibus aliquando con-

sensum praebet, vulgo tamen eas repellere. Quid ad mores Annae confessarius?

Solutio.

391. Cum sponsi iam propinqui sunt tempori, quo plura eis licebunt, et ex natura rei frequenter se visitant, ideo tractatio eorum difficultatibus scatet. Hoc est certum et eis strenue inculcandum, veneream delectationem eis non esse permissam. Oscula sponsorum apud nos tum inter homines infimae classis tum etiam inter excultos, quia etiam coram perentibus imprimuntur, licita sunt et pro benevolentiae signis habentur. Manuum compressiones morosae et lascivae gravia sunt peccata, ut patet; immunes autem ab omni culpa dici debent, si fiunt ex more patriae aut ad manifestandum amoris affectum. Ne sinat sponsa se inhoneste tangi ab amasio, nam paulatim decidet ad peiora. Quoad cogitationes turpes eae non sunt minus peccaminosae, quam apud alios iuvenes; confessarius inquisitione facta de numero peccatorum gravium, praescribat necessarias cautelas; ante omnia urgeat, ne soli et praesertim tempore nocturno colloquantur et ut sacramenta frequentent. Quoad absolutionem tractandi sunt ut versantes in proxima occasione necessaria.

CHOREAE. (159)

a) Catharina libentissime saltat cum iuvenibus sive in caupona sive in nuptiis sive denique in domibus privatis. Interrogata a confessario de tentationibus et tactibus impudicis, reponit, se tangi non permittere, cogitationes vulgo propulsare. An peccet?

b) Eusebius, parochus, pro contione edicit, se prohibere quominus ulla e paroeciae suae puellis intersit choreis, quae die festo Patroni loci privatim instituendae sunt; si qua interfuerit eam, absolutionis beneficio exclusum iri tum a se tum a vicario suo, cui idem mandaverit.—Tempore paschali cauponem quendam, qui choreas in aedibus suis praebere solebat, cum nollet huic consuetudini valedicere, sine absolutione dimisit (Génicot² I. pg. 66).

Solutio.

392. a) Choreae sunt animi recreatio per se indifferens, semper tamen pro virtute castitatis periculosa. Parochus in foro externo severius in eas invehi debet, quia revera multa peccata earum occasione perpetrantur; confessarii vero est singulos casus disceptare et secundum periculum, quod poenitenti ingerunt, mitius aut severius procedere. Multi enim hac occasione minime peccant, alii scholam corruptionis in eis habent, praesertim si in cauponis suburbanis choreae instituuntur.—Quoad Catharinam choreae pro ea non involvunt proximum periculum gravis peccati, quia raro in pravas cogitationes aut desideria consentit, nihilominus interdicendae sunt ei saltationes in cauponis, si enim eis nondum corrupta est, certe brevi tempore corrumpetur.

393. b) Parochus, cum nullam iurisdictionem in foro externo habeat, nullam legem condere vel novum praeceptum dare potest: quare, quod de choreis pro contione edicit, nihil aliud esse potest quam publica naturalis prohibitionis denuntiatio. Jamvero gravis obligatio, quam manifeste denuntiant Eusebii verba, a choreis privatis abstinendi, minime urget singulas puellas sed solummodo eas, quae hac occasione graviter delinquere solent. Sed magis absona sunt, quae de absolutione neganda addit Eusebius. Absolutio enim deneganda est impoenitentibus, minime vero maiorum scelerum reis: quare denegari posset choreas graviter peccaminosas adire volentibus, minime vero iis, qui eas adierint et facti poenitentiam agant. Pariter absonum est velle parochum vicario vel cuilibet alii sacerdoti praescribere, quibusnam personis absolutionem denegare debeat: id enim nihil aliud foret, quam temere spoliare confessarium iure, quod ipsi, tamquam iudici, competit dignoscendi, utrum peccata remittere an retinere debeat.

Regulariter etiam modum excedit Eusebius, ubi cauponi nolenti choreis valedicere absolutionem denegat: per se enim grave peccatum non committunt caupones, qui choreas praebent cum ordinariis periculis coniunctas. Absolutionem denegare posset parochus huiusmodi poenitenti, tamquam grave scanda-

lum praebere volenti tunc, si choreae e ratione saltandi aliisve adiunctis essent extraordinarie malae et scandalosae (ibid.).

PRAECEPTUM DIVINUM VII.

DOMINIUM FILIORUMFAMILIAS. (160)

a) Bronislaus, adulescens 16 annorum, confitetur, se rixari cum parentibus; interrogatus de causa discordiae narrat, parentes postulare ab eo totam mercedem, quam qua messor percepit, se vero tradere nolle, tum quia colligit pecuniam pro vestibus emendis, tum quia indiget aliquo hallerio pro tabaco; utrumque vero parentes ei recusant, de filia sua nimis solliciti.

b) Romanus salaria sua, quae in fabrica lucratur, patri non dat, etsi domi habitet, quia pater ebrietati deditus pecuniam dilapidat.

c) Hedvigis, vidua, filiam suam Agatham in famulatum misit, ut eius mercede et ipsa et liberorum grex sustentari posset. Agatha initio pecuniam mittebat, postea vero desiit et colligit, ut sibi pro senectute aliquem obolum seponat; quaerit an licite agat?

Quaeritur, an et quomodo filii deliquerint?

Solutio.

394. Quidquid minores acquirunt, sibi acquirunt, sed administratio ad patrem pertinet. Parentes vero, expensis pro sustentatione refusus, reliquum filiis seponere debent. Ita codex civilis austriacus §§. 149, 150. Parentes praeterea habent ius exigendi, ut filii ex pietate concurrant ad totam familiam secundum statum sustentandam. Itaque si aliquando egestate pressi eorum operam locant, peccant filii contra pietatem, si totum salarium tradere renuunt.—Per se tenetur Bronislaus salarium totum

patri reddere, tum ut recompenset patri expensas factas pro sustentatione eius, tum ut ex pietate concurrat ad familiam alendam. Quia aliquam partem pecuniae expendere intendit ad res, quae ei ut membro familiae a patre debentur, ideo nullius ius strictum violat, sed tantum administrationem bonorum sibi arrogat.—Parentes vulgo non contradicunt huic praxi filiorum, si vident, eos prudenter suum peculium administrare; si se opponunt, filii leviter peccant, nisi exinde graves rixae oriantur; nullius vero peccati rei sunt, si rationem excusantem habent, quia vgr. nimis filiam aliquam curant.—Si autem Bronislaus vestes superfluas emere aut in genere expensas voluptuarias facere vellet, peccaret non solum prodigalitate sed etiam graviter contra pietatem, supposita gravi parentum necessitate, tum quia salaria, quae pro messe acquirit, vulgo pro expensis eius sustentationis tegendis vix sufficiunt, tum quia patrem adiutorio necessario privaret. Tabacum, si fumigat, id ad honestam recreationem pertinet, nisi extraordinariae expensae fiant. In genere consulendum ei est, ut pacifico modo rem cum parentibus componat.

395. b) Romanus non peccat, si salaria patri non tradit, quia iuste imprudentem administrationem timet; sed stricte loquendo debet pro sua sustentatione solvere; attamen etiam ab hac obligatione liberari potest, si pater immemor obligationis, qua filiis thesaurisare tenetur, patrimonium dilapidat, nam certe melius est subtrahere patri pecuniam, ne inter pocula animam suam peccatis oneret et sua suorumque perdat.

396. c) Hedvigis, quae extra focum natalem vivit et se sua industria et labore sustentat, matri pecuniam mittere ex iustitia non tenetur (cod. civ. austr. §. 151) obligatur vero ad id officium ex pietate; si mater cum prole gravi necessitate premetur, etiam sub gravi peccato ad subsidia mittenda adstricta esset. Sollicitudinem de senectute sua, ceteroquin iustam, profligare debet confidentia in Deo, qui filiae piaae non obliviscetur.

DOMINIUM FILIORUM FAMILIAS. (161)

a) Joannes, filius minorennis, patrem in mercatura pecudum iuvat; pater nihil ei praeter victum et vestimenta dat, quia, ut

ait, nihil secum in sepulcrum sumet. Irascitur Joannes, quia alii fratres proprios focos iam condiderunt et ditescunt, ipse tamen omnia sua secum portat; ut sibi provideat, incipit pecuniam patri surripere.

b) Gustavus, discipulus, pecuniam pro vestibus et libris a patre obtinuit; emit haec omnia sed mox vestes oppignoravit, libros vendidit, pecuniam in potationibus dissipavit. Ab amita sua aureum horologium dono accepit, mox tamen illud vendidit et pecuniam in ludo amisit.

Solutio.

397. a) Etsi filiifamilias, quidquid in paterno negotio acquirunt, patri acquirunt, tamen Joannem non licet ponere in peiore conditione, quam operarii habent. Debetur ei salarium, α) quia maiorennis iam est et ad negotium proprio Marte gerendum habilitatus; posset itaque pro se lucrari, quae pro patre lucratur; β) quia parentes eius opera non indigent ad se sustentandum sed ad divitias augendas, si itaque adiuvat eos, iustum est, ut plus ceteris fratribus in lucro participet (Lehmkuhl I. 889). Confessarius dissimulare potest Joannis agendi rationem; imo si mortuo patre aliquid plus ex haereditate occulte sibi sumpsisset, aequitas videret inquietare eum. Nunquam autem licet consilium eiusmodi ei suggerere, tum quia res periculosa et hallucinationi obnoxia est, tum quia lex positiva eiusmodi compensationem non agnoscit.

398. b) Ex codice austriaco §. 151. filiifamilias puberes perfectum dominium habent in res, quae eis in usum donantur. Hoc valet pro ordine iuridico externo. Si rem profundius considerare volumus, dominium istud certe restrictum nobis apparet (Bucceroni, I. 669); intentio enim patris vestimenta ementis est haec, quod pater dat vestes, ut ipse filius eas portet; itaque si filius oppignorat et pecuniam dilapidat, praeter prodigalitatem peccat saltem contra obedientiam; eo magis si libros vendit.

Aureum horologium dedit ei amita absolute; potuit itaque cum eo pro lubitu disponere; si non recte disposuit, prodigalitate tantum deliquit.

BONA UXORIS. (162)

a) Agnes vendere consuevit ova, gallinas, anseres, quin verbum unum marito dicat. Imo semel frumenti aliquot corios mercatori vendidit et pecuniam adhibuit tum ad vestes filiis emendas tum ad missam dicendam pro anima prioris coniugis. Maritus murmurat contra priores venditiones, increpat vero Agnetem ob posteriorem, per quam suam auctoritatem vilipensam videt.

b) Sophia maritum divitem ast prodigum sortita est. Ipsa dote et prolibus caret. Timens ne post mariti mortem in miseriam redigatur, dum tempus est, providet sibi. Partim ex bonis viri clam surreptis, partim ex eleemosynis et donationibus, quas secundum statum suum facere poterat sed non fecit sibi-que ipsa applicavit, partim ex parcimonia in vestibulis et denique ex proprio labore summam spectabilem sibi collegit. Quaerit tamen anxia post mariti mortem, an pecuniam istam retinere possit?

Solutio.

399. a) Carolus ne immisceat se Agnetis gallinis et ovis; haec enim ex consuetudine ita ad feminas pertinere censentur, ut istae plenam administrationem habeant. Difficilius Agnes a peccato excusari posset ob frumenti venditionem. Licite fecisset, si ageretur de frugibus ex bonis paraphernalibus, quorum liberam administrationem habet, aut si serio petenti maritus pecuniam pro necessariis expensis denegaret. His absque dubio accensentur vestes filiorum et stipendium pro missa, quae aut qua eleemosyna aut qua donatio secundum suam conditionem intellegi potest. Praetereundo mariti auctoritatem sine causa, peccavit Agnes; si semel ita fecit, nondum subvertit Caroli auctoritatem et proinde, exceptis extraordinariis adiunctis, peccatum esset leve; si saepius ita practicat, rixas causat et graviter peccat ius gubernandi sibi arrogando. Per se patet, quod committeret iniuriam cum onere restitutionis, si ex bonis mariti res superfluas emisset.

400. b) In rigore iustitiae restituere debet mariti haeredibus ea, quae ex bonis mariti surripuit, quia furata est; dein ea, quae

loco eleemosynarum retinuit, quoniam non fuit pauper; retinere vero potest partem eam, quam ex donationibus neglectis pepercit, quia etiam sibi donare aliquid potuit; denique ea quae proprio labore acquisivit et occasione emptarum vestium pepercit. Attamen si post mariti mortem necessaria sustentatione destituta esset, nec sibi providere potuisset, vgr. ob senectutem, nemo eam peccati argueret, si ex bonis mariti ipsa reponeret aliquam summam pro futuro tempore. Id eo magis ei indulgeri posset, si haberet liberos et immineret iactura totius patrimonii.

DOMINIUM AUCTORUM. (163)

a) Post mortem parochi Gabrielis, qui fama celeberrimi concionatoris gaudebat, cooperatores eius collegit scriptas contiones easque typis imprimi iussit, pro quo magnam summam lucratus est. Adiunxit eis aliquas homilias, quas maxima ex parte ex s. Chrysostomo vertit sed fontem silentio omnino suppressit.

b) Joannes pulcherrimam dissertationem germanicam cuiusdam Berolinensis in linguam suam vertit. A nemine licentiam postulavit, quia nonnullis notis adiectis legem eludere putavit.

c) Augustus, parochus, altare in ecclesia sua aedificare in animo habet. Promulgat concursum: quinque sculptores sua delineamenta tecto nomine mittunt. Conventui expertorum (iury) nullum totaliter placet, vident tamen, ex duobus facile posse tertium convenientissimum confici. Ut expensas vitent, arbitri abiudicant praemium omnibus et mandant alicui architectae pro parvo pretio tertium delineamentum ex duobus compilare. An iuste?

d) Henricus, ephemeridis moderator, cum photographica fidelitate dissertationem ex alio diario transscripsit; imo et dissertationem scientificam in fasciculo periodico publicatam.

Solutio.

401. a) Rigorose loquendo cooperatores laesit ius haeredum Gabrielis, ad quos pertinent manuscripta, eis enim competit ius exclusivum eadem edendi (in Austria privilegium hoc competit haeredibus per 30 annos; cf. §. 43. legis ddto 26. decembris

1895. Dz. p. p. 197). Dispositiones legis civilis in hac materia in conscientia obligant ex omnium auctorum consensu, etiam eorum, qui dominium auctorum quoad libros iam editos ex sola lege positiva deducunt. In praxi haeredes saepe permittunt gratis divulgationem manuscriptorum; attamen si cooperator lucra notabilia ex editione percepit, aequitas postulat aliquam lucri partem haeredibus dare. Quoad s. Chrysostomi opera, ea sunt thesaurus, qui omnibus patet, modo adsint, qui ex eo haurire velint. Omnium nationum leges ita statuunt quoad opera antiqua praesertim in mortua lingua exarata. Qui ergo divulgat versionem homiliae s. Concionatoris qua suum opus originale, certe mendax est, attamen nemini iniuriam materiale infert.

402. b) Quod nonnullas mutationes in dissertatione fecit, id non excusat Joannem a praevaricatione tum contra legem naturalem tum civilem (conventio enim quoad iura auctorum inita est Austriam inter ac Germaniam). Peccavit contra iustitiam; quantum vero debet restituere? Quantitas determinanda est secundum damnum, quod patitur auctor ex eo, quod propter versionem pauciora exemplaria germanica venduntur. Totum lucrum suum Joannes certe restituere non debet, quia ideo quod liber versus est, in maiore quantitate venditur, id vero Joannis industriae et labori in acceptis referendum est. Aliqua pars lucri, prouti iura vertendi veneunt, reddi debet. Quid si nullum lucrum percepisset? Tunc auctor vel eius haeredes nullum damnum paterentur itaque ad nihil teneretur, vgr. si ageretur de versione ex lingua sinensi, iaponensi.

403. c) Nullum dubium, iniuriam esse illatam utrique sculptori eodem modo ac si quis ex duobus libris tertium absque notabili mutatione concinnavisset et edidisset. Maior difficultas adest, si quis quaereret, quantum restituendum sit ratione lucri cessantis et cuius expensis id faciendum? In his casibus vulgo datur praemium delineamento maxime convenienti et istud emitur ab auctore. In nostro casu praemium adjudicari nequit duobus auctoribus, quia neutrius opus conveniebat. Dein quoad pretium totum eis non debetur, quoniam non secundum eorum delineamenta altare exstructum est; attamen pars aliqua eis sine dubio tribui debet. Citata lex civilis §. 57. iubet pro molestia adhuc aliquid solvere, sed ista dispositio demum post iudicis

sententiam obligat. Quisnam restituere debeat, id ex ordine restitutionis patet. Fraus prodest fabricae ecclesiae, propterea ex bonis ecclesiae primo restitutio facienda est; in casu impossibilitatis obligatio ista devolvitur in mandantes et denique in architectam mandatum exsequentem. Si arbitri solummodo theoreticum iudicium protulerunt, ad nihil tenerentur.

404. d) Secundum citatam legem austriacam §. 26. non laeditur ius auctoris, quando ephemeris una ex alia haurit; imo ne tunc quidem, quando dissertatio scientifica unius diarii in alio recuditur, nisi aliquis expresse sibi id ius reservaverit, quod in fronte dissertationis videri debet. Sinceritas autem postulat fontem citare. Id valet de ephemeridibus, nam plena iura auctorum ex lege reservantur quoad opera in fasciculis periodicis publicata. Num ista legum dispositio etiam pro foro interno valeat? Puto, vitandum esse et rigorismum et laxismum nimium. Rigorismus vitari debet, quia bonum publicum expostulat largum usum rerum impressarum; laxismus vero, ne editores parasitorum more aliorum labore abuterentur. Facillime scopuli vitantur, si fons citatur. Vulgo tamen damnum materiale non est grave, si articulus ephemeridis transscribitur.

BONA CLERICORUM. (164)

a) Stephanus, parochus, legi dioecesanae, qua omnes clerici ad testamentum conficiendum adhortantur, non obsecundavit et mortuus est absque testamento. Haereditas eius dividitur secundum legem austr. inter Jacobum defuncti fratrem, ecclesiam et pauperes loci. Cum Joannes audivisset, beneficiatos teneri superflua in usus pios erogare, quaerit, an possit haereditatem occupare?

b) Josephus, canonicus, testamentum condidit in favorem nepotis sui Joannis, legatorum piorum omnino immemor; cum magnum habuerit salarium a gubernio solutum, suspicio gravis exorditur, quod vere superflua habuit. An Joannes teneatur haereditatem captam in pauperes erogare?

c) Sigismundus pingue quidem beneficium habet, sed etiam plures mediocris fortunae nepotes ac neptes e fratribus et so-

roribus, a quibus continuo molestatur: aliquibus enim cogitur ministrare expensas ad proseguenda studia, e neptibus vero una volens nubere, petit dotari. Quo fit, ut Sigismundus omnibus redditibus ecclesiasticis in consanguineos profusis nec propriis necessitatibus providere nec pauperibus aliquid erogare potest. Quaerit a confessario, 1) an teneatur consanguineis succurrere, 2) an eius praxis legibus Ecclesiae conveniat? (Elbel V, 112).

Solutio.

405. a) Lex ecclesiastica restringit dominium beneficiatorum tantum quoad superflua ex bonis beneficialibus, intactum remanet eorum ius in bona patrimonialia (quae ex titulo profano proveniunt) et quasi ecclesiastica (pro functionibus sacris). Quia ex altera parte quilibet clericus omnem congruam sustentationem ex bonis beneficialibus percipere potest, et etiam in ea, quae parce vivendo seposuit, etiam perfectum dominium habet, patet, raro nunc contingere casum, quo aliquis superflua beneficialia habeat. Supposito etiam, quod adsunt alicui talia superflua, recte per legem austr. provisum est, si quis absque testamento moritur: etenim tertia pars totius haereditatis pauperibus cedit, altera vero tertia ecclesiae, de residua parte praesumere licet, eam quasi ecclesiastica constituere. Quid si revera superflua beneficialia superessent, an licite posset Joannes ista bona capere? Obligatio erogandi in usus pios bona superflua personalis est, ideo ad haeredes minime transit (Buccer., l. 871; Génicot, l. 476; contra Lehmkuhl l. 902); praeterea cum de radice obligationis (utrum ex iustitia an ex charitate vel legis dispositione) antiqua theologorum pugna finita non sit, et ipse s. Alphonsus suam sententiam bis mutaverit (Th. m. IV. 492 Qu. VIII.; H. Ap. X. 8; Retr. 10, 20), neque clericus ad restituenda bona superflua male impensa tenetur, neque haeredes ad id obligari possunt.

406. b) Pensiones annuae clericorum characterem bonorum beneficialium habere, saepius a S. Poenitentiaria declaratum est (vide Lehmkuhl l. 903); supposito, quod non alia sed superflua bona relictas sunt, nulla potest statui obligatio restituendi. »Etiam si testator graviter peccaverit contra legem Ecclesiae, tamen haeres vel donatarius accipere potest, cum ex parte clerici

malitia actus oblatione completa est neque haeres ad eam concurrat.» (Lehmkuhl, Cas. I. 578; Noldin, De praec. 371).

407. c) Sigismundus non tenetur ad similia. Si obligatio aliqua ei incumbit, haec solummodo ex charitate provenire potest; attamen neque ex hoc titulo in casu narrato tenetur, quia consanguinei eius non sunt vere pauperes neque de necessaria eorum sustentatione agitur. In casu paupertatis succurrendum est eis potius quam aliis, tum quia sunt magis coniuncti, tum quia non decet, ut proximi sacerdotis miseria premantur. Non tenetur; num vero licite eos adiuvere possit? Ut diximus superius, raro in praxi aliquis parochus superflua habet, quae in pauperes erogare ex lege ecclesiastica stricte teneretur, ideoque si quid sacerdos largitur, ex iis ordinarie depromit, in quae dominium non restrictum habet; itaque si solam legem ecclesiae consideramus, nihil obstat. Sed benefaciendo per accidens peccare potest, nam experientia teste, consanguinei, »quo liberaliorem experiuntur manum beneficiati, tanto ipsi fiunt importuniores« (Elbel, ibidem) et facillime in acediam prolabuntur. Adde quod parochiani vulgo scandalisuntur, si vident, parochum a consanguineis oppressum; ipse denique parochus in his circumstantiis facillime aviditate abripitur et parochianos premit.

Non est praetereunda etiam haec circumstantia, quod etsi stricte superflua non habeat, tamen ipse strictius quam laici tenetur ad eleemosynas largiendas pauperibus suae parochiae, quia exemplo charitatis »benefactor pauperum«, ut vocatur parochus, aliis praelucere debet. Ex hoc elucet, quod absque peccato non potest parochus, neglectis suis pauperibus, consanguineis omnia, quae ei supersunt, dare.

OCCUPATIO. (165)

a) Ignatius, licentia venandi gaudens, occidit sclopeto columbas, quae in campo volabant et ad Jacobum pertinebant; cum reverteretur domum, conspexit in arbore aviculam canariam eamque cepit et in cavea tenet. Jacobus et restitutionem pro columbis et redditionem canariae expostulat; utrumque negat Ignatius.

b) Non obstante lege, quae die dominica venari vetat, exiit Ludovicus cum sclopeto ad vesperam dominicae et occidit cervum et leporem. Infeliciter occurrit ei Franciscus, cui ius venandi competit in agris, eripit sclopetum et cervum; Ludovicus cum lepore aufugit. Num et leporem reddere debeat?

c) Joannes ius venandi in pago ad plures annos emit; quo plures bestias et pulchriores habeat, non venatur, intendens solemnem venationem post tres annos instituere; interea multa damna agricolis causant ferae.

Solutio.

408. a) Columbae animalibus mansuefactis adnumerantur; si quis eas occidit dum pastum volant aut capit in columbario vel postquam eas dolose allexerit, iniuriam infert. Jam ius romanum statuebat: »eousque tua esse intelleguntur donec animum revertendi habeant; nam si animum revertendi habere desierint, etiam tua esse desinunt et fiunt occupantium«. (Inst. l. I. t. 2. §. 15). Addit cod. austr. §. 384. ea fieri primi occupantis quando per 42 dies a domo aberrant. Juste reclamatur Jacobus pretium pro columbis occisis.—Canarias aliasque aves extraneas in caveis natas et detentas simpliciter feris avibus cum Elbel (P. V. 206) non adnumerarem sed potius domesticis seu mansuetis, ut gallinae. Etsi enim consuetudinem revertendi non habeant, tamen indubia signa curae et laboris humani in se portant neque in statu efferato (saltem in nostra regione) vivere possunt. Ideo tractandae sunt ut res amissae et fiunt primi occupantis tunc demum, quando earum dominus inveniri non potest. Quoad alias aves, quae in statu efferato vivere possunt, puto, eas, cum caveas evaserint neque a domino persequantur, libertatem naturalem recuperasse censeri debere. Fiunt primi occupantis ex iuris rigore. »Charitas tamen et amicitia proximo debita suadebit, ut easdem restituas, ni malis incidere in laqueum dissensionum. Confessarii proin erit in tali casu persuadere poenitenti, ut ad praecavendas inimicitias talem aviculam restituat« (ibidem).

409. b) Quoniam nunc ubique in Europa ius venandi locatum est, qui animalia occidit, semper alicui locatario iniuriam infert. Gravitas eius dependet non a praeda occisa simpliciter,

quia locatarius nondum est proprietarius ferarum, sed ab eo, quo vilius factum est ius venandi. Restituere debet talis feripeta non totam praedam, sed pro ratione spei, quam locator habuit occidendi animal; vulgo pro dimidio valoris praedae istam spem taxant. Si animalia sunt numerosa (ut aliquando lepores, nonnullae aves) obligationem restitutionis dissimulare potest confessorius in eo, qui raro venatur. Secundum leges nostras (in Galicia Austriae lex prov. ddto 5. martii 1897 Dz. u. kr. 71) feripeta accusari debet aut in iudicio aut in capitaneatu loci et satis severe lex eum tangit: amittit feram occisam vel ad restituendum eius valorem damnatur, amittit quoque sclopetum, quod frangitur et qua ferrum abusum venditur, punitur denique carcere aut mulcta sat gravi; additur ei poena contra illicite deferentes arma statuta (decr. imp. 1852). Ad declinandas istas molestias feripetae omnino contenti sunt (et rationabiliter), si venationis locatarius abstinet a denuntiatione delicti et contentum se reddit confiscatione sclopeti et praedae. Ex dictis patet, tum Franciscum tum Ludovicum retinere sibi posse, quae manibus tenent.

410. c) Nemo quidem tenetur suo iure uti, ita sonat iuris axioma, quod et Joanni in genere favet, attamen cum quadam obligatione. Leges civiles, quae exclusivum ius venandi singulis vendere iubent in territoriis determinatis, restringunt naturalem civium libertatem occidendi animalia, ast sub hac conditione, quod locatarius iuris venandi pro damnis ab animalibus causatis tenetur (lex citata §. 51). Haec damna modica sunt, si venatio saepius instituitur, et rustici vulgo, non conqueruntur, quia indemnes se faciunt aliis modis, vgr. occulte occidendo animalia. Si vero venatio per longius tempus non instituitur, damna ferae inferunt gravia et proinde locatarius venationis peccat non solum contra charitatem sed etiam contra iustitiam et tum in foro interno tum externo ad resarcienda damna tenetur ante omnem iudicis sententiam. Imo quoad animalia nociva, ut apri, ursus, lupi, vulpes, si contra ea venatio non instituitur, officium politicum potest venationem iubere vel rusticis licentiam arma per aliquot tempus deferendi et venandi dare.—Joannes tenetur tum pro damnis ab animalibus illatis tum etiam pro illis, quae ipse infert, dum bestias persequitur.

OCCUPATIO. (166)

a) Marcus, miles, in media strage surripuit variis hostibus vel etiam sodalibus occisis et in campo iacentibus pecuniam et alias res pretiosas, quas proprias sibi fecit. Cum autem in patriam redux id confessario aperuisset, iussus est eas res vel earum pretium in pias causas impendere.

b) Augustinus animadvertens, nassam (sieć) a Paulo piscatore in fluvio furtive positam esse, pisces ex ea abstulit et nassam iterum aquae immisit. Cum domum reversus, Paulum piscibus oneratum conspexisset, dixit: Deus optimus in abundantia pisces creavit, pro omnibus sufficiunt. Benedicite omnia opera Domini Domino!

c) Gallina Agathae magnum damnum infert in horto Sophiae; haec semel irata lapide eam occidit. Rixa maxima inter mulieres exoritur. Agatha gallinam, Sophia damni reparationem reclamat. En lis centies occurrens tibi dirimenda ponitur.

Solutio.

411. a) Theologi vulgo distinctione facta inter hostes et sodales ac dein inter bellum iustum et iniustum, permittunt spoliare hostes in bello iusto, vetant vero spoliare tum suos sodales tum hostes in bello iniusto. Opinio haec provenit ex antiquis temporibus, quando bella modo barbaro gerebantur; tunc duces permittebant spoliationem cadaverum, quae spoliatio propter permissionem erat licita. Nostris vero temporibus conventionibus internationalibus, (vgr. Genevensis an. 1864) et praescriptis militaribus modus bellandi mitigatus est. Praescripta militaria omnium cultarum nationum non permittunt maius malum inferre personis quam quod necessarium est ad victoriam reportandam et vetant spoliare occisos. (Cf. austriacum Dienstreglement Th. I. Abschn. 15, art. X. c.). Bona occisi in bello minime considerari posunt tanquam res nullius aut derelictae, quoniam nomina filiorum Martis signata sunt et quilibet in gladio numerum suum portat, ergo posunt bona cuiuslibet occisi in manus haeredum defuncti pervenire. Miles spolians hostem ad restitutionem erga eius haeredes tenetur. In casu narrato

recte confessarius decedit, supposito quod haeredes spoliati inveniri nequeunt.

412. b) Lege pro Galicia ddto 31. octobr. 1887. (Dz. u. kr. N. 37 ex an. 1890) non licet in fluviis cuilibet libere piscari sed ius exclusivum locatur singulis prouti ius venandi. Pisces illegitime capti restituendi sunt prouti praeda in venatione pro rata spei, quam aliquis habuit eos capiendi, seu dimidium. Juxta haec Augustinus restituere debet dimidium; sed cui? Paulus ipse fur est; etsi ex eius nassa pisces extracti sunt, nihil ei debetur; damnificatus est ille cui ius piscandi competit, ei itaque restitutio fieri debet. Quia tamen leges liberam piscationem interdicientes recentissimi sunt temporis, ideo populus saepe adhuc bona fide manet et putat, se nemini iniuriam inferre, piscando, cum Deus optimus pro omnibus in abundantia pisces creaverit.

413. c) Vi cod. austr. §. 1320. dominus tenetur in omni casu pro damno a suis animalibus illato; vi legis naturalis tunc tantum haec obligatio urget, quando ex incuria domini damna illata sunt. Sophia debuit monere Agatham, ut gallinas custodiret; si surdae clamaret, licitum ei erat hortum suum defendere a molesta avi etiam cum eius occisione. Ita fert consuetudo et praxis timoratorum, qui hoc modo se defendunt formam legalem omittendo. Attendendum tamen est ad damni quantitatem, nam pro modico damno, solummodo ad iram satiandam, non licet gallinam occidere. Ad quem caro gallinae spectat? Titulo recompensationis potest sibi eam retinere Sophia, in foro civili adiudicabitur Agathae, proprietariae eiusdem.

THESAURUS. (167)

a) Gasparus, caementarius, dum iussu heri pervetustae domus parietes deiecisset, inopinato casu sub pavimento reperit vetustum annulum pretiosum et aurea numismata antiqua. Primo obstupefactus sed mox totus exhilaratus omnia in marsupio suo abscondit. Infeliciter tamen visus est ab Adolpho alio operario, qui haud procul adstabat. Hic dimidiam partem pecuniae inventae postulat, ut socius inventionis, quia eodem tempore imo prius ad rem advertit, imo etiam manum extendit sed a

Gasparo praeventus est. Hoc renuente, Adolphus rem manifestavit domino, qui ab inventore totam summam repetit, quia cuius domus, illius omnia, quae in domo continentur. Lis tibi proponitur dirimenda.

b) Michaël in fluvio se immergens vas aliquot de limo factum invenit. Diligentius vas considerans, detegit in eo indubia indicia operae figuli romani. Rerum antiquarum amator vas retinet sed mox extraneo collectori magno pretio vendit. An licite?

c) Legitur Matth. XIII. 44. »Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet et emit agrum illum«. Quid de ista agri emptione?

d) Gabriel legit in libro quodam perantiquo, olim belli tempore a familia quadam in nemore, quod nunc ad Marcellum pertinet, res pretiosas absconditas esse. Nemus emit, terram effodit et reapse plura vasa aurea et argentea invenit. Reclamat Marcellus thesaurum inventum et fraudis Gabrielem arguit. An iuste?

Solutio.

413. a) Solutio casus dependet ab eo, qualem characterem iuridicum res defossae habent; nam alio modo disponendum est cum eis, si sunt thesaurus, alio si res amissae. Ex circumstantiis apparet, res a caementario detectas ut thesaurus sensu iuridico considerari debere, quia erant absconditae et, ut supponitur, neque annuli neque numismatum antiquorum dominus inveniri potest. Thesaurus pertinet (secundum legem austr. §. 410.) pro dimidia parte ad proprietarium domus, pro altera dimidia parte ad inventorem. Sed uter est inventor? Gasparus solus an etiam Adolphus? Id dependet a relatione utriusque in labore. Si erant coordinati operarii, vgr. si unum lapidem removebant, sub quo latebat thesaurus, uterque inventor est et dimidia pars inter eos dividi debet. Si vero alter detegit thesaurum et alter solummodo aspiciebat ipsius laborem, qua invigilator aut viator, tunc hic non potest haberi pro inventore, etsi simul imo prius thesaurum conspexisset. Inventor est ille, qui detegit thesaurum.

414. b) Res, quae valorem archeologicum habent, eodem modo tractandae sunt ac thesaurus. Quia flumina et viae aerariales ad bona publica pertinent (Cod. Austr. §. 287), ideo dimidium thesauri inventori, alterum dimidium debetur fisco, qui bona communia administrat. Ex consuetudine tamen ista dispositio legis quoad fiscum habetur pro mere poenali et obligat tantum post sententiam iudicis. Eadem dici debent, si thesaurus invenitur in via communali aut districtuali aut provinciali.

415. c) Prouti in parabola de iniquo villico (Luc. XVI. 18) »laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset«, etsi per malas actiones istam prudentiam manifestaverat, ita etiam in hac parabola, intentio Christi fertur, ut ostendat, quomodo solliciti esse debeamus in nostris spiritualibus negotiis, non vero ut quaestiones iuridicas dirimat. Ille enim, qui invento thesauro in agro alieno postea eum abscondit et, reticita inventione, agrum pretio ordinario emit, deceptionis reus est; pretium enim in foro conscientiae debet correspondere valori rei. Excipe, si quis extraordinaria sua industria uberrimum lucrum ex agro obtineret aut si lucrum (thesaurus) non esset certum, ut fontes petrolei, aquae medicinalis. Secundum ius austr. liceret venditori actionem instituere civilem ob deceptionem ultra dimidium valoris rei. Idem ius statuit, quod ex thesauro, qui furtive quaesitus et inventus est in praedio alieno, nihil debetur inventori. (Cod. Austr. §. 400).

416. d) Qui ex indiciis suspicatur, thesaurum in aliquo loco adesse, potest agrum istum emere pretio ordinario, quia eo tempore, quo emit, nondum invenit thesaurum et risico subit. Si postea eum invenit, totus thesaurus ad eum pertinet ratione proprietatis agri. Gabriel legit quidem narrationem perantiquam, sed tales notitiae nondum aequivalent thesauri detectioni, tum quia scriptores saepe incertos rumores sequuntur, tum quia successu temporis thesaurum illum iam aliquis effodere et auferre potuit; ipse denique scriptor, si rem pro certa haberet, non sinneret vasa in terra defossa iacere. Ideo thesaurus Gabriellis est.

INVENTIO. (168)

Felix, iter faciendo, crumenam auro refertam in media via reperit. Inquirebat dominum inter transeuntes, interrogabat quoque multos in nundinis, sed frustra; non invenit proprietarium ideoque pecuniam sibi appropriavit. Increpatur a confessario quod non observavit legem, quae mandat pecuniam ad magistratum deferre (Cod. austr. §. 389) et iubetur eam pauperibus erogare. Obsecutus est confessarii iussum, attamen ne alienis bonis custodiendis gravaretur, statuit nunquam amplius res amissas vel digito tangere. Quid ad casum?

Solutio.

417. Quia pecunia recens erat et in media via iacebat, habenda est pro re amissa; dominus enim eius ignotus quidem est sed inveniri potest. An confessarius recte ei mandaverit pecuniam restituere, non obstante privata eius diligentia in domino requirendo, pendet ab eo, utrum dispositiones iuris, quae modum requirendi dominum praescribunt (cod. austr. §. 389 sqq.) in conscientia obligare censeantur an non. Puto cum Carrière (De iust. I. n. 336, 3 et 347), per se respondendum esse ad hanc quaestionem affirmative. Cum enim res clamet ad dominum, debemus proportionem servata cum rei valore adhibere diligentiam et media necessaria vel utilia ad dominum inveniendum; quandonam diligentia moralis et media sufficientia adhibita sint, non facile potest determinari; ut et paci inventoris et exigentis rationabilibus domini consulatur, recte lex civilis propter bonum commune determinat, quae lex naturalis indeterminata relinquit. Lex igitur determinans modum requirendi dominum generaliter in conscientia obligat. Ita quoque codex poenalis austr. (§. 201. c.) deceptionis reum declarat illum, qui res inventas sibi appropriat, quin syndicum de hoc certum reddiderit. Dico »generaliter«, quia rigor iuris temperatur recepta consuetudine; secundum hanc in rebus minoris valoris (infra 20 coronas) nemo inquietatur, si post diligentem ast cassam domini requisitionem rem sibi retinet; eiusdem demum post tres annos proprietarius fit. Si vero agitur de rebus maioris momenti, peccati iuste argueretur, qui rem proprio Marte perficeret. Privatae enim in-

terrogationes et requisitiones non possunt aequivalere publicis, quilibet enim amissa re maioris pretii ad magistratum vel syndicum se convertit et amissionem annuntiat, itaque ibi deponenda est res, ubi adest maxima probabilitas inveniendi dominum. Etsi aliquis inventor hanc legis dispositionem ignoraverit, si dominum sincere requirit, certe aliquem inveniet, qui eum ad hanc obligationem attentum reddet; propterea licet inferre, quod si inventor magistratum vitat, eo ipso significat, se nolle sincere dominum invenire. Oportet addere, quod in nostris regionibus fideles ex consuetudine quietos se sentiunt, quando pecuniam parocho tradunt, qui rem ex ambone denuntiat.—Ex dictis patet, a pecuniae quantitate dependere, an decisio confessarii recta fuerit. Si summa excedens 20 coronas inveniebatur in marsupio et factum inventionis est recens, iubeat confessarius pecuniam magistratui deferre; si factum iam est inveteratum (ultra 3 annos) pauperibus erogari debet. Si pecunia est minor, nomen sit pro Felice omen.

Propositum Felicis pugnat cum charitate; si enim rem amisam conspicimus et absque incommodo negotium requirendi dominum suscipere possumus, violaremus charitatem erga proximum, si eam non colligeremus. Grave peccatum in tali negligentia raro aderit, forte tunc, si res magni momenti amittitur nobis praesentibus aut magna adest probabilitas detegendi dominum. Felix itaque debet corrigere suum propositum.

INVENTIO. (169)

a) Agatha, vetula, verrendo ecclesiam varias res invenit: ita aliquando duas coronas, alia vice 10 hallerios sudario involutos, imaginem parvam, rosarium, imo librum precum invenit. Nihil vero harum rerum alicui restituit, quia, ut putat, qui ecclesiae deservit, ex ecclesia vivit.

b) Angela, ancilla, domum ordinando monetam 20 halleriorum invenit et tacite eam sibi reservat. Fortuna ei magnopere favet, nam dum aquam ad pavementum lavandum portaret, invenit in platea unam coronam et iterum alteram, quum verreret

cubiculum, in quo nocte praecedente hospites chartis luserunt. Utramque coronam sibi appropriavit.

c) Augustinus, discipulus, graphidem in schola invenit et sibi appropriavit; idem facit miles, Joannes, cum pecunia in contubernio inventa. Uterque aliquantulum sodales interrogavit sed multum negotium sibi non facessit.

Solutio.

418. a) Res in templo amissae ex consuetudine traduntur sacristae aut parochi, quia, ut mos fert, ibi quaeruntur ab eis, qui eas amiserunt; neglectus istius consuetudinis est signum pravae intentionis. Quoad vero res parvi momenti, ut hallerii, istae pro derelictis vulgo habentur, itaque verrens templum eos sibi appropriare potest, nisi ex aliquo indicio, vgr. ex sudario dominus coniectari potest. Agatha peccavit, si absque scrupulo sibi reservavit duas coronas, librum precum, rosarium, imo et sudarium; indulgeri ei possent 10 hallerii, si separatim eos invenisset. Quando post notabile tempus, puto duorum mensium, nemo res suas vindicat, Agathae adiudicari possunt.

419. b) Angela monetam domi inventam debet reddere papatrifamilias, quia ad eum aut aliquem suorum certe pertinet, etsi amissionis ignari sint. Paterfamilias potest eam ei condonare. Ita etiam decidendum est de corona ab aliquo hospitum amissa; attamen in hoc casu, saltem post factum, confessarius facilius ei indulgere potest, quia ludentes non multam volunt subire defatigationem, si parvus nummus in terram decidit; vulgo eum famulae in antecessum condonant. Monetam in platea inventam potest sibi retinere, tum quia vix aliquem in urbe inveniet, cui possit fidere affirmanti, nummum ad se pertinere, tum quia impossibile est probare monetam identice esse eandem ac omissa; in his adiunctis moneta habetur pro re derelicta.

420. c) In collegiis clausis maxima est probabilitas inveniendi dominum rei amissae, ideo non licet facile praesumere impossibilitatem inveniendi eum. A discipulis et militibus exigendum est, ut rem superioribus tradant (id militibus in Austria praescriptum est decreto ddto 5 maii an. 1813), quod si neglegunt, quoad res maioris valoris mala fide agere praesumuntur.

INVENTIO. (170)

a) Gregorius, macellarius, exenterans porcum Joannis, a Ladislao emptum, annulum aureum cum lapide pretioso in visceribus bestiae invenit. Joannes ut porci proprietarius reclamatur annulum, Gregorius vero eum sibi praetendit titulo inventionis. Cui attribuendum est ius?

b) »Floriana, divitis porcorum mercatoris uxor, dum die quadam stabula sua lustraret, annulum gemma pretiosa exornatum amisit. In re diu diligenterque investiganda tempus et oleum perdidit. Mense autem abhinc elapso Florianus, eius maritus, mirae magnitudinis suam Medardo cauponi, soluto statim pretio, vendidit. Hic, paucis post diebus, dum occisam evisceraret belluam, cum stupore annulum a Floriana amissum in eius intestinis reperit et laetus uxori suae, ut rem sibi propriam, statim donavit. Mox rei fama longe lateque percrebrescente, id Florianus et uxor eius etiam resciverunt. Absque mora porcorum mercator cauponem adit gemmamque ab eo requirit. Negat iste restitutionem ullam a se faciendam esse, cum nihil alienum habeat; siquidem, porcum emendo, quidquid etiam in eo continebatur, emit et pretii solutionem praestitit. Quare lis a iudice solvenda.« (ex *Gury*, *Cas. n. 933*).

Solutio.

421. a) De profundis porci visceribus annulus aureus alta voce clamabat ad dominum et tractandus est ut res amissa. Debet itaque Joannes investigare dominum in domo et regione, ubi porcus educabatur; invento domino annulus ei restitui debet; praemium vero inventionis debetur macellario non Joanni. Si annulus ad Ladislaum, porci educatorem, pertineret, ne dicas, eum vendidisse cum porco annulum, quia sciebat se annulum amisisse et non valedixit eius proprietati, ergo eum non vendidit. Si non obstante investigatione diligente non reperiretur annuli dominus, beatum se debet praedicare inventor, non porci dominus, secundum principia de inventione rei amissae. Annulus fiet eius proprietas demum post tres annos; ita *cod. austr. §. 392*, quae in conscientia observari debet.

Tunc solummodo ius ad dimidium valoris annuli competeret Joanni, si annulus pro thesauro haberi posset, i. e. si esset vetustus, ita ut dominus eius absolute inveniri non posset.

Quid si in porco adesset tantum lapis pretiosus, crudus, non levigatus? Esset res nullius et pertineret ad primum occupantem i. e. macellarium.

422. b) Res non magnum facessit negotium. Annulus ille absque dubio Floriano mercatori, seu belluae venditori, aut Florianae eius uxori, restituendus est; nam Florianus vel uxor eius dominium annuli amittere non potuit suis venditione aut rei amissione. Ratio prioris est, quia vendendo bestiam non intendit vendere annulum, siquidem ignorabat illum porco esse incorporatum; alterum patet.

ACQUISITIO DOMINII. (171)

a) Sophia, vetula paupercula, tempore messis iam a pluribus abhinc annis colligit spicas in campo dominii residuas; nuperrime vero, cum iudaeus quidam dominium acquisivisset, capta est ab agrorum custode, qui ex domini iussu spicas ei abstulit et poenam imposuit. An licite?

b) Martinus agrum in situ quoquoersus proficuo possidet: ex una enim parte tangit fluvium, qui humo fertili asportato agrum auget; ex aliis vero partibus vicinorum arbores ramos super agro suspendunt. Martinus ramos partim abscindit, partim fructus ex eis colligit; radices quoque secatur. Rixae maximae exinde cum vicinis oriuntur, quia arboribus nocet. Quid iuris in casu?

c) »Dum mulieres cuiusdam pagi, autumnali tempore, linum colligerent et in pratis, de more, iuxta fluminis ripam extendissent, ut rorem et vicissim solem imbiberet, ecce! suborta inopinata tempestate, diluvio aquarum repente intumescens flumen in prata late diffunditur. Linum vero fluctibus abstrahitur atque praeceps iuxta fluminis cursum devolvitur. Pars tamen in sepes proiicitur, pars alia rotis vicini molendini inhaeret vel muris domus cohibetur. Sedata autem hac tempestate, ecce alia vehementer exoritur tempestas, nempe mulierum eiulatus, ploratus, lamentationes et querelae. Quaeque lini residua ut sua certatim

arripiebat. Interea molendinarius cum uxore sua utraque manu in domum attrahebant, quidquid lini ipsis occurrebat, titulo alluvionis et occupationis« (ex Gury, Cas. n. 546).

Solutio.

423. a) Spicae, quae post segetes collectas residuae manent, ex consuetudine pro rebus derelictis habentur; consuetudo haec innititur praesumptione, dominum ea non curare. Quia vero praesumptio veritati cedit, ideo quoties dominus alium animum ostendit et spicas colligere vetat, iure suo utitur, etsi forte contra charitatem peccet. Sophia conqueri potest de duro corde iudaico, minime vero de iniustitia. Aliter sentiendum esset, si domini proprietarius vetaret quidem spicarum collectionem, sed suum vetitum non urgeret. In hoc enim casu non posset confessarius ad restitutionem spicarum obligare, quia proprietarii eiusmodi iussu detertere tantum volunt pauperes a damnis inferendis.

424. b) Gaudeat Martinus commodo situ sui agri in fluvii ripa, titulo enim alluvionis ad eum pertinet, quidquid humi fluvius ei apportet. Rami pendentes super suo agro et radices in eius solum missae ad eum pertinent; potest eos per se abscindere vel eis uti (Cod. austr. §. 422). Id ex iustitia valet; tamen charitas et prudentia saepe aliud suadebit, praesertim quoad radices; abscindendo enim eas multum nocetur arboribus, si vero in solo manent, nihil Martini agro nocent. Ideo charitas saepissime violaretur, si abscissione multum noceretur arboribus.

425. c) »Non licet cuilibet mulieri rapere omnem lini quantitatem, quam capere potest, sed tantum eam, quam ante commixtionem habebat: imo minus accipere debet, quia, ut ex casu apparet, magna pars lini dissipata est et ex tota massa deficit. Unde huiusmodi controversiae communiter arbitrio iudicis dirimendae sunt *ex aequo*, id est *pro rata* quantitatis lini ad singulas mulieres pertinentis, seu pro ratione iugerum agrorum ex quibus linum collectum est. Molitor nihil prorsus praetendere potest titulo alluvionis; quia nomine alluvionis non intellegitur omne emolumentum, aquarum impetu alicui adductum, sed incrementum terrae seu soli, ab aquis paulatim uni praedio adem-

ptum et alteri adiunctum. Ergo molitor id omne quod accepit restituere debet iis, qui quod suum erat non receperunt, quia omnis iniuste proximum damnificans ad damni reparationem tenetur.«

PRAESCRIPTIO. (172)

a) Adolphus 10 coronas Antonio mutuas dedit; uterque obliviscitur huius facti; demum post quatuor annos amicus eorum hoc mutuum in memoriam eis revocat. Antonius nunc solvere renuit, praescriptionem opponens.

b) Caietanus Mariano domum locavit pretio 400 coronarum per annum; cum dives sit, non curat pecuniam; demum post 10 annos expostulat debitum. Marianus consulit advocatum, hic praescriptionem ei opponere mandat. Inquietus Marianus petit a confessario, num licite processum huic advocato committere valeat.

c) Marcellus Romano librum commodavit. Reddere tardanti acclamat: reddas mihi librum, ne eum usucapias! An in hac locutione aliquod fundamentum iuridicum adsit?

Solutio.

426. a) Ad legitimam praescriptionem requiruntur 5 conditiones: res praescriptibilis, possessio, titulus legitimus, bona fides, tempus a lege requisitum. Quia omnis vis praescriptionis a lege positiva proficiscitur (lex naturalis tantum eam ut convenientem commendat), ideo omnes condiciones eodem modo inteneandae sunt ac eas expostulat lex civilis, cuilibet reipublicae propria. Cod. austr. §. 1462 statuit: res oppignoratae, commodatae, depositae, mutuatae non praescribuntur a creditoribus, mutuatariis, depositariis, ob defectum iusti tituli; non sunt in meliore conditione earum haeredes. Propterea illegitime opponit praescriptionem Adolphus, etsi uterque facti mutuationis immemor fuerit.

427. b) Ex lege austr. (§. 1480) omnes praestationes annuae, ut census, auctarium, pretium locationis, praescribuntur triennio; haec legis dispositio valet etiam in conscientia ideo, quia (ut diximus) praescriptio tota quanta a lege civili dependet. Pro-

pterea potest Marianus salva conscientia causam suam advocato committere.

428. c) Ex dictis patet, eiusmodi locutionem ioci valorem habere, commodatarius enim non potest praescribere librum in usum sibi datum.

PRAESCRIPTIO. (173)

Thomas post mortem avunculi sui, haereditatem ex asse obtinuit. Septimo anno a die obitus avunculi redit ex America frater defuncti, qui Thomae narrat et cum certitudine probat, avunculum modo iniusto multas res acquisivisse. Ita a) annulum aureum furatus est avunculus in nobilium caede anno 1846; b) horologium aureum emit a rustico quodam, qui eadem via illud sibi paravit; c) agrum titulo haereditatis quidem a suis parentibus obtinuit, quem ii periurio quodam in iudicio emisso processu lucrati sunt. Thomas, homo pius, magnopere turbatus quaerit a confessario, quid sibi faciendum sit?

Solutio.

429. Etsi ex iure romano et austriaco haeres eandem cum testatore personam constituit, tamen in causis praescriptionum diverso modo haeredum iura se habent; dependet id a titulo, quo testator rem possidebat. Si enim testator possidebat istas res titulo, qui per se sufficeret ad transferendum dominium, ut legatum, emptio etc. (§ 1461), successor eius rem praescribere potest, etsi mala fide ille actus iuridicus peractus esset (titulus coloratus). Si vero quis furto, fraude, ad rei possessionem pervenit, neque ipse, neque eius haeredes rem praescribunt (§ 1464 titulus vitiosus).—Ipse avunculus neque annulum neque horologium potuit usucapere, quia bona fides ei deerat. Annulum istum ne Thomas quidem acquirere titulo praescriptionis potest ob titulum vitiosum, quo eius acquisitio laborat. Ideoque confessarius debet ei imponere obligationem restituendi possessori vel eius haeredibus, his vero deficientibus pretium rei tradere pauperibus. Quoad horologium favet praescriptio Thomae, quia eius possessio innititur titulo colorato nempe emptione. Si agrum

possidebat avunculus titulo haereditatis, ob fraudem in eius acquisitione commissam nec ipse nec Thomas ad praescriptionem provocare potest, nisi post 30 annos; qui enim per hoc temporis spatium rem bona fide possidet, non inquietatur de titulo, nisi sit possessor malae fidei (cod. austr. §. 1477). Si autem legato vel donatione ager ei accidisset, liceret Thomae imo etiam eius avunculo praescriptione uti; competeret enim eis titulus coloratus; supponitur vero bona fides et tempus a lege requisitum. Notum est, gubernium austriacum anno 1846. vetuisse inquisitionem rerum spoliatarum in revolutione an. 1846; num ad hunc titulum provocare liceret Thomae? Minime gentium! regimen civile potest in rebus dubiis decidere ob pacem publicam aut cum indemnisatione expropriare, sed numquam apertam iniuriam valide legitimare. Bonam fidem et natura rei et omnes leges ad praescriptionem expostulant.

PRAESCRIPTIO. (174)

a) Raymundus emit ante quatuor annos vaccam a suo vicino; nunc audit, venditorem furto ad eius possessionem pervenisse. Quaeritur quid facere debeat?

b) Eugenius novit patrem bona fide possidere agrum alienum; tacet tamen. Praescribit pater et paulo post moritur. Eugenio qua haeredi cedit ager. An licite eum retineat?

c) Contra Andream causam civilem movet Joannes ob pratum. Andreas defendit se in iudicio, demonstrans praescriptionem; ipse enim iam a duobus annis pratum titulo emptionis possidet et emit idem ab Hermanno nunc mortuo, sub cuius nomine iam per duos annos hypothecae inscriptum erat.

Solutio.

430. a) Raymundo favet praescriptio, quia bona fide vaccam emit et titulum coloratum habet; potest esse in conscientia omnino tranquillus.

431. b) Eugenius licet graviter peccaverit contra caritatem, omittendo legitimum proprietarium admonere de iniusta possessione agri in manibus sui patris, tamen non peccat contra iu-

stitiam agrum retinendo; pater enim vere praescripsit, siquidem nulla conditio ad legitimam praescriptionem deerat; quidquid iuris patri competebat, transtulit in filium haeredem, atqui pater totum et verum ius habuit, ergo totum et verum transfudit in filium (Gury, Cas. consc. n. 539). Contrariam tamen opinionem, quae restitutionem imponit, non auderem dicere improbabilem.

432. c) In praescriptione potest usucapiens computare tempus possessionis sui antecessoris, modo bona fide rem acquisiverit; propterea ius favet Andreae.

SCIENS ET VOLENS. (175)

a) Anselmus concessionem a gubernio habet pecuniam pro pignore mutuandi; vulgo medium valorem pignoris dat. Ecce novam artem invenit maiora lucra capiendi. Schedulas, quibus testimonium exhibetur et pecuniae mutuatae et rei oppignoratae, fictitias in platea spargit. Jacobus (ita faciunt et alii) invenit talem schedulam, qua contestabatur oppignoratio horologii aurei pro 20 coronis. Ter beatus simulat pignoris proprietarium, solvit 20 coronas Anselmo et expostulat pignoris redemptionem, quod putabat circa 40 coronas valere. Anselmus cognoscit suam schedulam eamque agnoscit, ex altero cubili apportat horologium deauratum valoris 5 coronarum, ostendit, numerum serialem schedulae et horologii accuratissime concordare. Jacobum partim pudet suam fraudem confiteri partim timor carceris eum prohibet verbo se prodere; pro horologio valoris 5 coronarum, 20 coronas solvit et cito exit non respiciens retro.

b) »Alexander, rusticus, mercatoris officinam emendae lanae gratia fuerat ingressus; acceptam mercem in saccum immittit. Dum autem faciem averteret officinae praepositus, ad reliquam lanam loco suo reponendam, rustico nostro arridet mirae magnitudinis perna, quae ipsi ad manum obvia est. Huic inhiat et subductam eximiam praedam in sacco statim abscondit. Verum non sat feliciter: rem animadvertit praepositus. Tunc ille: Quod igitur lanae libras habes? ait. — Duodecim, reposuit rusticus. — Papae! exclamat mirans alter, putabam te maiorem accepisse

quantitatem. Eia rem probemus. Ecce saccus bilanci appositus 22 libras refert. Vide, mi bone, subdit venditor, quantus irrepperat error! Quid vero rusticus? Altum servat silentium, et ex templo solvit pro carne, cuius libra 60 haller non superabat, haud secus ac pro lana, cuius idem pondus 4 coronis venale erat. Sic pernam 5 coronis valentem 40 cor. persolvit.« (ex Gury, Cas. n. 564).

c) Catharina domicilium locavit in domo iudaei cuiusdam pretio exiguo quidem, ast sub conditione, ut sui corporis ei copiam praeberet. Haesitanti mulieri animum addidit maritus: Si ego tibi permitto, potes tranquille id facere. An quieta possit esse Catharina?

Solutio.

433. a) Habemus in casu narrato furem ab alio dexteriore fure captum: Jacobum, qui schedulam inventam sibi appropriat, et Anselmum, ingeniosae fraudis auctorem. An tenetur Anselmus ad restitutionem? Foristan provocare potest ad adagium: scienti et volenti non fit iniuria? Jacobus enim minime reclamavit contra vile horologium aut pretii sui iacturam. Certe non protestatus est, tamen non libere siluit, agebat enim ex metu et quidem ex timore carceris et iacturae famae. Ne dicas, metum fuisse iustum, nam furi erat incussus; iustus erat per se, quia praevaricator meretur poenam et quilibet civis habet ius delinquentes denunciandi procuratori status. Dixi per se metum Jacobi iustum fuisse, nam relate ad Anselmum erat iniustus. Anselmo enim non competit ius denunciandi, quia ipse est auctor fraudis; si voluisset denunciare, deberet totam veritatem iudici aperire, etiam suam fraudem et se sistere in iudicio ut complex delicti. Si id non facit, non habet ius ad dimidiatam veritatem denunciandam; metus itaque Jacobi est inflictus a non habente ius, ergo iniustus; propterea Jacobus non libere consensit in pecuniae suae iacturam. Praeterea Jacobus agebat ex ignorantia, persuasum enim ei erat, schedulam non esse fictitiam et ideo pecuniam pro horologio redimendo solvit.

Ex priori consideratione patet, quod Jacobus non fuit libere volens, ex posteriore, quod non fuit sciens, ergo non licet

in eius causa ad adagium provocare: scienti et volenti non fit iniuria.

434. b) »Quis praepositum officinae damnabit? Nemo sane. Unanimi ore dicent omnes, hoc egregie fuisse peractum, absque omni iustitiae laesione. Etenim scienti et volenti non fit iniuria; atqui rusticus novit, quale damnum pateretur, nec reclamavit: ergo tacite consensit, ne furtum fateri cogeretur. Ergo adfuit inter ipsum et praepositum quasicontractus, vi cuius ille libere consensit in pretium multo maius solvendum, ne ab ipso proderetur, et sic a iusta vexatione se redemit et iuste solvit. Abeat igitur rusticus, carissimam deferens sarcinam, simulque hoc levetur solatio, scilicet, quod si pro carne maius exhibuit pretium, pro correctione tamen accepta maius profecto non rependit.«

435. c) Mariti cessio nihil valet, etenim non aufert malitiam ab iniqua conditione apposita; maritus habet quidem potestatem in uxoris corpus, attamen ius suum in alium transferre nequit, quoniam est omnino personale, oritur enim ex vinculo sacramentali, quod mutare aut dissolvere non est in potestate alterutrius coniugis; propterea adulterium uxoris semper manet iniuriosum, etiamsi ipse maritus sit sciens et volens (Carrière II. 711). Sive copula carnalis consideretur ut praestatio ex contractu sive ut conditio resolutive, nunquam obligatio ad eam statui potest, quia nemo potest teneri ad illicita; nihilominus contractus manet validus quoad locationem domus et pecuniam. Attamen confessarius debet urgere, ut Catharina propter periculum peccandi domicilium mutet.

FURTUM. (176)

a) Ludovica fungos (grzyby), rubos (maliny), fragarias (porzostki), myrtillos (borówki) in nemoribus Josephi colligit et in urbe vendit. Semel a custode silvarum capta est, qui ei pannum abstulit, donec mulctam solverit. Solvit, tamen occulte se compensat, auferendo ligna e silva; an licite?

b) Gregorius in optimo situ casam positam habet; penes silvam nempe alicuius domini; nunquam ligna emit et siccis

ramos colligit iisque et casam calefacit et cibos coquit, foliis vero stabulum sternit.

Solutio.

436. a) Fungi, rubi, fragariae, myrtilli, nuces et in genere fructus silvestres stricte loquendo pertinent ad proprietarium nemoris; ab eo pendet licentiam decerpendi dare aut denegere. Si vetat eorum collectionem, saepe intendit solummodo abigere homines ab occasione inferendi damna graviora; propterea vulgo praesumere licet, eum nolle urgere restitutionem et consentire, ut fructus a pauperibus vel transeuntibus colligantur. Hoc tantum praesumptionis valorem habet, quae cedit veritati i. e. potest dominus collectionem fructuum rigorose vetare ita, ut iniustitiae reus sit, qui eius voluntatem non observet. Haec voluntas cognoscitur ex eo, quod mandat colligentes capere, ad syndicum citare etc. Potest haec praxis charitati adversari, tamen iustitiam non laedit. Ex dictis patet, mulierem illicite se compensavisse, nam poena iuste ab ea exigitur per modum restitutionis.

437. b) Personae in vicinia alienae silvae habitantes non gaudent iure ad ramos siccos colligendos aut viridos abscindendos aut ad usum foliorum, quae in silva iacent. Si aliquando id faciunt, potest praesumi domini consensus aut ius ad compensationem pro damnis, quae a feris aut venatoribus inferuntur in agris prope silvam positis; minime vero licitum est praesumere consensum domini, ut per totum annum rusticus silva utatur praesertim, si operam suam domino non locat. Restitutio a confessario imponenda est saltem in hac specie, quod operam suam pro labore in silva vel campis domini minore pretio locent. Absolute rigorosius procedendum est cum eis, qui arbores caedunt aut ligna collecta vendunt.

FURTUM. (177)

a) Felix, videns collegam suum, Alexandrum, librum prae-
vum legere, commodat eum et in ignem proicit; cogitat nempe,
quod Alexander non potest esse rationabiliter invitus. Alexan-
der, cum librum frustra postulaverit, occulte se compensat.

b) Duae amicae bibunt crematum; Anna praevidens earum ebrietatem, lagenam simulat casu evertere et liquorem effundit. An teneatur ad restitutionem?

c) Famulus, socialisticis principiis imbutus, scit eadem applicare profectui spirituali sui heri. Ecce herus abutitur pecunia ad potationes; ut id impediatur et peccata heri minuantur, subducit ei nummos. An licite?

Solutio.

438. a) Ad notionem furti pertinet, ut dominus sit rationabiliter invitus laesioni, quam in bonis patitur. Quaestio a theologis, non satis dilucidatur¹⁾, quandonam dominus rationabiliter invitus dici debeat; nonnulli casus sunt clari. Certe irrationabiliter invitus est, qui rem debet dare ex iustitia, ex pietate, (vgr. pater filio vestes necessarias), in extrema necessitate ac denique in evidenti et urgenti propria utilitate, praesertim si id fit a personis coniunctis, vgr. auferre et frangere gladium alicui in momento, quo se occidere intendit. Quandonam id contingat, in singulis casibus diiudicandum est. Addi etiam potest, quod licet educatoribus (magister, tutor) auferre parvas res, quibus pupilli abutuntur. In generi tamen non licet auferre rem alicui, qua quis abutitur ad peccatum et quidem ex pluribus causis: 1) ad notionem domini pertinet quaedam autonomia, qua proprietarius exclusive bonis suis uti vel abuti potest; constringeretur naturalis libertas et subverteretur notio iuris, si liceret cuilibet rem auferre ex persuasionem, dominum re abuti; 2) non semper possumus esse certi, utrum dominus bono aliquo abusurus sit, an usum licitum factururus; 3) influere in mores privatorum debemus per se tantum ex charitate, quae non obligat cum magno incommodo, atqui talis ablatio rei facillime magnas rixas excitare nata est et peiora forte peccata causare. In praxi homines saepissime bona fide multa faciunt, ducti ardenti amore virtutis.

Felix ius Alexandri violavit secundum mox dicta; compete-
tebat ei tantum officium charitatis fraternae corripiendi errantem
collegam. Alexander peccavit quidem librum pravam detinendo,

¹⁾ Cf. Vermeersch, Quaest. de iust. n. 154.

sed ipse respondebit coram Deo pro sua agendi ratione. Clarum est, Alexandri compensationem occultam esse iustam.

439. b) Mulierculis imminet proximum periculum ebrietatis; theoretice loquendo Anna iniuriam eis intulit, nisi habeat aliquam potestatem in eas, vgr. qua mater illarum minorennium; extraneae id facere non licet. Sed bona fides, quacum Anna exercebat suum zelum, excusat eam a peccato et ab obligatione restitutionis.

440. c) Curnam famulus tam zelosus appareat, quando domini abusus videt, erga sua vero vitia oculos claudit? Quando nam ita constituetur mundus, quod famuli mores herorum dirigent? Redarguendus est famulus et in suo zelo moderandus et restitutio ablatorum ei imponenda.

FURTUM. (178)

Plures opifices ad antiquos mores provocant et sequentia practicant: a) Gabriel, sartor, in vestibus conficiendis quod panni remanet, sedulo colligit et sibi retinet.

b) Julianus molitor, de quovis corio trici aliquam mensuram farinae sibi retinet, etenim »farina lapidibus adhaeret«.

c) Caietanus, textor, fila sibi appropriat, id autem una cum arte textoria a magistro suo didicit.

d) Faber lignarius ligni particulas domum asportat.

e) Effodientes poma terrestria hos fructus in agro coquunt et maducant, imo etiam domum auferunt.

Solutio.

441. a) Per se patet, hic agi de personis, quae ipsae pannum sibi emunt et vestes sartori conficiendas mandant. Ex istis ii, qui vestibus etsi fragmentis resarcitae sint utuntur, fragmenta sibi reservare solent; personae vero superioris classis id non faciunt, contenti enim sunt, si vestes conveniunt. Exinde varia praxis. Statui potest sequens regula: qui in antecessum reservant sibi ius in panni fragmenta, ius hoc retinent, quia pannus totus, quem emerunt, ad eos pertinet; ideo peccat sartor, si retinet ea, quae aliquem utilitatem afferre possunt. Qui

vero sartorem de fragmentis non monent, praesumuntur ea neglegere.

442. b) Praxis molitorum reservandi sibi aliquid farinae hodie omnino pro antiquata habenda est, etenim cum pro labore suo congruam mercedem percipiant, nihil proprio Marte sibi retinere possunt. Farina non lapidibus, sed molitorum manibus adhaeret et restitutionem expostulat.

443. c) Textores non sunt in meliore conditione molitoribus.

444. d) Tituranti bovi non alligabatur os apud antiquos neque hodie efficaciter alligari potest; id applicari debet etiam ad fabros lignarios, qui paucas ligni particulas asportant et ad operarios, qui poma terrestria effodiunt aut fructus colligunt, modo tempore laboris eos consumpserint. Nequaquam vero licitum est operariis poma terrestria domum auferre, nisi alicubi ex domini conniventia, quae in hoc casu non praesumitur sed positive innotescere debet.

FURTUM. (179)

a) Caietanus potius furto quam labore vitam suam sustentat: qualibet data occasione furatur tum gallinas, tum anseres, tum pecuniam, non spernit manipulos tempore aestivo, fructus arborum et poma terrae autumnis etc. Cum parochus missiones instituerit, ex pudore adiungit se ceteris parochianis et confiteatur. Quomodo tractari debet a confessario?

b) Franciscus in officina paterna occupatus qualibet hebdomada 2—3 coronas aliquando 5—6 subducit; sclopetum quoque patri surripuit. Missus est a patre ad extraneum mercatorem perfectioris praxis nanciscendae gratia. Quoniam Franciscus propriam officinam condere in animo habet, colligit pecuniam undequaque decipiendo tum mercatorem, tum emptores in mensura et pondere. Quomodo peccat?

c) Famula, Hedvigis, cum merces emit, cotidie aliquot halterios surripit; cotidie quoque cum ecclesiam visitat, ne in oratione impediatur, tradit sportam suam custodiendam vetulae penes ecclesiam mendicanti, cui ex herae pecunia duos halles

rios solvit; inscia domina surripit sacharum, panis vel carnis frustulos imo etiam vini aut cerevisiae poculum. Data occasione confitetur; Quid ad hoc confessarius?

Solutio.

445. a) Confessarius quando animadvertit, furem deponere sacramentalem confessionem, debet investigare, utrum poenitens unum alterumve tantum gravius furtum commiserit, an sit consuetudinarius. In priori casu ad cognoscendam gravitatem peccatorum debet interrogare, quid furatus sit et quae opulentia personarum damnificatarum; iam per hoc obtinebit numerum peccatorum gravium. In posteriore casu debet confessarius stricte loquendo primo postulare a poenitente, ut graviora sua furta explicet, dein de aliis minoribus eum interrogare, ut cognoscat, an coaluerint in grave peccatum. Haec coalescentia dependet tum a numero et quantitate furtorum tum a temporis intervallo; vulgo tales consuetudinarii neque numerum, neque temporis intervallum assignare possunt, sed omni data occasione furantur; propterea omnino sufficit, si confessarius ex furtorum frequentia generalibus verbis expressa, ex obiectorum furorum qualitate, et ex tempore ab ultima confessione elapso iudicium sibi efformabit de statu eius animae et tempus laboremque impendet tum ad inculcandam obligationem restituendi et laboris honesti necessitatem, tum ad horrorem peccati iniciendum. Talis status poenitentis, prouti de Francisco casus narrat, est graviter peccaminosus, nam eiusmodi fur ex professo paratus est in animo furta committere, quaecumque occasio permiserit.

446. b) Si Franciscus surripiebat pecuniam ad necessariam honestam suam sustentationem, tunc stricte loquendo non commisit furta, sed tantum arrogavit sibi administrationem; pater enim debebat ei ex pietate ministrare necessaria; si pecunia ei furatur ad haec emenda, non debet esse rationabiliter invitus quoad ipsam rem. Juvenes tamen eiusmodi furta committunt ordinarie, ut liberiorem vitam sibi indulgeant. In hac hypotesi si mercator erat homo dives, filius eius Franciscus pecuniam subducens initio leviter peccavit, quia 3 coronae imo etiam 5 respectu habito ad mercatoris opulentiam materiam gravem non constituunt; adde, quod Franciscus qua filius duplo maiorem

quantitatem requirit ad grave peccatum. Si tamen in furto perseveravit, tunc certe pervenit ad materiam gravem, etsi statuamus terminum gravis peccati longe remotiorem, quam absoluta quantitas (30 coronae).

An teneatur ad restitutionem? Quia parentes praesumuntur condonare restitutionem filiis, si res ablata consumpta est aut pecunia dissipata, urgenda vero est restitutio, si filii rem furtivam possident, ideo a circumstantiis pendebit, an Francisco restitutio imponi debeat. Si cumulavit pecuniam, clam eam reddat; si dissipavit, saltem oret pro parentibus, ut furti abominationem concipiat. Sclopetum reddere absolute debet aut patrem rogare, ut ei condonet.

Furta eius apud extraneum mercatorem patrata duplicem circumstantiam habent, ob quam severius iudicium merentur et quidem: a) mercator est persona extranea, ideo terminus gravis peccati est propinquior; b) Franciscus habet intentionem magnam summam subducendi, ideo iam primum eius peccatum erat grave, etsi a 10 halleriis exordium sumserit.

Quoad emptores etsi singulos leviter laeserit, tamen in genere idem dicendum est ac de furtis contra mercatorem commissis. Restituere eis potest augendo pondus ordinarie confluentibus emptoribus et pro excessu solvendo ex propriis in casam mercatoris.

447. c) Hedvigis leviter peccat in singulis casibus, quando unum alterumve hallerium cotidie subducit, materia enim hac minima neque ipsa ditescet, neque herae grave damnum inferet. Nihilominus, si saepius confiteretur et a peccato isto pluries monita non abstineret, etiam sub poena denegatae absolutionis id ei interdiciendum est, ne sacramenta risui exponantur et ne ad graviora perveniat.—Quoad esculenta interroganda est, an diligenter custodiantur et num sufficientem habeat victum; quoniam si sumpsit panem fame pressa, non intulit damnum domino, etenim victus necessarius ei debetur; idem dic, si cibi ordinarii non custodiuntur, nam tunc heri licentia praesumitur. Per se patet, id valere de cibis tantum, nam potus non est ei necessarius neque debitus.—Duos hallerios vetulae det ex propriis aut sportam in ecclesia secum teneat. Confessarius tristes sequelas parvorum furtorum ei exponat, ut horrorem huius

peccati concipiat. Pro parvulis furtis restituet laborando cum extraordinaria diligentia. Si in maiore quantitate pecuniam subduceret, posset materia furtulorum coalescere eo facilius, quod cotidie perpetrantur; in hoc casu restitutio ei posset imponi, ut occasione rationum, quas reddit herae, ex propriis solvat per partes; si famula in furto capta dimittitur, eo ipso hac poena vulgo contenti sunt heri et nullam restitutionem expostulant.

EXTREMA NECESSITAS. (180)

Catharina, pauper vidua, infantum corona circumdata, nulla habet media sustentationis; dum tempore acris hiemis infantes lacrimarent et ipsa carbonibus careret, vicino eos clam abstulit. Juste an iniuste egit?

Solutio.

448. Quia periculum imminebat infantibus Catharinae, ne propter frigus tabescerent et grave valetudinis damnum incurrerent, Catharina in necessitate quasi extrema versatur. Attamen non facile ab omni labe culpae immunis dicenda est, quia non tentavit alia media acquirendi carbones; vgr. potuit credito emere, mutuare a vicino carbones aut pecuniam, vel denique petere eleemosynam. Tunc demum, si omnia media deficerent aut inania apparerent, liceret ei carbones auferre. Semper tamen consultum est pro poenitentia iniungere ei aliquam orationem, ne assuefaciat furto. In foro quoque civili sub iisdem conditionibus non condemnabitur ob furtum, quia ab eo immunis dicitur, qui rem alienam sumit in propria defensione necessaria aut in inevitabili necessitate (cod. poen. austr. §. 2. g.).

OCCULTA COMPENSATIO. (181)

a) Augustinus, mercator, monstrat Boleslao librum, in quo nomen patris eius qua debitoris 100 coronarum pro mercibus inscriptum est. Miratur Boleslaus, scivit enim, patrem nulla debita habuisse; accusatur et damnatur a iudice ad solvendas 100 coronas una cum expensis iudicialibus, quia solutionem proba-

re non potuit; tamen in occulta compensatione dolorem suum lenit.

b) Matthaeus convenit cum amico suo Joanne, adiutore in officina Jacobi mercatoris, ut 80 coronas ei surripiat. Conscientiam Joannis tranquillam reddit promissione 10% et assertione, Jacobum nolle ei reddere debitum ante plures annos contractum. Petit Joannes a confessario, quid sibi faciendum sit?

c) Petrus Paulo alapam impegit; reddere non valens Paulus, 10 coronas ei subducit, quia, ait, si eum accusassem, deberet mihi istam mulctam solvere; ceteroquin dedi ei consilium praeclarissimum, propter quod in aliquo negotio magnum lucrum percepit. Quid ad has rationes respondendum?

Solutio.

449. a) Boleslaus posset uti occulta compensatione, si certe scivisset, patrem debitum reddidisse; scientiam talem ex ore patris habere posset vel ex alio positivo argumento. Sententia enim iudicis fundaretur in falsa praesumptione facti (pecuniam non esse solutam), quae non potest infringere ius indubium Boleslai. Si vero Boleslaus suam assertionem fulsit tantum generali iudicio ex caractere sui patris, qui debita regulariter solvere consuevit, assertio eius aliquem tantum gradum probabilitatis haberet, ideoque non liceret ei ob incertum ius occulte se compensare. Adverte, quod Boleslaus tunc tantum obligatus est debita sui patris solvere, si haereditatem obtinuit.

450. b) Etsi post factum forte indulgendum esset Joanni, quia quod licet mihi personaliter, licet quoque per alium facere, tamen ante factum nullo modo permitti potest talis contractus ex sequentibus causis: a) Matthaeo patet via ad iudicem, coram quo iura sua quilibet civis prosequi debet; b) nuda assertio Matthaei de debito nullis suffulta argumentis non potest parere moralem certitudinem; c) forte Jacobus iuste solutionem retardat; d) Jacobus in hoc casu facillime ponitur in periculo bis solvendi.

451. c) Commiseratione dignus est Paulus, si alapam non promeritam accepit; nullum tamen ei competit ius in pecuniam ante iudicis sententiam. Si nummo dolorem lenire vult, actionem contra Petrum instituat. Pro consilio, si erat bonum, debe-

tur ei gratus Petri animus, non pecunia, nisi merces in pactum fuerit deducta.

OCCULTA COMPENSATIO. (182)

a) Joanna, coqua, tempore libero iussu heri in horto laborat, de qua obligatione praemonita non erat, quando contractum inibat. Tempore feriarum aestivarum cum tres filii dominae ex scholis redierunt, cogitur a domina omnia lintheamina lavare; laborem hunc nonnisi cum notabili somni subtractione perficere potest, nam domina axiliatricem ei denegat. Operam suam tum in horto tum circa lintheamina occulte sibi compensat in calculis culinariis. An licite?

b) Judaeus quidam subtrahit de salario famulae Barbarae ideo, quia plura vitra ex inadvertentia fregit; vetulae Annae, quae pennas ei carpit, solvit 20 hallerios pro diurno labore; aurigae 40 coronas per annum dat, etsi salarium aurigarum infimum 60 coronas tangit. Omnes isti occulta compensatione indemnes se reddunt, nec scrupulos sibi ingerunt, quia, dicunt, iudaei christianos decipiunt, ideo omne furtum in eorum bonis commissum est tantum compensatio.

Solutio.

452. a) Joanna, ad culinam quidem conducta est, tamen famulis ex more nostro etiam alii labores imponuntur, qui ad eorum officium stricte non pertinent; ideo si tempore libero iubetur in horto laborare, per hoc nondum acquirit ius strictum ad praecipuam mercedem, nisi expresse conventum sit, quod ab aliis occupationibus praeter culinarias immunis futura sit. Mitius cum ea procedendum est in altero casu; perficit enim laborem extraordinarium et id cognoscitur ex eo, quod solummodo cum notabili diminutione somni ei par est. Debetur ei auxiliatrix. Ante factum confessarius non permittat ei occulte se compensare; iniungat famulae, ut a domina petat aliquam remunerationem, post factum silentio rem premat.

453. b) Quoniam in foro conscientiae solummodo pro culpabilibus actibus imponitur restitutio, ideo Barbara, utpote in-

culpabilis, iniuriam a iudaeo patitur; nihil enim aliud fecit, quam quod cuilibet famulae contingit; si occulte se compensavit, ius heri non laesit. Attamen si saepius inadvertens fuit, licuit hero punire famulam mulcta moderata; in hoc casu locus occultae compensationi non esset. Idem dicendum, si famula ob extraordinaria adiuncta expresse se obligasset pro casu fortuito.

Infimum salarium vetulae explicatur eo, quod labor hic levissimus a personis debilibus perficitur, quae nihil aliud lucrari possunt. Nihilominus si strenue laborat, salarium 20 hal. longe infra infimum haeret, propterea aliquando indulgeri potest vetulae, si occulte se compensavit; ratio est, quod paupertate pressa in tam infimum salarium consensit.—Auriga, si pro salario 40 coronarum convenit cum iudaeo, iniuriam aut patitur aut non. Iniuria ei irrogatur, si idoneus est et necessitate pressus talem famulatum acceptavit; nulla vero ei fit iniuria, si aut non est idoneus aut si ex misericordia (!?) iudaeus eum conduxit, cum non indigerit aurigis. Nunc ob magnam famulorum penuriam apti homines famulatum cum convienti salario semper invenient, si serio volunt; qui apud iudaeos servitia praestant pretio infimo, aut in labore neglegentes sunt aut inepti et proinde nullibi maius salarium obtinuissent. Quoniam nemo iudex in causa propria, confessarii est ex indiciis cum aliqua probabilitate rem discernere et sententiam in foro interno ferre. Ratio a famulis adducta, quod iudaei defraudant christianos, nihil valet; nam ex eo quod aliquis iudaeus damnum christianis intulit, nondum sequitur, quod liceat apud alium iudaeum recompensationem quaerere.

BENEFICIUM AVERTENS. (183)

a) Ludovicus graviter decumbens nepti suae, quam magnopere amabat, in testamento legatum relinquere intendit; quapropter famulo mandat, ut notarium advocet. Id non placet Ludovici filiis, nepti invidentibus, propterea famulo aliam dant occupationem, negotium advocandi notarium in se suscipientes; sermonem cum patre miscent de eius doloribus, de patientia, de sancta in Deum resignatione, breviter, mentem patris omnibus aliis, excepto testamento, occupatam esse volunt et neptem

a lecto arcent. Res bene processit: Ludovicus sine testamento moritur et ipsi totam haereditatem capiunt.

b) Gabriel equum ducit in expositionem, in qua pulcherrimi equi praemiantur. Occurrit ei Joannes cum suo equo, qui iuste pro pulcherrimo aestimatur. Ne aemulatio Gabrieli noceat, inebriat Joannem, qui somno consopitur et cum equo venire tardat, ipse vero primum praemium capit. An Gabriel teneatur ad restitutionem?

c) Promulgatur concursus pro munere medici in urbe; Joannes corrumpit pecunia plures urbis consiliarios, ut munus id obtineat. Quod resciscens Michaël, civis ceteroquin probissimus, graviter indignatus calumniam contra Joannem dissipat, per quam plures fautores ei abducit et ob defectum maioritatis alii candidato id munus committitur. Quaeritur, an iniuste egerit?

d) Rochus cum Protasio deambulans videt, agris Petri damnum grave imminere ab aqua, quae in aggere aperturam sibi format. Vult succurrere Petro, ast Protasius, socialismo addictus, quid tibi curae, ait, de bonis divitum, quo citius depauperabuntur, eo propinquior noster eximius finis! Rochus cohibitus in suo bono proposito silens iter prosequitur, dum aqua, aggere rupto, magnum damnum causat.

Solutio.

454. a) Si sola iustitia spectatur, licebat filiis mentem patris avertere precibus et suasionem a testamento in favorem neptis conficiendo nec ad ullam restitutionem tenerentur erga eam, quae nullum ius ad haereditatem habuit. Si mendaciis, fraudibus circumvenirent patrem, ne legatum relinqueret, nepti pro rata spei deberent damnum resarcire. Quomodo eorum artes et pii sermones aestimandi sunt? Suntne media iusta an non? Id dependet a circumstantiis: si enim adhuc aliquod tempus influxit a momento, quo Ludovicus iussum famulo dedit, idque non repetiit neque ullam neptis mentionem coram filiis fecit, signum est, eum firma voluntate relinquendi legatum caruisse, aut, si habuit, eam mutasse ob protestationem filiorum factis eloquentibus signatam. Saltem res dubia manet. Si vero iussu dato mentem suam filiis aperuit et famulum ac notarium impatienter expectavit, ii vero pharisaicis sermocinationibus eum distraxerunt

et famulum in accersendo notario impediverunt, fraudulenter egerunt et tenentur in solidum ad restitutionem erga neptem, utpote beneficium fraudibus avertentes. Sufficit ex theologorum sententia, si dimidiam legati partem restituant, etenim neptis nullum ius strictum habuit ad ipsum legatum.

455. b) Gabriel certe graviter peccavit peccato scandali inducendo Joannem in ebrietatem. Quaestio est, num obligatus sit ad restitutionem. Solutio instituenda est secundum principia de beneficium avertente; itaque distinguendum est: a) si medio aliquo fraudulento Gabriel usus esset, vgr. propinando potum fraude conditum, ita ut ebrietas Joannis omnino inculpabilis fuerit, tunc medium a Gabriele electum erat iniustum et ipse esset revera beneficium avertens et obligatus ad aliquam restitutionem; b) si voluntarie bibit Joannes potum a Gabriele propinatum, ipse Joannes tristes effectus sibi imputet.

456. c) Sine dubio in omni casu graviter peccavit Michaël, spargendo calumniam, quae tam tristem effectum causavit. Ast alia quaestio est, num obligatus sit ad restitutionem, qua beneficium avertens medio iniusto. Si suasionem consiliariorum animos mutavit, etsi haec omnia odium ei dictasset, nondum laederetur ius strictum Joannis et proin nulla esset obligatio restitutionis. Etsi vero purissima fuerit Michaëlis intentio, calumniam si adhibuit, iniustis armis dimicavit. Num ad restitutionem tenetur? Certe affirmative debemus respondere, si ipse medicus in usu mediorum cum legibus moralibus non pugnaret; qui tamen mediis illicitis utitur ad finem obtinendum, non potest conqueri, si iisdem armis vincitur. Exemplum rem illustret: qui mendacio, fraude vult obtinere aliquam rem, non potest conqueri, si alio mendacio impeditur in obtinendo fructu suae perversitatis. Jus tantum legitime agenti patrocinari potest.

457. d) Tum Rochus tum Protasius, non obstantibus principiis et somniis socialisticis, tenebantur ex charitate damnum imminens a proximo avertere prouti naturalis instinctus Rocho dictavit. Protasius socialisticis principiis pugnans et victoriam super bona voluntate sodalis reportans, gravius amico suo peccat; non tenetur tamen ad restitutionem, quoniam non contra iustitiam delinquit (Alph. III. 572; H. A. X. 58). Hoc intellegitur, modo neuter teneretur ex officio damnum impedire; adesset

enim obligatio, si alteruter esset vgr. administrator bonorum aut famulus domini, damnum patientis.

JURE SUO UTENS. (184)

a) Franciscus, per plures iam noctes furi in suo horto frustra insidiatus est; impatiens vitra fracta spergit in via horti, quam fur incedebat. Res prospere successit, sequenti die videt puerum vicini claudicantem ob pedem vitris vulneratum. An Franciscus iniuste egerit?

b) Felix in agro suo, per quem frequenter scit transire inimicum Andream, altam fodit foveam arenae extrahendae gratia, nec tamen Andream admonet, ut sibi caveat. Transiens Andreas nec ad periculum advertens in foveam decidit et crus frangit, quare labori consueto per duos menses vacare a medico prohibetur. An Felix teneatur damna reparare?

c) Torrens inter agrum Caroli et Theodori fluit et ripam utriusque pedetentim abruptit; Carolus suam ripam aggere munī, quo aquam versus ripam oppositam repellit et gravia damna Theodoro causat.

Solutio.

458. a) Sibi non Francisco imputet puer dolorem et amaras lacrimas; insidiose enim spargere vitra licebat Francisco in horto suo, in loco ubi homines ordinarie non procedunt, sed quo fures ingrediuntur. Si tamen Franciscus id fecisset in horto suo aperto, in quem cuilibet intrare licet, aut in via aliqua horti, qua ex domini voluntate aut ex usu communi et ordinario homines alieni utuntur, ut vgr. Franciscum visitent, hic rigorose loquendo peccaret contra iustitiam et teneretur ad restitutionem. Ratio est, quia quilibet habet ius, ne alter sua actione ei noceat (cf. Cod. poen. austr. §. 335). Dixi »rigorose loquendo«, nam in praxi in rebus minoris momenti cives privata auctoritate absque scrupulo delinquentes puniunt, quin ad forum publicum causam deducant. Agendi ratio Francisci qua iusta punitio sumi debet.

459. b) Si Felix ex industria foveam fecit, ut damnum inferret vicino, nulla deest conditionum, quae restitutionis obliga-

tionem necessariam reddunt. Si non ex hac industria foveam excavavit sed fecit id in loco, ubi homines in ordinario commercio deambulant, tunc debuit signum aliquod ponere ad homines attentos reddendos; si id neglexit, posuit actionem, ex qua damnum in confuso ie. indeterminatae personae obventurum quilibet prudens praevidet, per quod iustitia laeditur. Propterea si damnum revera secutum est, debet illud reparare. Casus solvendus est secundum distinctionem expositam.

460. c) Et leges positivae et lex naturalis vetat aggerem penes ripam suam ita construere, ut repulsa aqua vicino damnum afferat. Licet Carolo ripam suam munire, ne aqua abripiatur, sed nemini licet suas res protegere cum damno aliorum, prouti nemini licet furari, ad indigentiam propriam sublevandam. Habes hic casum praecedentibus similem: quilibet habet ius, ne alter actione sua ei damnum inferat.

JURE SUO UTENS. (185)

a) Caietanus odio in Leonem percitus vindictae occasionem quaeritabat; cum ecce rescit, eum solere defraudare fiscum in fabricatione spiritus alcoholici. Statim tributorum custodibus rem denuntiatur, qui eum deprehendunt et ad gravissimam mulctam solvendam cogunt.

b) Idem collegam suum, Josephum, denuntiatur procuratori status ob defraudationes, quas in munere suo committit; Josephus munere privatur et nunc in maxima egestate vivit. Quaeritur, an Caietanus in utroque casu ad restitutionem teneatur?

c) Eugenius Caium in furto et legum militarium transgressione deprehendens, ei minatur denuntiationem, nisi 200 coronas ei dederit. Praefert Caius pecuniam dare; Eugenius, qui reapse denuntiationem facere noluit, nunc haesitat, an pecuniam retinere possit?

Solutio.

461. a) Bonum publicum exigit, ut quilibet civis ius habeat denunciandi delicta concivium suorum; per hoc nulla delinquenti iniuria irrogatur, etenim qui delictum libere patrat, eo ipso huic

discrimini se committit et agnoscit id ius eo ipso, quod delicta sua abscondit non solum coram officialibus, qui ex officio legis observationi invigilant et delinquentes quaerunt, sed etiam coram aliis concivibus. Caietanus ergo utitur iure suo et nullum peccatum commisisset, si ex amore iustitiae vel ex amore erga bonum commune id fecisset. Hic tamen ductus est motivo inhonesto, nempe odio, propterea peccavit contra charitatem; intendebat enim poenam Leonis prouti satiativam sui animi malevoli, non autem, ut reparationem laesi ordinis publici.

462. b) Etiam in altero casu non peccavit contra iustitiam ex iisdem rationibus; etsi enim in quolibet munere delictum potius immediato praeposito est deferendum, tamen in rigore iuris hic praepositus semper rem iudicio denunciare solet, ubi defraudationes iudicantur. Si Caietanus hunc ordinem non servavit, eo ipso nondum violavit ius Josephi. Attamen contra charitatem deliquit, quia praepositi immediati saepe mitius res componunt, non cum strepitu paragraphorum. Non officit, quod Josephus Caietanum causam suae miseriae forsitan nominat; tales locutiones non sunt stricte sumendae. Ipsi non aliis miseriam suam imputet, luit enim poenam, quam promeritus est.

463. c) Eugenius si ex amore iustitiae et boni communis Caium denunciavit, non peccavit, utebatur enim iure suo omnibus civibus competenti; si pro omissione usus sui iuris pecuniam sponte oblatam accepit, etiam non peccavit, si seriam intentionem denunciandi habuit. Si non habuit serium animum, usus est fraude, dolo; omnis autem contractus, cui dolus causam dat, est irritus, propterea et donatio in favorem Eugenii facta; ita sentio cum Lugone (De contr. D. 22, n. 167 sq); contrariam tenet sententiam Gury, (Cas. n. 627) provocans ad Lessium. Si minabatur denuntiationem, ut pecuniam obtineret aut in genere mercedem pro ea omissa expostulavit, violentae exactionis reus est et restitutioni obnoxius.

DAMNIFICATIO. (186)

a) Cornelius unum filium Joannem dyscolum et bibulum habet, de quo scit, eum debitis apud iudaeos esse gravatum.

Ne patrimonium bibulus dissipet, pater vendit praedium duobus aliis filiis et parvam tantum pecuniam Joanni dat. Hic scivit, quid cum nummis faciendum sit; brevi nec obolum secum habet. Iudaei cum vacuis manibus ab eius porta discedunt. An Cornelius eis iniuriam intulerit?

b) Romanus ultionem in Jacobum quaerens, hanc excogitavit: dum puerorum grex ex schola exiret, coram eis, terebrato sepimento cerasa (wiśnie) decerpit et secum loquendo saporem eorum extollit. Pueri initio timide fructus aspiciunt, mox tamen hortum invadunt et arborem fructibus denudant. An Romanus teneatur ad restitutionem pro damno a pueris causato?

c) Mathias iuxta horreum Thomae fumigantem cigarro projecit; ex scintilla erupit incendium et horreum consumpsit. Inquietus Mathias quaerit, an teneatur ad restitutionem?

Solutio.

464. a) Minime gentium; iudaei pecuniam quidem dederunt cum spe recipiendi eam cum magno auctario, quando Joannes haereditatem obtinuerit. Attamen licebat Cornelio pro lubitu disponere cum sua re familiari sine ullo respectu ad filii creditores; his enim nullus ius competit erga Cornelium eiusque opes; venditio a Cornelio peracta est tantum causa occasionalis damnorum, non causa efficax; si debitum non obtinent, Joannes culpabilis est non Cornelius. Discant iudaei aliosque doceant non aedificare super tam fragili fundamento, ut est spes haereditatis filiorum prodigorum. Secundum legem austriacam posset Joannes impugnare venditionem patris hoc sensu, ut ei assecuretur legitima.

465. b) Romanus nullum quidem verbum protulit ad schojares, nullum mandatum eis dedit, tamen actio eius aliquid plus est, quam nudum scandalum exemplo pravo datum, est nempe inductio puerorum ad damnum inferendum; non verbis sed factis eloquentibus incitavit pueros et potest iuste considerari ut consulens.

466. c) Obligatio restitutionis dependet ab eo, num Mathias gravem culpam theologicam commiserit, seu num damnum secuturum saltem in confuso praeviderit. Obligatio enim restitutio-

nis imitatur poenam et »sicut non est obligatio ad poenam, ubi non praecessit culpa; sic non est obligatio ad restitutionem, ubi non praecessit culpa gravis« (Lugo, Disp. VIII. 59); revera ex culpa gravi debet procedere damnum grave, nam si procedit ex culpa levi, theologi ab omni onere poenitentem liberant et damnum infortunio adscribunt (Lugo, l. c.; Lehmkuhl, I. 966; Aertnys). Mathias, si interrogatus respondet, se nullam pravam intentionem habuisse neque damnum confuso modo praevidissee, ex temeritate levi aut omnino inadvertenter cigarro proiecit et in foro interno onus restitutionis ei imponi non potest. Si autem saltem cogitatio de periculo incendii ei in mentem venit, supponitur praevisio confusa futuri damni et gravis culpa ob defectum specialissimae advertentiae, ad quam in adiunctis tam periculosis omnes tenentur. In foro externo certe punietur propter inadvertentiam (culpa iuridica) et ad damna resarcienda condemnabitur.

AN CAUSA EFFICAX DAMNI? (187)

a) Caietanus abstulit plures gallinas Juliae; haec suspicionem movet contra Agatham, furem consuetudinarium, quae in rixa vindictam ei promisit. Ad iudicem defertur causa; iudex Agatham, utpote recidivam, carcere unius anni damnat. Tristis est Agatha in carcere, sed moestitia quoque impletur Caietanus ob conscientiae remorsus. Quaeritur, an teneatur Agathae restituere?

b) Operarii poma terrae colligunt. Vespere, finito labore, unus eorum plura poma contra expressam heri prohibitionem clam aufert; istud exemplum ita influat in alios, ut ceteri illud imitati sint. Quaeritur, an teneatur ad restitutionem pravam dans exemplum?

c) Camilla anulum aureum dominae suae surripuit; domina revisionem cistarum famularum suarum instituit et anulum in Paulae cista invenit; hic enim eum Camilla clam obscondit. Incarceratur Paula furti convicta, inquietatur vero Camilla et quid sibi faciendum sit, quaerit?

Solutio.

467. a) Utrum Caietanus damna Agathae resarcire teneatur, dependet a solutione quaestionis, quid sit causa efficax eius infortunii. Ex casu elucet, Caietanum nihil fecisse, ex quo necessario in Agatham suspicio moveri debuerit; ipse est tantum causa occasionalis infortunii Agathae; vera causa efficax est temeritas iudicis, qui ex indiciis non sufficientibus factum furti praesumsit. Caietanus ergo tenetur gallinas restituere Juliae, nihil vero Agathae, nisi ex charitate aliquo modo eam adiuuvare possit. Addi potest, si Caietanus minas Agathae audivisset et hac circumstantia callide utens gallinas abstulisset, ita ut suspicio necessario contra Agatham oriri deberet, obligaretur ad damnum reparandum per Agathae incarcerationem illatum.

468. b) Non, etenim exemplum influit quidem in malam actionem operariorum eodem modo, quo fructus pendens suis coloribus et propinquitate ad furtum allicere dicitur; influit nempe qua causa occasionalis; vera causa, quae damnum efficit, est perversa operariorum voluntas.

469. c) Camilla censenda est causa efficax damnorum, quae Paula passa est: nam, ut se liberaret, ea adiuncta selegit, quae proximum influxum in haec damna habitura erant. Omne igitur damnum, tum probrosa eiectio, tum iniusta incarceration, reparari debet a Paula. Quomodo autem ista reparabit? Per se debet se ipsam denunciare, tamquam vere ream, tum dominae, tum iudici; malum enim reparare debet etiam cum pari incommodo, eo magis, quod laesio honoris et famae aliter reparari nequit. Posset ab hac dura obligatione excusari, si pecuniam pro incarceratione daret Paulae; etenim plebei ob incarcerationem saepe non magnum patiuntur honoris et famae dispendium et pecuniam libenter acceptant. Debet deinde Camilla damna resarcire ob famulatum amissum; in eodem loco cum furis nota non inveniet servitium conveniens, ideo Paula debet ei solvere, ut in alio loco remoto quaerat famulatum convenientem. Per se patet, eam teneri quoque restituere omne lucrum, quod ob incarcerationem Paulae cessavit.

CULPA IURIDICA. (188)

a) Martinus, parochus, videt ancillas suas, dum vaccas mulgent, non uti lucernis sed candelis, quas parieti applicant; silet, quia, ait, a longiore tempore talis praxis exercetur et nullum damnum accidit. Ast semel candela cecidit, stramentum incendit, et stabulum beneficiale atque vicini igne consumitur. Vicinus expostulat recompensationem, negat eam Martinus, quia damnum inferre non intendebat; negant quoque vitrici consensum dare ad aedificia parochianorum sumptibus construenda. An iuste?

b) Joannes domi laborans recipit a nuntio notitiam, pecora eius magnum damnum vicinis intulisse. Vicinum, damnorum reparationem expostulantem, furca expulit, quia, ut ait, non mandavit pecoribus damna inferre. Hic eum accusat et iudex iubet damna resarcire. An in conscientia hoc decretum quoque valeat?

Solutio.

470. a) Adhibere candelam in stabulo est res magnopere periculosa, ideo tunc tantum licita, si extraordinariis cautelis quis periculum incendii removet, vgr. si candela in manu teneatur, si stramentum ab eius vicinia removetur et similia. Si iis cautelis non obstantibus incendium erumpit, damnum per accidens sequitur et nulla obligatio restitutionis imponi potest, nisi post sententiam iudicis. Si vero quis has cautelas non adhibet, eam omittit diligentiam, quam tum prudentia, tum leges politicae saepius promulgatae exigunt, et per se theologice culpabilis dicendus est. Quia parochus tenetur prudenter administrare bona beneficalia, ideo ob suam culpam theologicam tenetur propriis sumptibus aedificia combusta construere; per se patet, secundum valorem combustorum. Quid de vicini stabulo? Vulgo homines de periculo imminente aedificiis vicinorum non cogitant, ideo in foro interno ob defectum advertentiae liberari possunt ab onere restitutionis; non liberabuntur vero in foro externo.

471. b) Breviter respondere possumus: valet, quia ordo publicus expostulat, ut damna, ex culpa etiam mere iuridica provenientia resarciantur. In foro tamen conscientiae, stricte loquen-

do, ut aliquis ad restitutionem teneatur, in eodem foro culpam committere debet, quae sine advertentia i. e. damni praevisione et voluntatis consensu concipi nequit. Si Joannes novit, pastorem suum esse incuriosum aut imparem ad invigilandum gregi numeroso, tunc regulariter quoque praevidit damna secutura saltem in confuso. Si vero damna ista evenerunt omnino inopinate, in conscientia ad nihil tenetur.

CULPA JURIDICA. (189)

a) Franciscus in iudicio contra Adalbertum testimonium minus probabile dixit, propter quod Adalbertus ad poenam carceris condemnatus est. Jam luit poenam Adalbertus in obscuro carcere; interea Franciscus cognoscit, se falsum testimonium dixisse; si nunc retractaret, ut periurii reus ipse condemnaretur ad diuturniorem carcerem. Quid facere debet?

b) Julianus, vir industrialis, omisit in sua officina quasdam cautelas ad impedienda infortunia aptas, quas lex quidem praescribit, praxis tamen universalis raro observat, ideo, quia periculum est modicum et mediocri operariorum diligentia facile cavetur. Nihilominus infortunium revera accidit ita, ut duo operarii patresfamilias perierint, qui prolem numerosam reliquerunt. (Lehmkuhl, Cas. I. 665 seq.).

Solutio.

472. a) Franciscus ex communi theologorum opinione quamprimum cognovit, se falsum dixisse et Adalberto nocuisse, per se debuit assertionem suam retractare, ut Caius liberaretur e carcere. Haec obligatio urget, si sine magno incommodo adimpleri potest; etsi enim ab initio actio eius non fuerit culpabilis, tamen effectus actionis perdurat et imputatur a momento, quo facile impediri potuit et non est impeditus. Haec obligatio retractationis cessat, quando sine damno proportionate gravi adimpleri non potest; non enim agitur in casu de positiva illatione damni, sed de obligatione impediendi, ne ex actione damnum alteri irrogetur; atqui obligatio positiva cum maximo incommodo non obligat. In casu nostro Franciscus consulat prius advoca-

tum fidum, a quo viam succurrendi incarcerato discet, quin ipse incommodum sentiat.

473. b) Ex eo, quod cautelae istae universaliter non observabantur, potes cognoscere, quod neglectus earum non pertinet ad culpam theologicam, sed infortunium casui adscribendum esse, utpote non praevisum vel, ut theologi dicunt, damnum per accidens evenit, i. e. erat possibile sed non probabile (Carrière, III. 1125). Propterea herus officinae non tenetur ex rigore iustitiae ad familiam operariorum sublevandam, nisi ex charitate vel aequitate. Adde, quod in his casibus per assecurationem vel leges sociales viduis et orphanis operariorum consulitur. Non adest culpa theologica, adest tamen iuridica, legis enim praescriptio non est servata. Ideo familiae defunctorum habent ius accusandi Julianum ob leges violatas atque recipiendi omnem indemnitatem, quam leges ipsis attribuunt. Imo possunt cum Juliano transigere et pro aliqua summa pecuniae iuri accusandi renuntiare.

JUSTITIA DISTRIBUTIVA. (190)

a) Fructuum expositio in aliqua regione instituitur, in qua optima poma producenti praemium promittitur; omnium admirationem excitant fructus Joannis; attamen non ei sed Paulo adiudicatum est praemium, etsi huius poma pulchra quidem sed non pulcherrima fuerint. Scisne rationem, qua arbitri ducebantur? Ecce Joannes erat dives, Paulus pauper. An iuste hoc factum est?

b) Pro pauperibus discipulis colligunt piae mulieres vestimenta, in vigilia Nativitatis Domini distribuenda. Annae hoc negotium committitur; gaudent pueri et puellae ac cum hilari vultu munera secum ferunt. Una tantum parvula amare lacrimat; scisne causam? Ecce mater eius offenderat olim Annam; haec praeteriit puellam et ita in filia pro matre vindictam sumsit.

c) Hospitium pro senibus administrat parochus; quater petit Gregorius, senex, admissionem et quater repulsam patitur, etsi alii minus indigentes ibi receptaculum invenerunt. Causa huius

sortis est antiquatus rancor parochi contra Gregorium. Quaeritur, an parochus teneatur ad restitutionem?

Solutio.

474. a) Solutio casus dependet ab eo, quomodo expositio fructuum concipienda sit. Concipi potest qua concursus, in quo optimos fructus offerenti praemium dari debet, aut qua medium ad fructuum culturam promovendum. In priorē hypothesi, cum in concursu contractus implicitus sit, quo quilibet concurrens sub hac conditione fructus exponit, ut ei praemium adiudicetur, si eius fructus maxime convenirent, peccant contra iustitiam commutativam, qui rationibus impertinentibus (ut opulentia) in praemii assignatione ducuntur. Id potius valet in aliis causis, vgr. in cursu equorum, in operibus architectonicis. Eiusmodi fructuum expositio concipienda est ut medium, quo cives ad arborum culturam excitentur; expositio est occasio, qua fructus cognoscuntur, ideo distributio praemiorum in hoc casu regitur sola iustitia distributiva; haec vero respicit primario bonum commune, demum secundario aequalitatem inter praemium et merita (Vermeersch, Quaest. de iust. n. 60 sqq.), prouti, exgr. in officiis publicis conferendis. Jam vero arbitri assignando primum praemium Paulo pauperi, bonum commune in oculis habuerunt, proinde iustitiam minime laeserunt et ad nullam restitutionem obligati sunt. Etiam tunc, si ducerentur alia ratione, vgr. consanguinitate, non essent obligati ad restitutionem, quia laederent solummodo iustitiam distributivam non commutativam seu nullius ius strictum esset violatum, nemini, quod suum est, esset ablatum.

475. b) Cor pauperis puellae laesum quidem est, sed haec nullam patitur iniuriam, quia nullum ius strictum ad vestes habet, nullum pactum implicitum inter puellam et Annam vel offerentes vestimenta intercedit. Anna laesit charitatem, quia ex motivo sumendae vindictae egit, non vero ius alicuius pauperis.

476. c) Parochus repellendo Gregorium ab hospitio aut nullo modo peccavit aut tantum contra iustitiam distributivam. Prior casus occurrit, si habuit iustam causam repellendi Gregorium, quia vgr. timuit, ne discordias in hospitio excitaret; si nulla rationabilis causa subsistebat, peccavit contra iustitiam dis-

tributivam: determinatum quidem est beneficium sed incumbit ei obligatio pauperiores (qui in hoc casu digniores sunt) vel ceteris paribus eos, qui per longius tempus iam pulsant, aliis praeferre. Forte peccavit etiam contra charitatem, si odio ducebatur. In nullo autem casu tenetur ad restitutionem, quia nullus ius strictum violavit.

ERRANS CIRCA PERSONAM ET CIRCA VALOREM REI. (191)

a) Miecislaus vindictam sumere vult in Jacobo; videns eius vaccam pabulantem, sclopetum contra eam explodit; mox tamen lugendum errorem cognoscit: vacca non erat Jacobi sed ad amicum Ladislaum pertinebat. Quaeritur, an Miecislaus teneatur ad restitutionem?

b) Clara, famula rudis, surripit anulum cum lapide colorato parvi eum aestimans; mox donat eum amicae suae occasione diei onomasticae; haec non diu isto dono gaudebat, nam post paucos dies, cum deambulare, amisit anulum. Brevi tempore defectum annuli domina conspicit; ex narratione et inquisitione discit Clara, anulum 100 coronas valere. Confitetur; quid debet restituere, cum in sua simplicitate putaverit, anulum pretio esse 20 halleriorum?

c) »Michaël mercatoris officinam cum duobus sociis ad aliquid emendum ingreditur. Dum de pretio cum mercatore ageret, nemine advertente, aureum horologium super abaco positum, quod ipse tamen aeneum reputaverat, callidissime sustulit. Domum autem reversus, sedulius horologium intuens, aureum esse deprehendit. Sed non diu illud detinuit; eadem enim die, per urbem deambulans, horologium amisit. Paulo post Michaël poenitentia ductus, statuit restitutionem facere, sed tantum iuxta valorem tempore furti existimatum: id est, perinde ac si horologium fuisset cupreum, non vero aureum«. (Gury, Cas. n. 630).

Solutio.

477. a) A recentioribus theologis haec quaestio iam sine dubitatione solvitur in hoc sensu, quod damnificator errans circa personam damnum resarcire tenetur; et recte: ipse enim, cum

rem iniuste damnificaret, eo ipso obligavit se in conscientia ad damnum reparandum, cuicunque hoc eveniret.

478. b) Theologi ponunt vulgo casum in hac forma simplici: ad quid tenetur ille, qui proiecit in mare gemmam 200 valentem, quam putavit 100 valere. Qui stricte insistunt literae principii: restitutionem correspondere debere culpa, resolvunt casum in hoc sensu, quod restitui debet valor putativus; hic enim est voluntarius et imputabilis; excessus pretii invincibiliter ignoratus imputari nequit. Istam tamen sententiam sat timide proferunt et in praxi eam admittere non sinunt, nisi certo de errore invincibili constet (Gury, Cas. consc. n. 629); imponunt obligationem restituendi totum damnum, si aliquo modo fuerit praevisum saltem in confuso, quod ordinarie contingit (Alph. VI. 613); hanc opinionem plures etiam moderni tuenter (Carrière 1151); S. Alph. vocat eam probabilem.

Meae conscientiae plus convenit sententia opposita, quam tenent Sanchez (apud s. Alph. l. c.); Lugo (D. VIII, 63); ii obligant damnificatorem ad totum damnum reparandum, »nam licet nescias valorem maiorem, quem habet de facto, tamen vis destruere totum eius valorem, quicunque sit«. (Lugo, l. c.). Aliqua tamen distinctio facienda mihi videtur: a) si quis putat, esto ex simplicitate sua, esto ex ignorantia invincibili, rem parvi valere, cum valor eius sit multo maior, habes casum, quo ex culpa levi infertur damnum grave. Ridiculosum tunc esset restituere pro rata culpa, propterea damnum hoc casui, infortunio, adscribi debet et nulla restitutio in conscientia imponenda est, similiter ac si quis ex inadvertentia leviter peccaminosa horreum incendisset. Si vero error in rei taxatione non est excessive magnus, Lugonem sequi debemus et restitutionem imponere. Qui enim determinatus est destruere valorem 100, eo ipso determinatus est destruere vel auferre rem, prouti est, etsi 200 valeret. Ex dictis patet, quam ridiculosum esset adstringere Claram ad restituendos 20 h.; potius dicere debemus: domina infortunium passa est ob famulae stultitiam. Ne haec ullam poenam sentiat, imponi ei debet oratio pro domina et pro sua illustratione.

479. c) »Michaël tenetur ad integrum horologii aurei pretium refundendum. Ratio est, 1) quia difficile ipse indubitanter putare potuit, horologium fuisse tantum cupreum: nimis enim festinanter

illud surripuit, ita ut de hoc iudicium certum efformare non valuerit; ignorantia eius non erat invincibilis; 2) quia postea advertens, horologium aureum esse, illud ut tale statim restituere debuit. Ergo, restitutionem differendo, fuit in mora culpabili ratione restitutionis et proinde omne periculum rei suscepit, non excluso quidem quocumque casu fortuito. Quapropter ad totum damnum reparandum tenetur, etiamsi eius ignorantia de vero valore in actu furti invincibilis fuerit. «

POSSESSOR BONAE FIDEI. (192)

a) Caietanus occupat ab intestato patrimonium post mortem Caroli patris sui; domum ruinosam reparat et pomario cingit, partem vero locat; agros pinguiores facit et copiosos inde colligit fructus; unam vaccam vendit et aliam loco eius emit; stabulum eius duobus vitulis locupletatum est; prospera sorte gaudet Caietanus et pro defuncto patre ardenter orat. Cum ecce post duos annos redit ex America filius unicus Caroli, qui ex omnium persuasione iam erat mortuus; nunc quasi redivivus patrimonium repetit. An ei dandum sit? Quid Caietanus sibi retinere potest?

b) Felix de nundinis redux venditis mercibus 20 coronas plus quam putabat in crumena reperit, nescit tamen, a quo plus acceperit; habuit enim plura negotia. Quamobrem incrementum istud sibi retinet de bona occasione gaudens. An iuste?

c) Cornelius, aurifaber, centum coronis emit ab Antonio, quem probum credebat, argentea vasa antiqua, ex quibus, materia conflata, duo candelabra confecit. Joannes, amicus Antonii, donum eidem aliqua occasione facere intendit, candelabra hunc in finem 100 coronis emit et Antonio donat. Hucusque bene, sed mox gravis insurgit difficultas, quando Cornelius rescivit, Antonium vasa illa patri suo furatum esse. Nescit nunc, quid sibi agendum sit?

Solutio.

480. a) Caietanus, ut alienae rei possessor bonae fidei, tenetur restituere et praedium et domum et vaccam et quascun-

que res a patruo relictas et a se occupatas, imo etiam vaccam emptam, quia haec est aequivalens vaccae venditae. Retinere vero potest (ex iure austr. § 330) pretium locationis perceptum, segetes ex agris collectas, vitulos in stabulo natos; haec omnia enim sunt fructus separati; nihil etiam solvere debet pro usu domus, est enim fructus consumptus. Quia possessori bonae fidei refundi debent expensae necessariae et utiles ad rem conservandam (ibid. § 331), ideo pro agrorum melioratione, vgr. pro stercore sparso, aggere exstructo, pomario condito, debetur ei indemnisatio.

481. b) Felix rem investigare debet; si conamina eius inveniendi dominum nullo positivo effectu coronantur, felici sua sorte gaudeat; pecunia enim ista habenda est pro derelicta et fit eius titulo occupationis.

482. c) Cornelius ad nihil omnino tenetur: non debet restituere pro argento furtivo, quoniam illud non habet; bona fide emit et vendidit rem alienam; nihil quoque debet restituere ratione lucri percepti, quia ei debetur qua fructus industrialis.

POSSESSOR BONAE FIDEI. (193)

a) Paulus vitulum ab Aemilio emit, optime eum nutrit, ita ut pulcherrima vacca evaserit; rescit tamen inopinate, vitulum furto fuisse ablatum; ignorat nunc, quid sibi faciendum sit?

d) Petrus equum emit ab Antonio pretio 200 coronarum; cum ob bellum insperate indictum valor equorum magnopere creverit, Petrus, opportuna utens occasione, vendidit belluam pretio 350 coronarum. Gaudium eius mox turbatur, amara notitia, equum esse furtivum. Quaeritur, an Petrus ad aliquid teneatur?

c) Iosephus librum a discipulo quodam emit; cum folia verteret, reperit sigillum gymnasii, ex quo cum certitudine cognoscit, librum ex bibliotheca scholae provenire et furto ablatum esse. Quid debet facere Iosephus?

Solutio.

483. a) In rigore principiorum debet vaccam restituere; res enim clamat ad dominum; deducere vero ei licet expensas fac-

tas pro alimentis et vaccae cultura, non enim soli naturae debetur incrementum. Si vero computationes instituentur, parum maius pretium quam vituli valor remanebit restituendus. Ideo in praxi sufficit in his casibus, si vituli pretium restituitur, addito parvo auctario. Neque ad lucrum cessans neque ad damnum emergens resarciendum tenetur, quia si quod damnum evenit, non ex eius culpa evenit.

484. b) Petrus lucrum percepit non ex sua industria sed ob temporis adiuncta, quorum ipse non est auctor; propterea debet domino restituere lucrum perceptum.

485. c) Duplex restat Josepho via: librum reddere aut scholae directori etiam cum pretii iactura, quia res clamat domino, aut discipulo, ut pretium recuperetur. Si discipulum invenire non posset aut, quod sperandum est, hic pretium reddere renueret, non potest Josephus librum retinere aut tertiae personae vendere sine obligatione restitutionis.—Ponamus, Josephum eundem librum apud bibliopolam emisse; ad quid tenetur? Ex iuris austr. dispositione (§ 367), quae etiam in conscientia observari potest, ad nihil obligatur, emit enim librum apud hominem ad libros vendendos habilitatum; gymnasii director tantum posset habere regressum ad bibliopolam.

Quid si amicus librum hunc commodasset Antonio, qui proprietarium simulans, eum Josepho vendidisset? Respondeo: eadem repetenda sunt, quae in casu praecedenti dixi.

POSSESSOR BONAE FIDEI. (194)

a) Cornelius liberos Anastasii instruebat; cum nullam pecuniam accepturus speretur, Anastasius donat ei pulchram imaginem, quam ab amita sua obtinuit. Sed hic infelix rescit, sibi imaginem non esse donatam ab amita sed tantum pro aliquo tempore oblatam. Quid debet facere Anastasius?

b) Pafnucius librum suum, qui iam dudum ei perierat, apud Bonifacium invenit et eum statim arripit. Protestatur Bonifacius; an recte?

c) Bovem pulchrum emit Joannes pretio 200 coronarum eumque vendidit Philippo 250 coronis. Vorax animal postquam

trifolio se implevisset, mortuum est. Inopinate apparet Ladislaus et ad oculos demonstrat, bovem sibi furto esse ablatum; saltem cutem sibi vindicat; an danda ei est?

d) Mercator quidam vini pretiosi quinque lagenas Carolo donare vult et mittit hoc donum per famulum conductum. Hic fefellit domum et Adamo vinum tradidit. Gavisus Adamus duas lagenas statim bibit, tres in caveam reponit; post aliquot dies detegitur error. Quaeritur, an Adamus ad restitutionem teneatur?

Solutio.

486. a) In praxi res cuni amita pacifice componi debet; oportet, ut Anastasius condonationem petat ab amita aut imaginem eiusdem valoris ei donet. In theoria Anastasius rem dono acceptam alteri donavit, sed quoniam donum aliud dare debuit, si imaginem non habuisset, factus est ditior, in quantum pepercit suis rebus; propterea debet aliquam restitutionem amitae facere.

487. b) Proprietarius potest vindicare rem suam, in cuiuscunque manibus existat, attamen in cultis societatibus non licet id facere propria auctoritate sed iudicis interventu. Non peccat Bonifacius contra iustitiam, si librum tradere non vult et Pafnucium ad iudicem remittit, utitur enim iure suo. Quia agitur de re minoris momenti, res debet sine iudice pacifice componi.

488. c) Joannes, qui bovem bona fide emit et vendidit, ad nihil tenetur, quia rem non habet. Neque Philippum ad restitutionem urgere fas est, quia bos naturaliter perit, ideo perit vero domino. Cutis debetur Ladislao et hic eam licite occupare potest, nisi Philippus ad viam iudicalem eum remittere velit; ratio est, quia Ladislaus est bovis proprietarius, emptiones autem et venditiones bovis fuerunt vitiosae.

489. d) Solutio clare ex principiis de possessore bonae fidei fluit. Quas consumsit lagenas, eius sunt; bona fide egit, propterea res naturaliter perit domino. Ex cavea vero alta voce clamant lagenae ad dominum mercatorem nec theologice conticescent, donec restituantur.

POSSESSOR MALAE FIDEI. (195)

a) Martinus per periurium in iudicio emissum in possessionem venit domus et agri; utrumque locavit; ast post 5 annos domus combusta est; nunc quaerit a confessario, an iudicis sententia innixus agrum retinere possit et num aliquam obligationem habeat, occasione domus combustae?

b) Michaël emit apud rusticum pretio 2 coronarum cochlearium argenteum. Suspiciabatur quidem rusticum quoad legitimam possessionem, sed quietatus est assertionem rustici, eum a domino quodam cochlearem dono accepisse. Inquietus Michaël rem aperit confessario.

c) Saeviente incendio invadit Franciscus officinam flagrantem et manducat varia comestibilia, alia autem aufert, quia, dicit, si ego istas res non surripuissem, in praedam flammis aut aliis hominibus cederent.

Solutio.

490. a) Martinus tractandus est, ut possessor malae fidei, etenim nihil prodest ei iudicis sententia, si periurio erat ementita. Debet restituere: 1) rem alienam exstantem i. e. agrum; 2) quoad domum distinguendum est: a) si combusta est in aliqua conflagratione universali, non potest imponi restitutio pro ea, quia dominus non in meliore esset conditione, si domum possideret; b) si combusta est in casu singulari aut ex eius culpa, tenetur Martinus eius aequivalens seu pretium domus restituere; 3) totum pretium locationis ex 5 annis tum domus tum agri pertinet ad dominum, quia res fructificavit domino (fructus civiles). Deducere tamen potest expensas necessarias et utiles, ut vgr. pro reparatione domus, pro tributis, assecuratione etc.

491. b) Michaël qua possessor malae fidei ordinarie tractari debet; quilibet enim prudens vir scit, cochlearem argenteum non donari rusticis et dein pretium eius esse iusto minus, quod etiam demonstrat, rem esse furtivam (Cod. austr. § 368); excipe, si extraordinaria adiuncta aliud iudicium formare cogerent. Michaël emendo cochlearem peccavit (forte leviter ob materiae parvitatem) et debet eum reddere aut furi, ut pretium recuperet, aut domino, si inveniri potest, etiam cum pretii iactura, aut, si

utrumque esset impossibile, pretium verum cochlearis erogare pauperibus pro domini benedictione.

492. c) Pro eis, quae Franciscus manducavit tempore incendii, ex multorum opinione nihil reddere debet; etsi enim res alienae ablatae sunt, tamen nemini damnum illatum est et praesumitur consensus domini, ut potius in utilitatem hominis, quam in praedam flammaram voracium istae res cedant. Lex tamen civilis eiusmodi facta severissime punit ad deterrendos homines a depraedationibus. Quae ex incendio salvavit, ad dominum clamant; non refert, quod in incendio res periissent, quia si exstant nunc, domini sunt; nec refert, quod alii surripuissent, quia etiam isti alii ad restitutionem tenerentur.

POSSESSOR MALAE FIDEI. (196)

a) Antonius arbusculam in horto vicini abstulit et apud se plantavit: per 5 annos fructus copiosos collegit ex ea.

b) Idem vitulum surripuit, qui nunc in bovem magnificum adolevit.

c) Gallinam Agatha clam surripuit vicinae et ex ea, ovis suppositis, pullorum gregem nacta est. Quaeritur, quid in casibus istis restituendum sit?

d) Gabriel post 20 annos confitetur, se 100 coronis in aliquo contractu Josephum decepisse; duos equos abstulisse, quorum alter phtysi mox consumptus est, alter vero casu periit, dum ligna e silva veheret. Confitetur Gabriel. Quid debet ei confessarius imponere?

Solutio.

493. a) In rigore principiorum deberet restituere non arborem identice eandem, quia transplantatio est periculosa, sed pretium arboris et partem fructuum collectorum, quatenus correspondent arbori (non solo), detractis expensis, si quas fecerit. Quia vero arbusculae et facile et parvo pretio emi possunt, ideo si damnificatus arborem habere voluit, posset sibi eam absque difficultate comparare, propterea sufficit, si pretium arbusculae reddit, addito forte aliquo parvo auctario.

494. b) Stricte loquendo deberet bovem reddere et lucrum perceptum cum damno cessante, deductis expensis; attamen in praxi omnino contentus potest esse et confessarius et propriarius, si vituli pretium cum aliquo fenore fur restituet (nimis rigore hunc casum solvit Gury, Cas. n. 616); fenus id debet esse notabile, si vitulus est ablatas pauperi agricolae, qui alium emere non posset, damnum enim emergens notabile pateretur. Jam ex hac ratione ei suaderi non potest, ut bovem reddat, ne prodatur furtum.

495. c) De gallina restituenda nullum dubium movetur sed de pullorum grege. Pulli, si rem stricte sumimus, debentur et gallinae et industriae humanae. Quoniam notabiliter praevalet labor humanus, ideo pro fructu industriali habentur, qui non est restituendus (Lehmkuhl, Cas. I. n. 654).

496. d) Sine dubio reddere debet Gabriel 100 cor.; si Joseph pecuniam otiosam teneret, quod hodie vix aliquando contingit, ad nihil amplius obligaretur Gabriel, quia nullum est aut damnum emergens aut lucrum cessans. Ordinarie obligandus est ad solvendum saltem legale fenus 5%. Equus, si talem dispositionem morbidam iam apud Josephum habuit, ex hoc vitio mox etiam apud dominum periisset; propterea excepto cutis valore parum pro ipso equo restitui debet. Quoad lucrum cessans et damnum emergens, i. e. emolumentum quod dominus percepisset, si equum apud se habuisset, etiam sub hoc respectu damnum resarciri debet. Quoad alterum equum ideo, quia longior erat eius vita, restitutio fieri debet exactior et quidem oportet taxare valorem equi et addere lucrum cessans et damnum emergens, deducere expensas etc.; quia hic modus calculandi est admodum difficilis, ideo faciliorem viam ingredi possumus, i. e. valori equi addere auctarium usuale.

POSSESSOR DUBIAE FIDEI. (197)

a) Fulvius, aurifaber, ab homine, quem pro non suspecto habuit, vasa argentea emit. Cum audiret de furto eiusmodi rerum ab eodem homine commisso, valde suspicatur et timet, ne furtiva emerit. Ut se subtrahat incommodis variis, res istas par-

fin vendit amico proficiscenti in terram remotam, partim conflavit ita, ut amplius constare non possit, utrum hae res furtivae fuerint an non.

b) Caius audit a famulo Adalberti, sibi ab eo legatum relictum esse; negat hanc assertionem filius defuncti; ut Caius brevi via rem componat, surripit 100 coronas, nam de tali summa famulus locutus est.

c) Gasparus libros a discipulo quodam emit sed cum gravi suspicione, an ad eum pertinuerint.

d) Dum solutionem acciperet, visum est ei, summam debito maiorem numeratam esse; tacuit, pecuniam in crumena cum alia miscuit, ita ut nesciat, an plus aequo acceperit.

d) Bona fide emit horologium a quodam sodali milite; postea vero ex variis indiciis probabilissimum ei videtur, horologium esse furtivum; nihil alicui dicit et demum militari servitio absoluto in remoto iam loco rem sacerdoti pandit.

Solutio.

497. a) Aurifaber peccavit vendendo rem qua suam, de cuius legitima possessione gravis suspicio emersit. Item peccavit conflando vasa in massam. Debet adhuc rem investigare, si dominum invenerit, reddendum ei est pretium vasorum, si res dubia remanet, ut possessor bonae fidei ab omni obligatione liber dici potest. Si propterea dominus inveniri nequit, quia per conflationem formam mutavit, saltem pro rata dubii restitutio ei est imponenda prouti infra sub e) dicitur.

498. b) Non licuit Caio 100 cor. auferre, quoniam certitudinem non habuit, eas sibi esse debitas; cum res dubia, melior est conditio possidentis filii.

499. c) Gasparus cum dubio possessionem libri incipit; si re mature investigata dubium perseverat; debet pro rata dubii reddere partem pretii probabili domino aut, si ignotus est, pauperibus.

500. d) In casu allato dubium est, utrum aliquod superfluum acceperit; cum factum ipsum non sit certum, propterea temerarium esset illud praesumere et ex hac praesumptione certam obligationem restituendi deducere.

501. e) Aut bona fide neglexit inquirere dominum aut culpabiliter id fecit; in priore hypothesis ad nihil tenetur, quia deficiente culpa, deficit obligatio restitutionis; si mala fide erat, seu dum in militia serviebat ex industria dominum quaerere neglexit, ita ut hic postea inveniri non posset, peccavit, et alii obligant eum ad aliquam partem restituendam, minorem quam dimidium valoris rei (s. Alph. I. 37); alii ad totam rem restituendam (Gury, 654); alii ab omni onere restitutionis eum liberant (Bucceroni, I. 1353; Noldin, 448); Lehmk urget, si determinata est persona, (Cas. n. 657). Id valet, si dubium post inceptam possessionem emersit; nam si possessionem praecessit, multi ut possessorem malae fidei eum tractant (Génicot, 534, V.; Lehmkuhl, Cas. 657); alii etiam in hoc casu ab omni obligatione liberant (Buccer. I. c.) Ob talem auctorum discrepantiam erraret confessarius, qui eum obligaret ad restitutionem aliquam; potest ei consuli, ut ob conscientiae tranquillitatem aliquam largiatur eleemosynam pro sua neglegentia in inquirendo domino.

VULNERATIO. (198)

a) Adalbertus cum Conrado ab altercatione ad rixam pervenit, in qua tam infelicer ei colaphum impegit, ut hic in terram corruerit et post tres dies e vivis discesserit, relinquens uxorem et duos orphanos. Ad quid tenetur Adalbertus?

b) Jacobus bibulum Petrum occidit; derelicta vidua mox aliud matrimonium init gaudens, quod morte liberata sit a tali marito. Quae obligatio incumbit Jacobo?

c) Caietanus scit, patrem suum occisorem Francisci, officialis, fuisse, qui debitis oneratus solutionem per mortem devitavit. Alia etiam damna ex hac morte evenerunt: ecce Franciscus reliquit uxorem, cui ex aerario publico pensio viduae solvitur, nec non pauperem aviam omni sustentatione destitutam ac amitam pauperrimam, quam Caietanus alere se obligavit pro subsidiis tempore studiorum praestitis. Quaeritur, quaenam sint in singulis casibus obligationes?

Solutio.

502. a) Quidquid iudex pro foro externo decreverit, Adalbertus in conscientia praestare debet; etsi enim forte intentionem occidendi non habuerit, tamen iudicis sententia obligat, quia factum occisionis adest et auctor eius certus. Coram Deo seu in foro conscientiae obligatio eius non potest latius patere, quam culpa seu eius intentio et damnorum praevisio (Lugo, VIII. 57; Elbel, VI. 214). Propterea imponi ei non potest onus restituendi pro expensis morbi aut obligatio sustentandi viduam et orphanos; haec enim omnia ex alapa per se non sequuntur, sed tantum per accidens, ergo neque in confuso praevideri possunt. Neque expensas pro funere resarcire debet, quia quilibet tales expensas sua morte causat; neque debet ex rigore iustitiae missas pro anima defuncti celebrari facere, quia hoc modo nullum damnum reparatur. Aequitas tamen postulat, ut succurrat pauperibus orphanis et viduae ac memor sit animae defuncti. Quid si ex industria occidisset? Deberet dare aliquam sustentationem viduae et orphanis, donec hi adoleverint et sibi providere valuerint.

503. b) Jacobus ad nihil tenetur et quidem ex duplici capite: α) quia vidua ad alias nuptias advolavit, quo defectum mariti sibi compensavit; β) supposito, quod in statu viduitatis permaneret, nullum damnum in re familiari patitur, etenim maritus potius dissipabat, quam congregabat.

504. c) Ex sententia communiore creditorum damna in similibus casibus per accidens eveniunt ideoque non sunt necessario reparanda ab occisore, nisi hic unice in hunc finem homicidium patrasset, ut debitores solutione privaret, (Marc, 954; Lehmkuhl, Cas. I. 705); neque viduae potest occisor omnia damna resarcire; ratio est, quia impossibile est omnia determinare. quae vidua per mariti mortem amiserit. Ideo vulgo statuunt auctores, sufficere dare pauperi viduae sustentationem; si ei provisorium est aut per pensionem ex aerario publico aut ex re familiari relictum, ipsa nullum aut parvum damnum patitur, ideo in his casibus nihil ei debetur. Neque, puto, tenetur occisor resarcire damna aerario publico aut associationi assecurationis, etenim et leges civiles et statuta associationis similes casus praevident et

nulla iura sibi vindicant. Amita pauper quidem est, sed nulla alia ac infelicitium creditorum sors ei assignari potest; damnum eius per accidens sequitur. Ne dicas, saltem respectum ad pietatem debere ei patrocinari; amita enim iam in gradu remotiore est posita, in quo pietatis obligatio et tituli ad sustentationem sunt minus stricti. Neque avis, neque parentibus occisi lex austriaca aliquam recompensationem decernit (§ 1327), tamen omnes theologi provocant ad strictum officium pietatis, quo quilibet tenetur suis parentibus in egestate constitutis subvenire, quod etiam cod. austr. § 154 agnoscit. Si hi omni subsidio destituuntur, occisor ad recompensationem tenetur, privat enim parentes sustentatione eis debita. Id statuitur de parentibus; nescio causam, ob quam eadem non valerent de avia, quae ab unico nepote suo sustentatur. Idem ius eius ac parentum, eadem ergo obligatio occisoris. Obligatio, si quae incumbit, occisorem gravat; in filium vero eius, Caietanum, obligationes transeunt tantum in hoc casu, si aliquod patrimonium haereditavit, secus non. Obligationes enim reales inhaerent bonis defuncti.

RESTITUTIO OB PECCATA LUXURIAE. (199)

a) Stanislaus ex militia redux a puellis, nuptias anhelantibus, circumdatur; carnaliter peccat cum duabus, cuilibet fidei matrimonium promittens; utraque gravida evasit. Petit a confessorio, quid sibi faciendum quoad matrimonium et paternitatis expensas tum ideo, quia utraque alium militem quoque infestabat, tum quia parentes eius matrimonio cum alterutra repugnant.

b) Ignatius post 5 annos ex America redux inopinate conspicit numerum domesticorum uno infante 2 annorum augmentatum. Uxor eius delictum confitetur, veniam ab eo petit et obtinet; Ignatius sustentat puerum; post mortem Ignatii comperit puer, Iosephus, suam spuriam originem et nescit, an adire possit haereditatem post patrem putativum, qui sine testamento mortuus est.

c) Ad Agatham agoniae proximam accersitur confessarius et audit ab ea, unum eius filiorum esse adulterinum et hoc eius conscientiam premere. Quid sacerdos consulere debet?

Solutio.

505. a) Plures obligationes onerare videntur Stanislaum, quas pedetentim explicare debemus. Primo quoad matrimonium. Si sub matrimonii promissione unius tantum copiam corporis obtinuisset, deberet eam ducere, sive promissio vera sive ficta fuerit, sive proles nata sit sive non; ex sententia communi damnum alio modo reparari nequit (Vindic. Alph. P. III. q. 16; Lehmkühl, I. 997). Debet enim aut contractum ex sua parte adimplere, si serio promittebat, aut, si decipiebat, deceptionem retractare. Si duabus serio promisit, tunc aut competeat ei ius resiliendi a prima aut non; si ius ei favebat, vgr. quia puella rem turpem cum aliis habuit, alios milites infestavit colloquiis et iocis turpibus, tenetur ducere secundam, etsi fecte promiserit. — Si nullum ius resiliendi habuit, tenetur ad priorem redire; altera enim promissio erat invalida, utpote de re illicita. Si utraque aemulabatur in captando Stanislao et ambae sciverunt, eum utriusque matrimonium promittere, etsi rigorose loquendo teneretur fidem servare illi, cui prius promisit, tamen puto, Stanislaum neutram ducere teneri; ratio est, quia ipsae infestant iuvenem et dein, quia quaelibet in his adiunctis deceptionem cognoscit; scienti decipi et volenti non fit iniuria. In foro civili puniretur ob seductionem (Cod. poen. § 506). Liberatur Stanislaus etiam ex hac ratione, quod puellae cum aliis militibus conversatae sunt et sufficit ei probabilitas de inhonesto actu patrato cum eis, ut ius resiliendi habeat; non est necessaria certitudo, haec enim in his casibus obtineri non potest.

Liberatur Stanislaus a matrimonio ineundo, num etiam ab oneribus patris? Si res ad iudicem defertur, hic certe condemnabit eum, si puellae demonstrabat, eum a 6. ad 10. mensem ante nativitatem prolis cum eis peccasse; puella, etsi ignoraverit, a quo gravida effecta est, potest in hoc casu uti beneficio iuris, quod ob bonum prolis statutum est. Attamen in foro conscientiae ante sententiam iudicis duplex casus est possibilis: aut Stanislaus peccando cum eis scivit, eas commercium turpe cum aliis iuvenibus habere, tunc tenetur ipse alimenta solvere, etenim ipse est causa incertae paternitatis; aut ignoravit, eas etiam cum aliis peccare, tunc ipsae puellae causant incertitudinem et proinde

ipsae solae onera sustinere debent. Excipe, si ambae vim pas-sae essent, tunc enim tenerentur vim inferentes pro sua parte et in solidum omnia damna reparare i. e. aut dotare aut ducere et prolem sustentare.

506. b) Ignatius, concedendo veniam uxori omnes difficultates breviter solvit.—Competebat ei ius reclamandi contra inscriptionem prolis in libris matricularibus sub suo nomine et tunc deberet uxor eius una cum adultero expensas educationis resarcire et Josephus ab haereditate arceretur. Si tamen isto iure usus non est, imo etiam veniam concessit, ipso facto condonavit omnem restitutionem ac Josephum ad partem patrimonii admisit. Quid si Ignatius iuris beneficio usus non esset ob suam ignorantiam? Tunc Josephus non posset adire partem haereditatis, nisi mater vellet filiis legitimis damnum ex suis bonis resarcire. In praxi raro contingit aliquem ad id adigere et ideo potius bona fide poenitens relinquendus est, ne pax familiae turbetur.

507. c) Agitur hic de restitutione praestanda marito, ob alimenta praestita et de periculo removendo, ne maritus putativo filio relinquat haereditatem cum ceterorum filiorum dispendio. Si sua bona habet Agatha, conficiat testamentum et maiorem portionem assignet filiis legitimis. Per hoc iam ipse maritus indemnissatur; nam ipse praeferret ad taxas et formalitates vitandas hunc procedendi modum, quam si ipsi aliquid titulo tacitae restitutionis legaretur.—Excipe, nisi adiuncta specialia aliud suadeant. Si timet, ne ob disparem divisionem rixae inter familiam oriantur, praestat ab hac inaequali divisione abstinere; si restitutio fieri nequit, quin se prodat mulier, ab ea facienda excusatur.

RESTITUTIO OB TRIBUTA ET OCCASIONE MILITIAE. (200)

a) Fatendo bona sua pro tributo personali, Adolphus capitalia reticet. Censum vero ex domo perceptum deprimit ad medietatem. His artibus 50 coronas lucratur, etenim tributum inferioris classis ei imponitur. An possit esse tranquillus in conscientia?

c) Lucas, teloniator, pro dono accepto dissimulat merces portorio obnoxias; aerarium publicum ex hoc iacturam patitur 80 coronarum.

c) Casimirus, dum prima vice conscriptioni se sisteret, medicum corrumpit, ne militiae adscriberetur; altera vice per intercessionem personarum sibi amicarum liberatur; in tertia denique classi potum sumsit, quo cordis debilitatem finxit. Itaque validissimus iuvenis ad arma ineptus declaratur. Quaeritur, ad quid in conscientia obligetur?

Solutio.

508. a) Theoretice omnino clarum est, tributa in conscientia esse solvenda; ratio est, quia gubernium habet ius ea imponere ad bonum publicum promovendum, subditorum vero est leges observare; tum deinde quod quilibet civis fruitur beneficiis ex eo, quod in societate ordinata vivit, propterea fas est, ut ad expensas quoque contribuat. Non adest tamen consensus theologorum de obligatione in conscientia in praxi, varia quoque est persuasio et praxis civium in variis statibus. In nonnullis regionibus flocci faciunt reatum coram Deo, conscientiam fiscalem non agnoscunt; in aliis strenue et conscientiose leges tributariae observantur. Quare »oportet, ut mores suae quisque regionis sequatur«, (Vermeersch, Quaest. de iust. n. 127), nam etiam gubernium dum imponit tributa, eorum quantitatem secundum morem fatendi et solvendi determinat.—Quoad capitalia nemo scrupulum sibi ingerit, si ea non fatetur, quoniam si parva sunt, gubernium ea non curat, si maiora suspicantur officiales, ipsi ex indiciis eorum quantitatem et proventus ex iisdem determinant. Quoad census locationis nemo inquietatur, si minores fatetur, quia officialibus patet via ad habitationem taxandam; si id facere renunt, recte praesumitur intentio legis: non nimis premere cives. Lehmkuhl, qui in legibus tributorum (l. 984) inter severos numeratur, iniustitiae reum dicere vetat eum, qui in declarandis bonis infra valorem rerum haeret; Vermeersch l. c. dicit »ob receptum morem, ne mendacii quidem reatum inesse declarationi inferioris pretii.« Confessarius negotium Adolphi dissimulet et ad restitutionem non obliget; iubeat, si interrogatur, facere, quod alios cives facere videt.

509. b) Lucas in telonio sedens ratione officii sui tenetur invigilare, ne cives merces invehant, ideo debet reparare damnum, quod aerarium publicum patitur. Id valet de omnibus exactoribus cuiusvis generis tributorum. A fortiori id valet de Luca, quia pecunia correptus est. Facilius ei indulgere confessarius posset, si ageretur de mercibus, quas quis in parva quantitate in proprium usum transveheret. In defectu Lucae obligatio restitutionis incumbit defraudatoribus tributorum, sunt enim cooperantes ad eius iniustiam.

510. c) Obligatio militandi tributum sanguinis nominatur et iisdem legibus regitur; imo leges militiam concernentes eo facilius pro poenalibus habentur, quia in regionibus ense adiunctis vulgo deest patriotismus in cordibus civium et proinde difficile est persuadere civibus de obligatione in conscientia. — Difficultas aliqua adest ex eo, quod cum numerus militum a comitiis regni determinatus sit fixus, vocantur ad castra aut ex subsidiaria militia aut alii, ut occupent locum eorum, qui fraudibus arma effugiunt. Tamen communior sententia excusat a restitutione erga vocatum ad arma, quia a) defraudatio est occasionalis non efficax causa, cur aliquis vocetur, (Marc I. 973); b) quia quilibet idoneus ex lege militare debet; c) quia vulgo ignoratur iuvenis, qui vices suppleat.

Casimirus in nullo quidem casu ad restitutionem tenetur, sed certe graviter peccavit in primo casu corrumpendo medicum aut aliquem officialem, id enim apud publicas personas pro gravi reputatur. Medicus peccavit: 1) ratione corruptionis; 2) ratione violati officii sui, quod ex lege ei incumbit, ut idoneos conscribat; id valet, si Casimirus est omnino idoneus, sanus et nullam causam habet aut ex parte suae personae aut familiae, ut a militia excusetur; ratio est, quia horum numerus non est copiosus et hi certe et absolute ad arma tenentur. Si autem Casimirus aliquo defectu laborabat, ita ut eius idoneitas dubia esset, et cum isto defectu iuvenes militiae aggregantur aut dimittuntur, aut si aliquae rationes mitiorem legum applicationem suadebant, non violavit officia sua medicus, aut militiae praepositus, in dubiis enim libertas adest et in legibus applicandis aliqua epikeia semper admittitur. Ad restitutionem autem medicus non tenetur, neque erga rem publicam, quae determinatum numerum

militum habet, si non ex hoc districtu, certe ex alio; neque erga aliquem iuvenem conscriptum, qui alioquin esset liber, quia omnes idonei ad militandum tenentur; inter dubie idoneos competit officialibus libera electio.

Quoad secundam classem, distinctione facta inter absolutam et dubiam idoneitatem ut supra, statuimus, delinquere contra officia sua medicum, qui omnino idoneum dimittit et per se peccare cooperatione, qui eum ad hoc precibus adducit; in casu dubiae idoneitatis dicendum est ac in casu praecedenti. Quia personis petentibus absoluta idoneitas vulgo ignota est, ideo semper licet petere, ad medicum vero et officiales pertinet, secundum suam conscientiam et suas leges rem diiudicare.

Quoad tertiam classem peccavit Casimirus contra V. decalogi praeceptum corrumpendo sanitatem, peccavit contra veracitatem adhibendo mendacia, sed ratione solius violatae legis militaris, utpote mere poenalis ex communi persuasione, peccati gravis reus non apparet.

COOPERATIO. (201)

a) Sophia confitetur, se ex iussu heri, Jacobi, vaccas in prato alieno pascere, se nolle quidem in facere sed cedere Jacobo, qui irascitur et ei dimissionem minatur.

b) Nicolaus, auriga, dum Augustini, heri, iussu equos in silva aliena pasceret et custodem silvae conspexerit, arripuit fugam, ast tam infeliciter, ut ceciderit et tum ipse tum equus pedem fregerit. Quaeritur, ad quid Augustinus erga Nicolaum teneatur?

c) Casimirus pro 10 coronis conduxit Petrum, ut colaphum impingeret determinato cuidam inimico. Petrus rem perfecit sed tam infeliciter, ut homo laesus manum ei fregerit, propter quod Casimirus ad laborem ineptus evasit. Quaeritur, an Casimirus damna Petro resarcire debeat?

Solutio.

511. a) Jacobus est mandans, Sophia mandataria; obligatio restitutionis incumbit mandanti Jacobo, quod clarum est; hoc

deficiente, mandatariae Sophiae; illius enim iussu et in illius utilitatem damnum inferitur. Haec tamen, ut vidimus, invita damnum inferre videtur. Sub hoc respectu aestimari debet, ut participans in actione iniusta; excusaretur a peccato et consequenter a restitutione, si ageret ex timore alicuius gravissimi damni ei imminenti ex dimissione e famulatu. Id tamen ordinarie non evenit, tum ideo, quia famula nostris temporibus potest facile alium famulatum invenire, tum quia potest hero resistere et minitari denuntiationem faciendam vicino aut syndico. Sola ratio, quod ob talem inobedientiam aliquatenus durius tractaretur, eam a peccato non excusat. In praxi famuli ratione paupertatis liberari possunt in similibus casibus a restitutione, non a peccato, heris vero haec obligatio absolute imponi debet.

512. b) Secundum dicta in casu superiore Nicolaus hero resistere et potuit et debuit. Si nihilominus damnum iussu heri intulit, tenetur secundo ad damnum reparandum, i. e. in defectu heri. Hero autem non potest imponi obligatio, ut famulo pro pede fracto solvat, et quidem ideo, quoniam damnum hoc non praevidit, per accidens enim evenit. Neque famulus pro equo respondere potest, infortunium enim equi adscribendum est casui, quem forte Deus admisit aut causavit, ut poenam pro peccato. Quid si Nicolaus tam imprudenter aufugeret, ut pulmonum inflammationem pro equo iam timeret et equus revera periret? In casu tam aspero Nicolai stultitiae et culpa infortunium adscribendum esset.

513. c) Non tenetur et quidem ex hac simplici ratione, quod Petrus mercede erat conductus et totum negotium peragendum in se suscepit, itaque omnem casum fortuitum ipse quoque subit.

COOPERATIO. (202)

a) Caius, sacerdos, quibusdam libris medicinalibus perlectis, medicamenta aegrotis praescribit cum vario successu. Nuper ad Henricum graviter decumbentem advocatur et praescribit aquam frigidam, post quam morbus gravissime invaluit. Accersitus medicus declarat, aquam frigidam morbo maxime nocuisse.

Caius quaerit a confessario, an teneatur ad restitutionem ob maiores expensas curationis, quas Henricus subire debuit?

b) Quo vadis domine? interrogat Petrus, fur, Paulum, amicum, properantem. Furari frumentum, reponit Paulus. Ad hoc Petrus: Vade in pace, prospere tibi procedat. An teneatur Petrus ad restitutionem?

c) Apud Stanislaum deponunt famuli aulici fenum furtivum, ut opportuno tempore illud vendant. Stanislaus libenter id permittit, nam pro deposito aliquod procentum aut saltem creatum lucratur. Aliqua occasione prodit rem confessario, a quo increpatur et ad restitutionem obligatur. Miratur Stanislaus, quia, ut ait, nunquam aliquid surripuit.

Solutio.

514. a) Caio confessarius interdicat medicinae exercitium in morbis acutis, quod et Ecclesiae et reipublicae legibus conforme est. Num Caius teneatur ad restitutionem ob damnum ex sua ignorantia causatum, id dependet a statu eius mentis, quando aquam frigidam applicare iubebat. Si certus erat et de morbi genere et de medicinae efficacia, non peccavit; damnum imputet sibi Henricus aut adstantes, si non medicum sed sacerdotem in his causis consulebant. Si Caio dubium obveniebat circa morbi speciem aut medicamenti efficaciam, ab onere restitutionis non posset excusari, quia scientiam simulabat et decipiebat.

515. b) Petrus praeter reatum culpaе contra iustitiam, quod pravum alterius consilium approbavit, non contraxit obligationem restitutionis, quia approbatio eius aut gratulatio non erat causa efficax damni; Paulus iam erat determinatus ad damnum inferendum.

516. c) Stanislaus errat, cum iudicat, eum tantum esse furem, qui immediate furatur; ipse enim qua receptans fovet furta, si non vis eum participantem appellare. Prima eius obligatio est, abrumpere societatem cum famulis et non potest absolvi, donec promiserit, se expresse eis id explicaturum esse una cum admonitione faciendae restitutionis. Ad restitutionem tenentur primo famuli, ut executores et pecuniam pro feno consumentes, in eorum defectu Stanislaus, ut positive cooperans. Quid de

pretio pro recursu praestito? Hoc debet aestimari tanquam pars praedae et restitui.

COOPERATIO. (203)

a) Carolus, ut lictorum insequentium manus evadat, incidit in domum Cornelii amici; hic monstrat ei portam secretam, qua evadit in aliam plateam et disparet. An Carolus teneatur ad restitutionem?

b) Casimirus qua invigilator aggerum aedificandorum constituitur. Ab iis, quibus negotium aedificandi concreditum est, multas defraudationes fieri videt tum in rationibus, tum in materiali. Imo architectus iubet Casimirum falsas rationes scribere, pro quo negotio qualibet hebdomada aliquam pecuniam ei dat et minatur dimissionem, si non obtemperaverit aut vel verbo rem prodiderit. Initio obsecutus est, postea conscientiae stimulis agitatus quaerit, quid sibi faciendum sit?

Solutio.

517. a) Prudentissime distinguit Carrière (De iust. III. 1191): »Si fur quaeratur ad solam poenam sine respectu et spe recipiendi ea, quae abstulerat, tunc eum occultans vel ostendens modum evadendi non tenetur de ablatiis«. Si spes aderat rem ablatam recuperandi vel furem cogendi ad restitutionem et eum occultando fit, ut cum re furtiva aufugiat vel restitutio obtineri non possit, talis occultans tenetur ad restitutionem. Cornelius interrogandus est, an sciverit, furem cum re ablata fugere et, si scivit, num eum admonuerit de re restituenda. Si hoc posterius negat, debet pro eo restituere, etsi affirmaverit, se noluisse furem adiuvare; etenim quod verbis affirmat, factis negat. Si vero ita repente res processit, ut Cornelius nihil comperire posset, ad nihil obligatur, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.

518. b) Casimirus ex officio debet invigilare et rationes scribere vel approbare: propterea si solummodo sileret, esset, ut »mutus«, reus neglegentiae in suis officiis adimplendis et restitutioni obnoxius; sed hic est participans in actione iniusta per

positivam actionem et quidem immediatam. Propterea »metus similis damni in propriis bonis« (Marc 987), cooperationem hanc licitam reddere nequit. Casimirus debet restituere partem, quam accepit, ut participans in praeda, et quia ab actione eius etiam illatio omnium damnorum dependebat, incumbit ei obligatio restitutionis in solidum. Prouti s. Alphonsus notat, raro poenitentes de solidaritate monendi sunt, quia non obtemperabunt monitioni confessarii. Sacerdos debet iniungere Casimiro, ut architecto dicat, se non posse eius postulatis satisfacere, etsi poena dimissionis eum exspectaret.

COOPERATIO. (204)

a) Adalbertus, rusticus, videt uxorem suam butyrum falsificatum in urbem portare et vendere; subridet et nihil dicit contra femininas fraudes.

b) Filius eius decennis fenestram pictam in ecclesia proiecto lapide fregit; damnum reparare recusat pater, quia, ait, neque vidit, neque filium iussit tale damnum inferre. An recte iudicet?

c) Silet, quando filii eius inpuberes ova ex vicina domo surripiunt et comedunt in propria.

d) Horreum cuiusdam rustici combustum est, frustra damni autor quaeritur; scit eum solus Adalbertus, quia filiulus eius 4 annorum ipsi narravit, se ignem supposuisse. Adalbertus altissimum silentium ei imposuit. Quaestio enascitur, an obligatus sit in conscientia ad damnum reparandum?

e) Adalbertus Tityro pastori gregem custodiendum commiserat. Cum Tityrus obdormivisset et alia vice a sociis nugantibus ad arborem invitatus alligatus esset, grex agrum Hilarii in utroque casu vastavit. Hilarius vaccas in pignus reparandorum damnorum abduxit. Denegat quid solvere Adalbertus, quia, dicit, ipse innocens est.

Solutio.

519. a) Adalbertus, ut maritus, debuit corripere uxorem, ut eam a peccatis averteret. Quisnam enim uxori proximior ma-

rito? Si id omisit, laesit charitatem erga eam. An etiam violaverit iustitiam, ita ut ad restitutionem obligatus sit? Negative est respondendum, quia non tenetur invigilare ex officio, ne uxor aliis damna inferat. Si vero uxorem adiuveret aut incitaret verbis ad eiusmodi fraudes, violaret iustitiam commutativam qua consulens vel palpo.

520. b) Pro filio decenni, qui usum habet rationis, reparare damna pater non debet ante iudicis sententiam. Id faciet filius, cum adoleverit. Si tamen scit, parochum certe ad iudicem eum delaturum esse, potest cogi ad restitutionem etiam ante sententiam iudicis, si causa clara est, et quidem ideo, ut expensae superfluae et iurgia evitentur; in foro enim civili facillime condemnabitur pater ad damnum reparandum.

521. c) Ut solutio clarius pateat, distinguere oportet inter furtum unicum, exceptionaliter factum, et furta pluries repetita. Si filii semel surripuerunt ova, pater autem siluit imo eadem domi coquere et consumere permisit, eo ipso violavit officia patris; eius enim erat filios admonere, castigare, restitutionem iubere et non permittere, ut domi ova coquerent et consumerent. An violaverit iustitiam? Respondendum est affirmative; et quidem non propter silentium simpliciter, sed propter taciturnitatem loquacem, qua permisit res ablatas praeparare et consumere, aestimandus est ut receptans et in filiorum defectu ad restitutionem obligatur, etsi nullum ovum deglutierit. Si filii pluries furta committunt, silentium patris non aequivalet silentio personarum extranearum, nam pater ex pietate debet corripere peccantes filios; taciturnitas parentis incitat filios ad damna inferenda; ideo sive consulentem sive palponem eum appellare vis, a participatione in iniuria commissa immunem dicere non potes. Ex dictis patet, Adalbertum in omni casu esse ad restitutionem obligatum.

522. d) Etsi Lehmkuhl (I. 1014), Göpfert (II. 168), Génicot (I. 547), sine restrictione patrem obligant ad restitutionem pro damnis ab infantibus ante 7 an. illatis et hunc casum tractant qua exceptionem a generali regula, quae dictat, parentes non teneri ad reparanda damna a filiis illata, tamen s. Alph., Marc, Bucceroni, de hac exceptione nihil sciunt. Hi posteriores generali principio innituntur, secundum quod deficiente culpa theologica,

deficit obligatio restitutionis. Puto, nullum esse pro exceptione fundamentum; si pater filio non invigilavit cum ordinaria diligentia, certe tenetur de damnis ab infante illatis; si non obstante vigilantia ordinaria infans damnum causavit, id casui adscribi debet. Eadem habet cod. austr. § 1309, ubi damnum reparandum iubetur ab eis, qui vigilantiam neglexerunt. Propterea de casu narrato puto, Adalbertum posse esse quietum.

523. e) Quoad priorem casum distinguendum est inter forum conscientiae et forum externum. In foro interno obligari non potest ad reparanda damna illata propter pastoris somnum, quia non ex eius culpa secuta sunt; excipe si scivisset (vgr. ex experientia), pastorem esse omnino ineptum ac officio suo imparem et nihilominus ei gregis custodiam commisisset. Ipse pastor peccavit contra iustitiam, si ex incuria somno se commisit; si inopinate id ei accidit, liber est a culpa. In foro tamen externo defectus culpae theologicae Adalbertum non iuvabit; Hilarius non reddet vaccam, nisi damno reparato aut post iudicis sententiam. In altero casu neque in foro externo neque interno ad aliquid obligari potest, quia deerat pastori libertas. Damna reparanda sunt ab eis, qui pastorem alligaverant.

COOPERATIO. (205)

a) Francisca, cubicularia, interrogat confessarium, quid sibi faciendum sit in causa sequenti: pluries vidit Annam, coquam, falsos calculos pro hero componere, imo amasium eiusdem lagenas vini pretiosi, sub Annae custodia relictis, surripere. Confessarius, qui nuper eiusmodi furta in sua domo detexit, irritatus, obligat Franciscam ad restitutionem; an recte?

b) Augustinus cernit, fabrum murarium magnopere decipere in lateribus et labore Franciscum, vicinum, cuius domum aedificat; admonet fabrum et Francisco eum denuntiare minatur, sed mox conticescit, quando 50 coronis os eius a fabro clausum est.

Solutio.

524. a) Franciscae et in genere omnibus servitio addictis ex sententia probabilissima non incumbit officium custodiendi

bona heri contra domesticos, nisi haec cura eis specialiter commissa sit, sive stabiliter ut eoconomus, custodi silvarum, sive ad tempus, quando herus vgr. domo exit et famulae custodiam relinquit. Propterea Francisca nequit obligari, ut muta, ad restitutionem pro furtis coquae eiusque amasii, non enim peccavit contra iustitiam commutativam. Neque confessarii ira furtorumque frequentia legitimus fons talis obligationis esse potest. Minus recte egit confessarius et, nisi bona fides eum excuset, ipse, ut consulens, debet damna resarcire Franciscæ, supposito quod scit, Franciscam restituisset. Confessarius debuit mandare Franciscæ, ut admoneat coquam privatim, dein ut minaretur denuntiationem; si haec non sufficerent, debuit ex charitate rem hero deferre attamen sub duplici conditione: 1) si agebatur de damno gravi; 2) si absque incommodo id facere potuit. Ratio primi est, quia in furtis minoris momenti ipsi heri praeferunt silentium; ratio secundi, quod charitas cum incommodo magno non obligat.

525. b) Augustino nullum officium incumbit invigilandi aedificio Francisci; quia tamen videt, damnum inferri vicino, debuit illud impedire ex charitate, monendo Franciscum, ut sibi caveat. Magnum incommodum excusaret eum ab hoc officio boni viri. Omittendo monitionem non deliquit contra iustitiam, propterea non est obligatus ad reparanda damna Francisco a fabro iniquo illata.— Coronas 50 pro silentio obtentas retinere potest; non enim eas accepit, ut fabrum in damno adiuveret, sed ut reum non denuntiaret. Talem vero pecuniam retinere licet secundum principia de contractu circa rem turpem.

CUI RESTITUENDUM? (206)

a) Paulus confitetur, se iudaeo mercatori 50 coronas surripuisse; obiurgatus a confessario paratum se ostendit ad restitutionem, attamen non vult iudaeo eam facere sed incolis loci, quia, ait, iudaeus defraudavit multos incolas in mercibus. An confessarius id approbare possit?

b) Petrus e castris socialistarum ad meliora rediens, confitetur, se aerarii custodem fuisse et abstulisse 50 coronas ex communi eorum cassa; quaerit nunc, cuinam restituere debeat?

c) Marcus confitetur, se per unum annum in associatione (cassino) globulis eburneis cotidie lusisse et titulo taxae loco 40 halleriorum duos parvos nummos in pixidem proiecisse, ita ut associatio damnum circa 10 coronas passa sit. Quaerit nunc, cui restituere debeat?

d) Stephano, confessario, committit poenitens omnino ignotus munus restituendi 100 coronas Adalberto N. in pago X. Confessarius mittit pecuniam per postam; ecce obtinet responsum, duos esse homines eiusdem nominis et cognominis. Quid facere debet?

Solutio.

526. a) Ut casus recte diiudicetur, distinguendum est: aut Paulus certe scivit, iudaeum defraudasse emptores alicuius loci, aut solum ex praeconcepta opinione vel ex communiter contingentibus iudicium sibi formavit. In priori casu non peccavit, si in genere incolis loci restituit, qui apud iudaeum emere solent; valet enim in foro interno restitutio facta creditori creditoris; iudaeus est creditor relate ad Paulum, sed debitor relate ad defraudatos, qui pro eo inviti creditores sunt; nulla ergo fit ei iniuria, si debita iudaei ab aliquo solvuntur. In altero supposito non licuit sic facere, quia praeconcepta opinio non dat fundamentum sufficiens ad habendum determinatum iudaeum pro defraudatore. Haec solutio valet solummodo pro foro interno; in foro enim externo iudaeo ius adscriberetur, quia maxima inordinatio sequeretur, si id indiscriminatim permissum esset.

527. b) Quoniam socialistarum associationes vulgo moraliter malae sunt ac ideo nullum ius in foro interno habent ad bona possidenda, ideo non cassae associationis, sed ipsis membris restitutio fieri debet. Cum autem magnopere numerosae sint personae laesae et singulis levissimum damnum illatum, expedit ex eorum praesumpta licentia pecuniam in causas pias erogare, praesertim in operariorum utilitatem.

528. c) Sufficit, si Marcus in pixidem associationis pecuniam defraudatam immittit, aut qua anonymus benefactor prae-

sidi dictam summam dat. Laesa est enim persona moralis nota. Attamen posset evenire casus, quo membris associationis restitutio fieri deberet et quidem si ob aliquam gravem defraudationem associati coacti essent ad expensas extraordinarias pro associatione sustentanda faciendas. Id valet potius in theoria, nam in praxi associati iuste praesumuntur resignare huic restitutioni in favorem associationis.

529. d) Si poenitens est notus, oportet eum interrogare aut in proxima sacramentali confessione aut extra confessionem, obtenta prius ab eo licentia. Si ignotus est, debet confessarius aliquo modo comperire, uter eorum damnum passus sit, consideratis circumstantiis loci, actionis iniustae etc. Si certitudinem moralem acquirere non valet, 200 cor. inter utrumque Adalbertum dividat, dominus enim dubius est inter paucos.

RESTITUTIO. (207).

a) Martinus bonorum cessionem facere intendens, Berthae, filiae suae, 200 coronas et monilia aurea largitur; filio suo, Romano, maximam partem bonorum vendit, sicque e creditorum manibus eripit et in propria familia servat.

b) Marcus debitas defuncto Paulo 500 coronas non restituit eius filio, quem odio prosequitur, sed pauperibus. Rem aperit confessario; hic talem restitutionem non agnoscit, sed ut allevetur Marco, compositionem a S. Poenitentiaria petit. An eam obtinebit?

e) Catharina, famula, quae 5 coronas domino suo surripuit, confessario restitutionem ei mandanti reponit, se nihil habere praeter salarium 60 coronarum. Quomodo facere debet restitutionem?

Solutio.

530. a) Martinus graviter peccavit contra iustitiam, largiendo dona filiae et vendendo bona Romano cum damno creditorum; istae artes, etsi aliquando lucem et vigiles iustitiae oculos effugiunt, tamen in conscientia iniustae fraudes manent. In foro externo omnes alienationes ab uno anno ante cessionem bonorum factae irritari possunt.

531. b) Non; ratio est, quia s. Poenitentiaria ex parte remittit obligationem restitutionis tunc tantum, quando dominus ignotus est; in casu autem narrato dominus est notus, nempe haeres Pauli, cuius ius per compositionem laederetur; circumstantia odii nullo modo influit in obligationem Marci.

532. c) In genere in quantum possibile est, urgenda est restitutio a confessario: si poenitenti impossibile est dare totam summam una vice, faciat restitutionem per partes, domino vel pauperibus vel causis piis, vgr. quando in ecclesia collecta instituitur. Si prouti in casu Catharina pecuniam dare non potest, quia 60 cor. vix pro vestitu ei sufficiunt, saltem labore assiduo et diligenti domino aliquo modo damnum reparet. Si etiam in aliquo casu hoc quoque esset impossibile, vgr. ob distantiam loci, imponatur oratio. Oratio non est quidem medium aequivalens, tamen id saltem efficit, quod poenitens furtis non assuefit. Oratio imponenda est paesertim impuberibus, qui vulgo a restitutione ob impossibilitatem excusantur, tamen maximum eis periculum imminet, ne, a minimis incipientes, ad magna perveniant.

RESTITUTIO. (208)

a) Paulo, confessario summa 20 et alia 30 coronarum data est a Caietano poenitente, ut damnificatis restituat. Seposuit 20 coronas in scrinio, ut tempore opportuno rem perficiat; 30 coronas per postam misit. Sed ecce duplex infortunium evenit: fur 20 coronas noctu abstulit; officialis postae 30 coronas defraudavit, ipse vero Paulus apocham (recepisse) amisit. An teneatur restituere?

b) Martinus arborem in silva camerali cecidit et domum portat; magnopere sub onere ingemiscientem cernens Jacobus, adiuvat eum suo brachio. Quaeritur, an ad restitutionem teneatur Jacobus?

c) Romanus iussu confessarii pauperibus pecuniam erogavit pro damno illato Petro, quia hic mortuus est in America. Sed ecce post 5 annos revertitur Petri filius; haeret nunc anceps Romanus, an denuo restituere debeat?

Solutio.

533. a) In utroque casu pecunia absque culpa confessarii perit. Supponimus enim, eum observasse ordinarias cautelas, necessarias in pecunia custodienda, propterea confessarius liber est ab onere restitutionis. Sed quid dicendum de poenitente? An iste quoque liberatur? In genere possessor malae fidei omnia rei alienae pericula in se suscipit et a restitutione non manet liber, donec efficaciter dominum indemnem reddiderit (Alph. IV. 704) Dominus vero fit indemnus, quando rem aut pecuniam obtinet ipse vel persona ab eo designata; propterea si res in via perit, debitori perit. Ex eo sequitur, quod Caietanus ad restitutionem tenetur, si scit, eam a confessario non fuisse peractam. Attamen non desunt auctores, qui contrariam opinionem tuerentur in casu, quo per confessarium res restituitur. Et non sine ratione. »Confessarius enim e consensu damnificati rationabiliter praesumpto designatus est ad eius negotia gerenda« (Génicot 554); ideo creditori res perit non debitori, si apud confessarium perit. S. Alphonsus hanc sententiam primo defendebat (n. 704), sed postea retractavit (retr. 3) et absolute ad restitutionem obligat debitorem ex delicto.

534. b) Quoniam actio Jacobi non erat necessaria ad damnum inferendum, ut ex casu elucet, hic non potest obligari ad restitutionem in solidum absolute sed tantum conditionate, ut cooperans in actione positiva, i. e. obligatio restitutionis incumbit Martino furi, Jacobo tantum in defectu prioris et cum iure regressus ad eum. Si Jacobus videt, Martinum ad poenitentiae sacramentum accedere, licite concludere potest, eum obligationi suae satisfacisse vel brevi satisfacturum esse. Damnum illatum est in silva camerali, propterea restitutio fieri potest aut aerario publico per combustionem notarum pecuniariarum, timbriorum postalium, aut sufficit pecuniam erogare pauperibus aut ecclesiae, cuius gubernium iure patronatus gaudet.

535. c) Non; et ratio est, quia quilibet acquiescere praesumitur tali restitutioni, iussu confessarii factae. Excipe, si afflueret spes aliqua videndi haeredem Petri, tunc deberet Jacobus confessario rem aperire. Si hoc facere neglexerit, rigore loquendo debet denuo restituere.

RESTITUTIO. (209)

a) Mathias varias iniurias commisit, quarum in confessione ita se accusat: α) surripui quidem poma terrae sed oravi pro domino; β) quater equum furatus sum et qualibet vice a confessario admonitus restitui pretium; interrogatus, curnam furetur et restituat, non vero emat equos, respondet, se praeferre furari quam emere, quia cum emit, cogitur dare pretium, quod expostulatur, si furatur, ipse taxat bestias et secundum suam aestimationem solvit.

b) Carolus in via ferrea plures fraudes committit: α) soluto pretio pro curru classis III. proficiscitur in classe II.; β) a fratre suo, cui ut officiali competit privilegium proficiscendi pretio diminuto, sumit schedulam et personam fratris fingens taxam minorem pro tessera solvit; γ) documento, quo collegae eius diminutum est pretium tesserae et quo collega usus non est, ipse utitur; ipse vero libellum supplicem mittere suo nomine neglexit, etsi easdem causas ac collega eius allegare posset. Quid ad singulos casus?

c) Coram Gasparo, iuniore sacerdote, Adalbertus confitetur furtum 10 coronarum; increpat eum confessarius et restitutionem urget; tota admonitione patienter audita, reponit Adalbertus, istud furtum iam ante 5 annos patratum esse et se ex confessarii iussu id peccatum semper repetere. Interrogatus, curnam non restituat, reponit, se semper oblivisci huius obligationis. Quid facere debet confessarius?

Solutio.

536. a) Falso saepe putant rudes, sufficere loco restitutionis orare pro patiente damnum ac si oratio esset bonum eiusdem speciei ac bona materialia. Oratione stricte loquendo iniuria non reparatur. α) Mathiam igitur instruere debet confessarius et modum rectum restitutionis suggerere. β) Calculus Mathiae magnopere vituperandus est, nam abstrahendo a damno spiritali, quod animae suae infert, non potest dici immunis ab iniuria, quam infert dominis, taxando equos et restituendo pretium certe infra eorum valorem. Debet nunc restituere, in quantum alios defraudavit.

537. b) Via ferrea nullum capitur damnum ex eo, α) quod Carolus commodiore classe utitur in suo itinere; propterea ad nullam restitutionem obligari videtur; transgressus est solummodo praescripta directionis viae ferreae, quae non obligant in conscientia. β) In altero casu apertam fraudem committit, ideo nequit liberari a restituendo pretio. In Caroli defectu obligatio developitur in eius fratrem officialem, nam obligatio est in solidum conditionate. γ) In tertio casu contra leges quidem egit, quae ventant cedere talia documenta; tamen quia ipse quoque posset diminutionem praetii obtinere, si peteret, non peccat contra iustitiam, utendo documentis collegae sui, nullum enim damnum infert.

538. c) Si poenitens damnum illatum reparare non potest, nec in praesenti nec in futuro tempore, confessarius aperte id declaret poenitenti et orationem pro damnificato iniungat. Si adiuncta monstrant, poenitentem aut statim aut postea restituere posse, confessarii saepe iniungunt rudibus, ut in sequenti confessione dicant, an obligationi huic satisfecerint, aut iubent poenitentes tam diu peccatum confiteri donec restituant. Theoretice haec praxis sustineri nequit: si enim poenitens peccatum semel confessus est, non tenetur illud repetere cum culpa iam deleta sit; ita quoque si restitutionem facere inculpabiliter omisit, non peccavit et deest ratio, cur id in confessione confiteri debeat.

In hoc tantum casu obligatio ei incumbit rem in confessione denuo profiteri, si restitutionem culpabiliter omisit, tunc enim novum peccatum commissum esset, clavibus Ecclesiae subiiciendum. Nihilominus si agitur de rudibus, praxis haec commendari potest tum ideo, quia rudes restitutionem saepe parvipendunt, erronee persuasi, ac si nuda confessio peccati iam sufficeret ad delendam iniustitiam, tum quia neglegentes sunt in hac obligatione adimplenda. Prudentia tamen istam praxim dirigere debet; ratio enim habenda est pudoris, quocum coniuncta est nova confessio furti, nec non periculi peccandi ex conscientia erronea: et quidem qui restituere non valent, possent putare, se in continuo peccato mortali versari, quod dein reticent et ita sacrilegiorum rei evadunt. Quoad dilationem restitutionis nimis laxa videtur opinio Noldin (503), qui eius gravita-

tem secundum damnum per dilationem causatum pensat, non a temporis diuturnitate derivat. Etsi enim grave damnum aliquis non patiatur ob dilationem, nam vgr. pecuniam otiosam tenet, tamen carere propria re gravioris momenti per unum annum certe gravem molestiam parat et involvit gravem laesionem iuris, quod omnimodam subiectionem obiecti et facultatem libere cum eodem disponendi expostulat.

Ex dictis sequentia fluunt: si furtum 10 coronarum erat grave, Adalbertus peccavit, differendo restitutionem ad 5 an., nec facile fides ei praestanda est affirmanti, ex lapsu memoriae dilationem provenire. Adalberto deneganda est absolutio propter incuriam graviter peccaminosam, donec restituat, sed si certitudinem, aliquo testimonio firmatam, confessarius habere potest, iniungendum ei est, ut in sequenti confessione profiteatur, an restituerit.

CONTRACTUS (MATERIA). (210)

a) Aurelia, famula, interrogat confessarium, quid sibi faciendum sit in hoc casu: a Marco mox sudariola, mox annulum et nummos ut munera acceptavit, nihil mali suspicans, sed cum persuasione eum de matrimonio cogitare. Mox tamen vulpinas artes cognovit et quidem, eum de peccato cogitasse. Cum autem dissensisset, ille munuscula repetit. Aurelia vero sudariolum et annulum amisit, pecuniam expensavit.

b) Mathias levis indolis puellam ad copulam secum habendam pinguis mercedis promissione adduxerat; verum, copula obtenta, pecuniam dare omisit; nunc rem in confessione exponit.

Solutio.

539. a) Aurelia stricte loquendo nihil reddere debet, quia sine ullo pacto munuscula acceptavit (Alph. IV. 712) et matrimonium cum eo sperans, donationem liberalem supponere potuit, quoniam iuvenes vulgo donis cor puellarum captare consueverunt. Si autem ex aliqua circumstantia malam eius intentionem coniectare posset, deberet dona respuere, ne Marcus in

pravis desideriis sustentaretur. Etiam in priore suppositione consuli ei potest, ut munera poscenti reddat.

540. b) Secundum strictam iustitiam Mathias, peccato patrato, promissis stare et pecuniam solvere debuit, forte non in excessiva quantitate, sed iuxta patriae morem. Quia vero magnopere periculosum esset pro Mathia puellam quaerere et cum ea rem conferre, praestat, ut pro causa pia pretium istud solvat; imo non desunt auctores, qui dicunt, confessarium posse probabili sententia opposita niti et ab omni onere praeter poenitentiam eum liberare. In foro civili ius citandi ad iudicem Mathiam abiudicatur puellae, cum agatur de causa turpi.

CONTRACTUS (MINORENNES). (211)

a) Felix, minorennis, pecunia numerata horologium pretio 30 coronarum emit; cum vidisset, se 5 coronis deceptum esse, rogat patrem, ut contractui isti consensum suum deneget. Pater quaerit, an id facere ei liceat?

b) Faustus, minorennis, summam 300 coronarum mutuam a Rudolpho accepit eamque in ludo chartarum dissipavit. Rudolphus pecuniam postulat a parentibus eius; sed cum nihil obtinuerit, patienter exspectat donec Faustus maiorennis factus proprios proventus percipiat; sed hic etiam nunc solvere detrectat, suam minorennitatem tempore mutui opponens. An licite?

Solutio.

542. a) Minorennis non possunt (ex lege austr. § 244) aliquam obligationem in se suscipere, propterea, si contractu se ad aliquid obligant, contractus hic est infirmus, donec patris aut tutoris consensus accesserit (Delama, De iust. 142). Si tamen minorennis debita contraxisset ad expensas necessarias, pater ab eorum solutione non posset liberari, nam ipse ex pietate res necessarias filiis praestare debet. Deinde si agitur de rebus minoris momenti, quae immediate traduntur et pretium solvitur, aut si minorennis etiam pro re maioris momenti pecuniam solvit, contractus minorennium in conscientia valet. Propterea

fraudulenti petitioni Felicis pater cum tranquilla conscientia cedere non potest.

543. b) Pecuniam in altero casu mutuata parentesolvere non tenentur, quia non pro necessariis expensis debitum erat contractum. Quoad ipsum Faustum in foro externo leges ei favent hoc sensu, quod ad solvendum cogi non potest; tamen in foro conscientiae nullo modo liberari potest ab hac obligatione, supposito, quod proprios proventus habet. Non desunt tamen auctores, qui ipsum minorem ab obligatione restitutionis pecuniae mutuatae et in usus inutiles consumptae liberant, innixi hac ratione, quod lex civilis, irritans eiusmodi mutuum, observari potest et debet in conscientia ob bonum commune (Noldin, 519 β).

CONTRACTUS (ERROR). (212)

a) Georgius in epistola ad Jacobum directa statum suum miserum vivide depingit; familiam suam, scribit, morbo esse visitatam, se laborem nullum invenire posse; reapse sola pigritia est causa eius miseriae. Elusit tamen 10 cor.; an potest eas retinere?

b) Adalbertus librum mittit Philippo, hic donum acceptat et centenas gratias agit; mox tamen mittuntur ei rationes; miratur Philippus et pecuniamolvere non vult, ad donationem provocans. An valeat donatio?

c) Vinum apud Paulum emit Petrus, mittitur ei liquor sed artificialis; quaeritur, an Petrus teneatur hoc vinum acceptare?

Solutio.

544. a) Donatio in favorem Georgii facta omnino nulla est propter fraudem (error substantialis), qua usus est. Mens enim Jacobi erat, pauperi succurrere, non vero pigritiam fovere. Ut in conscientia tranquillussit, debet Georgius pecuniam reddere Jacobo aut pauperibus.

545. b) Error in casu narrato reputatur pro substantiali, non est enim duorum in idem placitum consensus, sed alter donationem, alter venditionem in mente habuit. Donatio non valet.

546. c) Qui vinum emit, ordinarie vinum de vite intellegit, nisi circumstantiae expresse aliud suadeant; error itaque vel potius fraus versatur circa substantiam rei et proinde emptio est irrita; sufficit, si Petrus mercatori notificat, se vinum utpote non genuinum non acceptare. Ad iudicalem processum, si enasceretur, opinio peritorum vel analysis chimica necessaria erit.

CONTRACTUS (METUS, IURAMENTUM). (213)

a) Cornelius domum vendere intendit; ut maius pretium obtineat, simulat, se cum Francisco mercatore, Joannis aemulo, pacisci. Astutia eum non fefellit; Joannes suam ruinam timens, pretium auget et arrham 100 cor. dat. Dum ecce dolus detegitur; Joannes a contractu resilire vult, Cornelius arrham reddere recusat et solutionem pretii urget. An licite?

b) Caius minatur patri, se eius operarios concitaturum esse ad operistitium, nisi ei pecuniam pro vestibis dederit. Quid de hac exactione?

c) Casimirus minorennis indiget pecunia; ut eam obtineat, vendit pratum Joanni et iuramento promittit, se neque nunc neque cum ad annos maiorennitatis perveniet, venditionem impugnaturum esse. An valeat iuramentum?

Solutio.

547. a) Cornelius metum omnino iniusto modo incussit Joanni, proinde contractus quoad pretii excessum ex lege naturae ad eius nutum rescindibilis est.

548. b) Metus omnino iustus est, quia vestes congruae filio debentur, propterea nullam patri filius intulit iniuriam.

549. c) Quia lex civilis minorennibus administrationem bonorum non adiudicat, ideo minores nequeunt valide coram foro civili res eiusmodi, ut pratum, vendere; id valet quoque in foro conscientiae; agitur enim de translatione iurium, in qua dispositiones legis civilis pro obligatoriis habentur. Quia contractus invalidus est, etiam iuramentum valore caret, sequitur enim, ut accessorium, principalem actum. Valeret tamen in foro

conscientiae promissio vendendi et iuramentum, promissionem non mutandi.

CONTRACTUS. (214)

a) Carolus vendit domum cauponi X. et pretium diminuit conditione adiecta, quod socialistarum conventus apud eum celebrentur; caupo post initum contractum rem in confessione narrat, conventicula socialistarum abhorrens.

b) Valerianus filio suo Tito dat 400 cor. occasione examinis feliciter superati, ut peregrinationem Romam instituat. Hic vero pro 300 cor. velocipedium emit, reliquas 100 cor. in arca parcimoniali locavit. Inquietus tamen, quod patris voluntatem exsecutus non est, interrogat confessarium, an pecuniam reddere debeat?

Solutio.

550. a) Socialistarum conventus, prouti in concreto apparent et considerantur, peccaminosi sunt ob eorum principia religioni catholicae contraria, ideo conditio apposita a Carolo est de re inhonesta et quoad hanc partem non valet contractus. Caupo non potest sibi ius attribuere ad pretii diminutionem ex lege naturali et in foro interno; obligatus est renunciare socialistis et pecuniam in causas pias erogare. Sed vulgo quoad pecuniae obligationem bona fides excusabit Carolum et forte in ea relinqui debet.

551. b) Habetur contractus sub modo (sub fine) i. e. data est pecunia ad determinatum finem. Si voluntas donatoris ferebatur praecise in hunc finem, ut filius Romam visitaret ita, ut id per modum conditionis apponeretur, filius iniuste pecuniam expendit; si vero voluit donator benefacere et apposuit modum, quo vellet, ut pecunia adhiberetur, donatarius non laedit iustitiam, si pecuniam aliter expendit. In casu narrato voluit pater praemium diligentiae offerre filio, ideo licet praesumere, quod pater non exigit redditionem pecuniae. Si tamen circumstantiae alium patris animum indicarent, filius peccaret graviter et patri postulanti reliquam pecuniam reddere deberet.

Quid si pater ad finem peccaminosum filio pecuniam daret? Distinguendum est: si per modum conditionis data est pecunia, debet eam filius reddere et conditionem respuere; si pecunia absolute data est et pater suum tantum desiderium manifestavit, potest filius pecuniam retinere, quin votis paternis obsecundaverit.

PROMISSIO. (215)

a) Ladislaus et Marcus, duo amici, piam peregrinationem in Lourdes peragere constituunt. Determinato loco et tempore apparet Marcus, sed frustra Ladislao expectato domum revertitur magnopere exacerbatus, tum ob deceptionem tum ob expensas inutiles. Ad quid Ladislaus tenetur? quomodo peccavit?

b) Aemilius fretus promissione sibi ab avunculo data de 2000 cor. mutuo obtinendis, officinam aperuit et merces venire fecit. Cum tempus solvendi venit, avunculus de pecunia danda nihil audire vult. Magnum propterea patitur damnum Aemilius. Quaeritur, an avunculus ad restitutionem teneatur?

c) Joanna, vetula, promittit ancillae suae, se ei clam daturam esse 150 cor. et quidem 100 cor. ex grato animo, 50 cor., ut missas pro ea legere curet; attamen morte repentina e vivis sublata nihil ancillae dedit. Ancilla invenit 150 cor. sepositas, sed dubitat, num eas secundum Joannae mentem impendere possit?

d) Fabianus promisit alere senilem quendam militem mutilatum ad dies eius vitae et revera sustentabat eum. Moritur Fabianus; filius eius et haeres patris vestigia non sequitur et senem expellit. Quaeritur, an peccet contra iustitiam?

Solutio.

552. a) Inter amicos eiusmodi pacta non reputantur pro contractibus sensu stricto sed tantum valorem promissionum ex fidelitate obligantium habere censentur. Ladislaus peccavit leviter propter infidelitatem eo, quod promissis non stetit; dein peccavit contra charitatem, si amicum de mutata mente certior reddere neglexit et expensas inutiles facere coëgit.

553. b) Si avunculus non propositum vagum sed promissionem verbis expressit, tunc sive ex fidelitate sive ex iustitia obligare se intenderit, debet damna Aemilio resarcire, nam ex eius deceptione evenerunt.

554. c) In verbis Joannae continetur solummodo propositum dandi, non autem promissio sensu stricto. Etiam supposita promissione, minime liceret famulae pecuniam sibi appropriare, quia promissio nullum ius in re tribuit promissario. Neque licet ei absque haeredis consensu pecuniam in missas erogare et quidem ex eadem ratione. Si pecuniam surripuisset, deberet eam restituere, ut furtivam.

555. d) Si Fabianus eleemosynam dare intendit, tunc eius obligatio censi debet personalis, quae cum eius morte expirat; si autem sensu stricto se obligare voluit, obligatio haec realis censenda est, quae in foro interno transit in haeredes; peccaret itaque filius, si senem expulisset; in dubio praesumitur obligatio personalis. In foro civili, si actionem instituerit, nihil miles lucrabitur, quia promissionibus in Austria nullum ius adscribitur. Potestne miles occulte se compensare? Negative; etenim ipsi, etiam supposita promissione stricta, competit ius ad rem non vero ius in re.

DONATIO. (216)

a) Boleslaus Juliae, sorori suae, donatione inter vivos tradit praedium ea lege, ut educationem pauperis discipuli ad finem perduxerit. Boleslao absque testamento mortuo, Andreas Juliae frater donationis rescissionem obtinet et praedium dividitur inter eum et sororem Juliam ad normam legum de successionem ab intestato. Julia nescit nunc, an teneatur ad discipuli curam?

b) Camillus a paupere quodam rogatus 10 cor. ei mittit per famulum Julianum; hic tamen pecuniam defraudavit; post 5 annos confitetur Julianus pecuniam reddere paratus sed nescit, cuinam, etenim pauper ille iam emigravit.

c) Paulus aegrotans advocat Barbaram famulam suam et ait: sumas tibi auream catenam, eam tibi dono pro memoria.

Gratias egit Barbara; ast cum inopinate ab aliquo accersita esset, catenam non sumpsit et interea mortuus est Paulus. Haeredes vero domicilium claudunt et ancillae ingressum vetant; haec occulta compensatione utitur. An licite?

d) Julianus dicit amico suo Gregorio: post meam mortem sumas tibi 200 cor. absconditas in arca secreta. Gratias agit Gregorius et pecuniam, cum benefactor oculos clausit, sumit, ast filii suspicantes rem ad iudicem eum citant et iuramentum expostulat, quod nihil sumpserit. An liceat ei iurare, se nihil sumpsisse?

Solutio.

556. a) Julia potest dare, quae misericors cor ei dictat; ex iustitia ad nihil tenetur; etenim obligatio sustentandi discipulum adiuncta erat donationi, quae valide rescissa est; ipsa vero praedium obtinet ex titulo omnino diverso.

557. b) Pecunia probabiliter reddenda est Camillo, etenim ad donationis valorem pertinet acceptatio, haec vero a paupere interposita non est; ignoravit enim sibi mitti pecuniam.

558. c) Donatio a Paulo facta erat occasione mortis, tamen erat donatio inter vivos et in foro conscientiae omnino valida, etsi traditio physica ob temporis defectum nulla subsequuta sit. Propterea Barbara licite sibi auream catenam sumere potuit; si haeredes denegaverunt, ius eius laeserunt. In foro civili posset aliquis impugnare donationem ob defectum realis traditionis; sed hic nimis arcte sumeret traditionem, si ad eam physicam acceptationem exigeret; sufficit, si donatario data est facultas apprehendendi rem ut suam. Itaque etiam in foro civili Barbara vinceret.

559. d) Quidquid dicant auctores, ut Gury (Cas. n. 815), qui restrictionis usum in tali casu admittunt, puto, Julianum non posse huius tenoris iuramentum tuta conscientia nuncupare. Legitime enim a iudice interrogatur de facto, utrum aliquid sumpserit; negare id nullo modo potest; sed veritatem manifestare debet et iudicis sententiae obedire. Si enim licet gubernio civili ob bonum commune statuere condiciones pro valore contractuum, licet ei in casu, quo aliquis conqueritur et ad legis patro-

cinium confugit, scire, quomodo cives istas condiciones observent. Neque recurrere potest Gregorius ad effugium, quod verba Juliani, si non pro donatione, saltem pro dispositione testamentaria valeant, etenim etiam in hac hypothese forma legis deest. Sententia iudicis, qualis futura sit, nemo dubitat; deest traditio rei, ergo donationi ius ad actionem civilem lex austriaca non concedit.

TESTAMENTUM. (217)

(Ex Gury, Cas. consc.).

a) Florianus, senex, carens haeredibus necessariis, morti proximum se sentiens, iubet advocari confessarium, notarium, testes. Advolat cito Capuccinus, cui Florianus, quoniam in extremis erat, coram tribus mulieribus declarat, se nepotem Albinum haeredem universalem constituere. Mox accurrit notarius cum requisitis testibus, sed ecce dum interrogat moribundum, vox faucibus eius haesit. Capuccino tamen poscenti, num ratum habeat, quod modo dixit, nutu capitis annuit et extemplo mundo valedicit. Quaeritur, an testamentum Floriani valeat?

b) Fabianus, sacerdos, neglecto fratre suo, Boleslao, haeredem instituere intendebat alterum fratrem, Aemilium; dum testamentum holographum scriberet, mors correpit eum, antequam nomen suum subscripserit. Secundum legis dispositiones ambo capiunt haereditatem ad intestato. Sed Aemilii conscientia inquietatur ideo, quia 1000 cor. titulo mutui apud se reticet, nemine sciente.

c) Leo graviter aegrotans et haeredibus necessariis destitutus, testamento holographo Ernestum, fratris sui filium, haeredem universalem constituit. Verum vix conscripto testamento, cum subscriptionem sui nominis esset appositurus, repentina morte e vivis subripitur. Ernestus praesens sibi succurrit: ecce nomen testatoris cum tali dexteritate subiecit, ut nemo astutiam eius cognoverit et ceteri consanguinei omnino vacuis manibus abierint. Quid ad hunc casum?

d) Caietanus testamento haeres a Fabiano institutus est. Sed ecce ostio aperto folium repentino venti turbine rapitur et in ardentem ignem deiicitur; parvae tantum papyri reliquiae re-

manserunt. Caietanus desperationi proximus scripturam defuncti perfecte simulat et sic rem in integrum restituit. Quaeritur, an possit retinere haereditatem?

Solutio.

560. a) Floriani testamentum multis scatet erroribus substantialibus ex mente legis civilis, etsi secundum legem naturalem valeat. Ultimam enim voluntatem declaravit coram testibus, qui secundum legem austriacam omnino inhabiles sunt; neque mulieres, neque religiosi munere testis in testamento fungi possunt. Cum autem testes habiles apparuerunt, Florianus loquelam amisit et tantum caput inclinavit; haeres autem disertis verbis designari debet, non sufficit nutus capitis aut sola affirmatio propositionis sibi factae (cod. austr. § 565). Quia testamentum hoc ex lege naturae validum est, ideo si haereditatem totam aut eius partem tenet Albinus, potest esse tranquillus, donec iudex aliter decreverit.

561. b) Subscriptio ad testamenti valorem requiritur ex lege positiva et naturali. Quamdiu aliquis documentum nomine suo non signavit, tamdiu istud formaliter perfectum dici nequit. Idem valet de testamento; ideo Aemilius non potest sibi appropriare 1000 coronas, sed retenta dimidia parte sibi competente, reddere debet alteram dimidiam fratri suo vel cui ex legis dispositione debetur.

562. c) Ernestus fraudis reus est. Cum ad valorem testamenti pertineat nomen testatoris subsignatum, Leo testamentum validum non reliquit et haereditatem eius capere debent personae, quas lex vocat. Ne dicas, Ernestum optime cognovisse voluntatem testatoris; etenim voluntas testatoris non erat plene manifestata; voluit enim testamento iura sua in eum transferre, attamen testamentum formaliter non condidit.

563. d) Minime; Caietanus semel constitutus haeres legitimus ex valido testamento, statim post mortem testatoris acquisivit ius certum et strictum in haereditatem ex lege naturali. Combustum est documentum papyraceum, illaesum ab igne manet eius ius in re. Caietanus caret documento, quo possit probare suum ius, non caret iure. Proponendo falsum testamentum, medio illicito defendit ius suum, quod tamen omnino verum est.

TESTAMENTUM. (218)

a) Michaël, rusticus, tres filios et unam filiam habuit eisque sine testamento haereditas cadit. Ast vix patrem terra texit, rixae exoriuntur maximae, dum filii pecuniam residuam inter se dividerent. Duo enim filii, qui domi patrem iuvabant, noluerunt ad aequalem portionem admittere tertium et filiam ideo, quia pater multas expensas fecit pro filii educatione et debitis eiusdem solvendis; item filiam ideo, quia titulo dotis duo iugera agri iam accepit. An iuste?

b) Petrus duos filios habet, alterum probum, alterum dyscolum. Timens, ne haereditas ab eo dilapidetur, vendit agrum, pecuniam dat probo: dyscolo remanet summa longe minor quam legitima. Quaeritur, an Petrus peccaverit?

c) Gasparus haeredem suum universalem Arnoldum instituit cum onere, ut 200 cor. orphanotrophio erogaret. Ob defectum formae testamentum irritatur et haereditatem ab intestato adit Joannes. Quaeritur, an hic teneatur ad istud legatum pium?

Solutio.

564. a) Expensas pro educatione prouti et debita pro minorenni soluta (cod. austr. § 778), non vero pro maiorenni, lex a collatione eximit. Referri debet autem dos, quam filia obtinuit. Aequitas tamen postulat, ut filiis, qui domi patrem in labore adiuvant, aliquid indulgeatur et frater educatus, si non totam haereditatem, saltem aliquam partem fratribus cedat. Obligatio haec eo strictius urget, si fratres extraordinario modo augendae rei familiari adlaboraverunt.

565. b) Petrus debuit filio suo etiam prodigo aliquid relinquere, quo sustentaretur; attamen minime peccavit, si legitimam eius diminuit sive donatione inter vivos sive testamento, quia iustam habuit causam remunerandi filium probum, puniendi improbum, imo subtrahendi media, per quae vitiis indulgeat. Iustitia non excludit prudentiam.

566. c) Joannes ad nihil tenetur, etenim nulla obligatio est imposita ei, qui ab intestato succedit, sed Arnoldo; huic autem obligatio incumbbat, supposito, quod haereditatem obtinuerit,

(Ita casum resolvit Gury, Cas. consc. n. 851; contrariam tenet sententiam Génicot, Cas. consc. 21 de testam).

TESTAMENTUM. (219)

(Ex Gury, Cas. consc.).

a) Dyonisius, cum prospicere vellet Catharinae gravidae, reliquit ei 10.000 coron., sub conditione, ut nasciturae proli 4 milia cor. traderet, si fuerit filius, 3 milia, si fuerit filia. Sed eheu! inexpectatus succedit eventus: mortuo Dyonisio Catharina gemellos, filium et filiam, parit, quare nescit, quid sibi de legato faciendum sit?

b) Eduardus testamentum condens, scripsit, se legare sororibus suis Maurae, Mariae, et Mathae 1000 cor.; lis ingens oritur, cum quaelibet 1000 cor. expostulet, haeres vero omnibus unum mille solvit.

c) Occasione eiusdem testamenti alia lis exorta est. Legatum nempe relictum est nepoti Ludovico 100 cor., dum ecce duo nepotes eiusdem nominis hoc legatum anhelant.

Solutio.

567. a) Juri indubio prius satisfieri debet: Catharinae debetur summa 6000 coronarum, quia id ad minimum legato ei relictum est; reliqua summa (4000) inter utrumque infantem dividenda est in proportionem 3:4.

568. b) In obscuris quod minimum est tenendum. Si nullo modo vera mens Eduardi divinari potest, sufficit, si haeres omnibus sororibus unum mille largietur.

569. c) Alter Ludovicus non est altero deterior; propterea in casu dubii legatum inter eos dividendum est.

TESTAMENTUM. (220)

a) Marcus res post patrem perlustrans, invenit in eodem involucro et testamentum et duas schedulas separatas, sine nomine subsignato; in altera earum pater legat 200 cor. pauperibus erogandas et 30 cor. pro missis, pro sua anima dicendis; in altera vero iubet associationi gymnasticorum 200 cor. erogare.

Marcus ex testamento haereditatem capit, schedulas vero reticet et comburit. Quaeritur, an teneatur ad restitutionem?

b) Gregorius morti proximus dicit filio: rogo te, ut post meam mortem solvas 50 cor. pro ecclesia, 50 cor. famulae meae. Bene, bene, quietat filius aegrotum patrem, ast post mortem patris istud »bene« sibi applicat et nemini obolum dat. Cum mater eius vellet testamentum condere, impedivit eam, promittens fore, quod ad amussim eius voluntatem exsequetur. Mater abstinet a testamento conficiendo et mandat ei, ut nepti 300 cor. largiatur. Gregorius hoc legatum solvere recusat.

c) Parocho adfertur legatum 100 cor. pro imagine in altari maiore; acceptat hanc pecuniam parochus sed declarat haeredibus, se expensurum esse eam pro organis construendis, quia haec necessitas magis urget. Connivent haeredes. An licite haec facta sint?

Solutio.

570. a) Neutra schedula formae legis civilis correspodebat ideo, quia ab ipso testamento separatae erant. Quoniam tamen prior schedula legata pia continebat, quae secundum leges ecclesiasticas non autem civiles iudicanda sunt, Ecclesia ¹⁾ vero saepius declaravit, se in praxi reputare pro validis et in conscientia obligatoriis legata forma legali destituta, ideo Marcus tenetur in conscientia legata ista solvere. Quoad legata in altera schedula conscripta, haec cum papyri fumo disparuerunt; favendum enim est possessori ante sententiam iudicis, si agitur de contractibus ex lege positiva invalidis.

571. b) Hanc peculiarem patris dispositionem debuit filius adimplere tantum ex fidelitate, non ex iustitia, etenim neque testamenti neque legati valorem habet; alteram summam famulae erogare obligatus erat ex iustitia, quia mater propter eius promissionem a testamento conficiendo abstinuit.

572. c) Parochus illicite egit; pii enim legati destinationem non licet ei mutare. Hoc ius competit tantum Romano Pontifici, si aliqua subest causa. Licet tamen episcopo interpretari volun-

¹⁾ S. Congreg. Poenitent. 10 ian. 1901. Acta S. Sed. 1902 pag. 384.

tatem defuncti i. e. in alium usum legatum applicare, si supervenit causa, quam si cognovisset testator, aliter disposuisset cum legato. Parochus debuit ad episcopum se convertere, si pro imagine pecunia non indigebat (Alph. n. 931).

DEPOSITUM. (221)

a) Henricus in diversorio publico ad paucos dies habitationem instituit et res suas in cubiculo deponit. Cum domo abesset, aliquis surripuit et pellem et pecuniam in sarcina depositam. Ad proprietarium diversorii se convertit, restitutionem postulans. An iuste?

b) Valentinus in caupona velocipedium deposuit, custodiam eiusdem cauponi committens. Dum ecce filius cauponis tentationem vincere non potuit, ne rota uteretur, patre minime contradicente. Ast infeliciter, etenim et ipse crus fregit et velocipedium damnificavit. An pater debeat restituere?

c) Cornelius, advocatus, syngraphas apud se depositas habet. Videns, se posse plurimum lucrari in aliquo negotio, utitur alienis syngraphis et revera feliciter, nam magnam pecuniae summam gaudens domum attulit eamque seposuit. An licite?

Solutio.

573. a) Varii mores in variis regionibus vigent et secundum eos casus singuli dissolvendi sunt. Vulgo proprietarii diversoriorum responsables sunt pro suppellectili deposita (Cod. austr. § 1316). Propterea si hospes ordinem domesticum, exgr. quoad clavem servat, iuste exigere potest a proprietario restitutionem pro pelle, nam pellis ablata est aut propter aliquam vitiosam institutionem diversorii aut ex culpa famulorum, pro quibus herus respondet.

574. b) Absque dubio caupo si custodiam promisit, ex iustitia debuit vetare filium, ne uteretur aliena rota; si hoc neglexit, pro omni periculo velocipedio illato tenetur. Si nullam culpam theologicam commiserit, vgr. si filius furtive velocipedio uteretur, ad nihil pater teneretur, nisi post iudicis sententiam.

575. c) Advocato et in genere cuilibet officiali non licet adhibere pecuniam apud se depositam tum ideo, quia id et naturae contractus depositi adversatur et legibus ac statutis omnibus ubique severe prohibitum est, tum propterea, quod res alienae periculo exponuntur. Generatim a gravi peccato haec actio excusari nequit, supposita materiae gravitate. Solummodo in extraordinariis circumstantiis, si certa esset spes lucri et ipse haberet propria bona, quibus pro omni casu alienam pecuniam assecurare posset, liceret praesumere domini licentiam et speculationi se ingerere (Lehmke, Cas. consc. 852; Génicot, Cas. 2 de deposito), quia dominus nullam pateretur iniuriam et nulli periculo exponeretur. Lucrum perceptum, qua fructus industriae, ad advocatum pertinet.

MUTUUM. (222)

a) Adalbertus, agricola, cum omnia eius aedificia oeconomica ignis consumpserit, a vicinis sublevatur. Joannes straminis aliquam copiam ei donat, succurrit ei etiam aratro et tribus modis tritici, tamen cum obligatione prosperis temporibus reddendi; Gasparus 200 cor. ei mutuo dat et vaccam ad annum concedit sub levi conditione, dandi ei qualibet hebdomade 3 litra lactis. Improviso casu eodem die, quo haec omnia Adalbertus domi congregavit, incendium denuo erupit et quidem tam vehemens, ut omnia consumpserit. Res suas expostulant vicini; quaeritur, quomodo eis satisfaciendum sit?

b) Ladislaus Ceslao inopia presso 100 cor. mutuo ad annum dedit. Verum post sex menses cum ob sortem adversam ipse pecunia indigeat, expostulat a Ceslao capitale cum consueto auctario 5%; utrumque negat Ceslaus: capitale renuit reddere, quia annus nondum effluxit; ad nullum auctarium se obligatum sentit, quia nullum stipulatum est. An iuste?

Solutio.

576. a) Adalbertus omnia subsidia, excepta vacca, gratis accepit, ideo natura contractuum diiudicanda est ex qualitate obiectorum. Triticum et 200 coronae, cum sint res primo usu

consumptibiles, sunt obiecta mutuata; aratrum vero efficit, utpote res non consumptibilis, contractum commodati. Quoad vaccam intercedit contractus locationis; stramen denique donatum nullam facessit difficultatem. Quoniam in mutuo dominium rei plenum transit in mutuatarium, ideo Adalbertus pro rei periculo tenetur et debet reddere pecuniam et triticum; in commodato autem res perit commodanti, cum sit eius, etsi in usu aliorum. Propterea non obligatur ad reddendum aratrum, utpote rem commodatam, neque debet aliquid dare pro vacca, quae locata erat et eius dominium apud Gasparum semper manebat.

577. b) In rigore solius iustitiae nihil est opponendum ratiocinio Ceslai, ideoque etiam in iudicio civili non vinceret Ladislaus; contractus enim mutui pro gratuito reputatur, si nullum auctarium expresse stipulatum est; neque aliquid de revocatione mutui codex austr. scit. Tamen luce clarius est, Ladislaum ex charitate Ceslao succurrere debuisse, propterea non secundum iustitiae sed iuxta charitatis regulas casus diiudicandus est. Si enim Ceslaus statim reddens pecuniam grave incommodum ex eo subire deberet, non teneretur statim votis Ladislai obsecundare. Charitas tamen obligat eum satagere, ut quam primum reddat etsi cum levi incommodo (Carrière, de contr. III. n. 1035); facile rem componere potest, si offerret se qua fideiussorem.

MUTUUM (223).

a) Ad Stanislaum, ex America cum pleno marsupio reversum, noti et ignoti confluunt, pecuniam ab eo petentes; sed cum vario successu. Joanni denegat mutuum, quia audivit, eum ludo chartarum esse deditum. Thomam probum quidem, sed pauperrimum, repellit, quia debitorum solvendorum ei impar videtur. Mutuat vicino Marcello 500 cor., expostulat tamen titulo auctarii duo iugera agri in usum; a Catharina vidua cotidie unum lactis litrum pro 200 cor. mutuo datis exigit. Aliis et aliis mutuat, nemini tamen infra 10% indulget. Quomodo diiudicanda est praxis Stanislai?

b) Vincentio, sagaci pucuniae venatori, titulo mutui dedit Jacobus 100 cor. ad messis sumptus tegendos, nullas conditio-

nes stipulando, nam »inter honorificos viros iudaico more res componere non decet«. Cum Vincentius messe finita sermonem de mutuo evitet, Jacobus redditionem debiti expresse postulat. Vincentius reponit, mutuum sibi esse datum ad tempus indefinitum ergo infinitum; se velle semper ei concedere titulum honorificum sui creditoris. An ratiocinium eius iustitiae conforme sit?

Solutio.

578. a) Per se nulla assignari potest obligatio ex iustitia alicui mutuandi, ideoque denegando mutuum Joanni neque contra iustitiam peccavit, sed neque deliquit contra charitatem. Quoad Thomam non est reus alicuius culpae, quia mutuum redditionem debiti secum fert; Thomas incapax reddendi, incapax mutui quoque est. Non est inquietandus Stanislaus ex hoc puncto, quod auctarium expostulat, etsi nihil de titulo extrinseco cogitet (S. Congr. Off. die 18 aug. 1830), sed cardo quaestionis vertitur circa quantitatem fenoris, ne in usuram mordenstem transformetur. Taxa legali deficiente, ad usualem nobis recurrendum est, quae varia est in variis regionibus et temporibus. Nunc apud nos auctarium demum 10% vel 12% excedens usurae iniquae characterem induit; ratio est, quod nonnullae cassae parcimoniales, gubernio permittente, tantum fenus percipiunt, neque rustici inquietantur in conscientia tali fenore. Quoad rusticos advertendum est, si auctarium non pecunia numerata sed aut agris pratisve in usum concessis, aut fructibus terrae solvitur, caute singuli casus a confessario perpendendi sunt; nam seminans in agro non semper colligit et proinde creditor quoad auctarium periculo amittendi interesse se exponit; ex altera parte ob eandem causam creditores limites liciti fenoris transgrediuntur. In multis casibus, vgr. si lac datur pecuniae loco, solutio per partes debitori magnopere favorabilis est, ideoque aliquid plus exigere licet. In casu nostro Marcellus usura premitur, si ager est fertilis; Catharinae vero nulla iniuria irrogatur.

579. b) Si tempus non determinatur in mutuo, tunc secundum circumstantias et praesertim ex fine mutui praesumi debet (Génicot, I. 615, II. 3). Si hoc impossibile est, ita decidendum est ex praesumptione, ut mutuum mutuatario prosit non obsit.

In casu nostro obligatio reddendi urgere coepit Vincentium tempore autumnii; in quantum sine iusta causa contra Jacobi voluntatem retardat, peccat graviter aut leviter, ratione habita damni causati. Non tenetur solvere procentum, quia mutuum reputatur pro contractu gratuito, si nullum auctarium stipulatur.

MUTUUM. (224)

a) Romanus loco 1000 cor. in mutuum petitarum obtinet a Gervasio vasa argentea in creditum, cum notitia, eum posse eadem facile vendere apud Marcum aurifabrum. Revera ad eum se confert et 950 cor. pro vasis obtinet. Quomodo hoc mutuum olet?

b) Idem, magno aere alieno gravatus, nova contrahit debita, quibus solvendis impar est. Infortunio tamen aliquo percussus conscientiam suam aperit confessario; quid ei dicendum est?

c) Splendidissimum negotium mihi offertur, sed indigeo pecunia; ita Fortunatus Tito. Dabis 20%, mutuabo tibi ad unum annum 10 milia cor., reponit Titus. Libentissime consentit Fortunatus. Fallax tamen fortuna eum hac vice decepit, nihil lucratum est, imo partem capitalis amisit; ideo praeter 10 milia cor. nihil amplius solvere vult. An iuste Titus eum torquere possit, si litteras collybisticas habeat?

Solutio.

580. a) Latet usura. Gervasius enim, non contentus auctario vulgari, addit palliatum, cum debitorem cogat ad nova onera, quae hic ferre debet aut necessitate pressus aut levitate ductus.

581. b) Quoties contraxit debitum sine spe reddendi, toties graviter peccavit, si agitur de materia gravi. Confessarius candide statum eius animae ante oculos explicet et non absolvat, nisi obtenta promissione parcae vitae, ut debita reddat.

582. c) Agitur hic non de mutuo ex necessitate, sed ob lucri notabilis fallacem spem. Si felix negotii exitus esset, sine ambagibus posset Titus lucrum suum retinere, quia ille, »qui tibi offert medium notabile lucrum percipiendi, illud tecum dividere potest; deficiente enim alio titulo, adest saltem libera et plena

mutuatarii condonatio» (Gury, Cas. consc. I. n. 905). In casu sortis adversae quidquam expostulare supra auctarium usuale, certe durum et aequitati absonum videtur. Num id etiam iniustum sit? Puto, negative esse respondendum; ratio est, quia eiusmodi mutuum ex parte mutuatarii ad aliquam negotiationem aleatoriam postulatur, in qua aut multum lucratur aut multum amittitur et in neutro casu plus aut minus solvitur. Propterea etiam ad causas commerciales, quae maximam fluctuationem lucri habent, moderni codices leges usurae non applicant et nunquam, etiam in antiquitate, stricte applicabantur.

VENDITIO. (225)

a) Victor equum Aemilio vendit 200 cor. valentem et hordeum pro 80 cor.; dimidium pretii Aemilius iam solvit, post 5 dies belluam et frumentum recepturus. Interea incendium in stabulo erupit et tum equus tum hordeum voracis flammae praeda evaserunt. Reclamat pretium Victor, equum et hordeum expostulat Aemilius. Quis damnum subire debet?

b) Cornelius vini duo dolia apud Arpadum pretio 400 cor. emit; cum dolium domum venit, liquor falsificatus apparet; analysis chimica ostendit, in altero dolio esse vinum artificiale, in altero verum quidem sed cum aliis liquoribus mixtum. An valeat emptio?

c) Julius farinae Thomasii, quae ad agros impinguendos adhibetur, admiscet cinerem eamque pretio vulgari vendit; eodem modo procedit cum lacte, cui aquam, et cum farina triticea, cui farinam ex fabis factam admiscet. Quid ad casum?

d) Josepho nundinae infeliciter processerunt: voluit equos currui aptos emere sed ex eis, quos emit, alter asthma laborat, alter exsultat et currum vehere non vult. Quaeritur, an possit rescissionem contractus postulare?

Solutio.

583. a) Ex iure austriaco (§ 1064 et § 1051) si res vendita ante traditionem perit, contractus pro nullo habetur et proinde venditor damnum subire debet. Itaque equus perit Victori et

praeterea incumbit ei obligatio reddendi 100 coronas Aemilio, haec enim legis dispositio ex omnium consensu in conscientia obligat. Secus dicendum, si Victor equum statim traderet et tantum ex benevolentia aut per modum conditionis contractui appositae apud se aleret, tunc totum damnum Aemilius subire deberet. Aequitas tamen expostulat, ut aliquid ei remittatur. Id valet de equo, nam animal in individuo venditum est; similiter dicendum est de hordeo; hoc emitur »in specie«, propterea tamen diu in dominio Victoris manet, donec mensuratum et traditum sit.

584. b) Qui vinum emit, nisi expresse artificiale expostulet, vinum naturale desiderare communiter aestimatur. Propterea contractus emptionis est nullus, quia error circa substantiam rei versatur; Cornelius dolium vini artificialis certe reddere potest et debet. Quoad alterum vinum, habetur error circa qualitatem, qui contractum non irritat, nisi per modum conditionis absolutae Cornelius posceret vinum purum vel pro missa. Per se patet, Arpadum non posse exigere pro vino mixto pretium vini totaliter naturalis. Si Cornelius, gustato vino, monstraret expresse dolium vel vini gustati speciem, ipse emeret vinum id, quod vidit, et contractus omnino esset validus (contractus sub demonstratione).

585. c) Julius pro gravitate materiae graviter aut leviter contra iustitiam peccat. Quia in his casibus merces non sunt ita adulteratae, ut ad usum determinatum omnino non valeant, ideo valent contractus quoad substantiam sed ad aequitatem reducendi sunt, i. e. si consueto pretio adulteratas merces vendidit, tenetur excessum, qui fructus fraudis est, restituere.

586. d) Iosephus potest reddere priorem equum ob vitium substantiale, quod eum reddit ad usum omnino ineptum; alterum tunc tantum ei reddere licitum est, quando expresse postulavit, equum currui aptum; secus debet ipse domare bucephalum, hoc enim vitium eius non est substantiale, potest enim equus adhiberi ad equitandum.

VENDITIO. (226)

Aurifaber Aloysius pulcherrimum monile 500 coronis vendidit Sophiae. Haec mercem pretiosam reliquit, mox cum pecunia reversura. Interea Gisella invidiosa 600 coronas offert aurifabro, pecuniam solvit, idem monile statim secum sumit et in proximo conventiculo vespertino super Sophia triumphat.

Solutio.

587. Aurifaber peccavit, eandem rem bis vendendo; peccavit quoque Gisella, cum rem iam venditam emeret; quia procedebat mala fide, debet Gisella monile reddere aurifabro, qui iterum Sophiae idem dare obligatus est. Aurifabro incumbit quoque obligatio reparandi omnia damna, quae ex duplici venditione Sophiae evenerunt. Si bona fide Gisella monile emisset, ad nihil posset obligari et omnia damna deberet sentire aurifaber. Ratio est, quia emptio posterior, utpote cum traditione coniuncta, vincit ius primi emptoris, qui eousque solummodo ius ad rem habuit.

VENDITIO. (227)

a) Valerianus vaccam emit in nundinis, de qua Adalbertus, venditor, asserebat, eam lac copiosum dare et aetate non esse provectam. Omni experientia carens, domum reversus, comperit, vaccam solummodo aliquas guttas lactis ob suam senectutem dare et caecam esse. Pudore suffusus et contristatus vult vaccam reddere, sed surdo canit. Quid ad casum?

b) Bernardus, parochus, pretio 5 cor. a simplici rustico emit veterem B. V. M. imaginem diuturno fumo conglutinatam. Gaudet rusticus et pro obtenta pecunia iconem auro splendentem acquirit. Parochus quoque gaudet, quia imago pulcherrime ecclesiam ornat. Gaudium Bernardi auxit quidam antiquarum rerum amator, qui pro imagine pretium 2000 cor. obtulit. Consentit parochus in venditionem et pecuniam pro ecclesia restauranda adhibet, sed mox inquietatur tristi vultu rustici mussitantis, qui parocho deceptionem obiicit. An recte?

Solutio.

588. a) Venditor tenetur occulta rei vitia manifestare, si de eis in specie interrogatur; si non interrogatur, debet aperire tantum illa vitia, quae rem reddunt nocivam aut inutilem; de vitiis vero occultis minoris momenti aut de manifestis tacere potest. Si Valerianus expresse postulavit vaccam iuvenilem, lacte abundantem, theoretice loquendo nulla aut rescindibilis est venditio ob defectum appositae conditionis sine qua non. Sed in nundinis talibus assertionibus nemo fidem praebet, quaelibet vacca lacte abundare laudatur, propterea sub hoc respectu, ex more mercatorum, mendacii tantum reus dici debet. Adalbertus, non iniustitiae. Aetas vaccae multum valet. Quia vacca dentibus aetatem suam prodit, caecitas item oculi, quae pro vacca minoris quam pro equo est valoris, etiam vitiis manifestis adnumeratur, ideo superfluum erat de his vitiis loqui. Solummodo pretium vaccae ad aequitatem ab Adalberto reducendum est. Venditio autem valet.

589. b) Triplex hic casus est possibilis: α) si Bernardus suspicabatur imaginis extraordinarium valorem, non licuit eam minimo pretio a rustico omnino imperito emere, sed debuit consulere virum peritum et, si imaginem habere voluit, pretium augere, etsi multo infra valorem taxatum haeserit; periti enim valorem operum artis saepe exaggerant. Haec si non fecit, iniuste processit parochus erga rusticum, eius ignorantia abutens, et ad restitutionem tenetur. β) Si parochus levem tantum suspicionem de imaginis valore extraordinario habuit, idque rustico manifestavit, nullam commisit iniuriam, si eam 5 coronis emit. In hoc enim casu periculo sortis uterque se exposuit et pretium id reputatur pro iusto, in quod convenerunt. γ) Si denique parochus valorem imaginis ignoravit et bona fide emit ideo solummodo, quia ei placuit, postea vero ab antiquitatum amatore de vero valore edoctus est, contractus emptionis est validus et fortuna parochi non facit formalem iniuriam rustico.

VENDITIO. (228)

a) Maria vidua pauper, ut fame pressis parvulis panem emeret, varias res vendit: ita aureum horologium pro auri tan-

tum pondere; libros pro quibus pretium 30% obtinet; vestes quoque post maritum mortuum pro aliquot nummis. Num emptores iniuriam ei intulerint?

b) Caietanus domum aedificare intendit; cum proprius locus nimis angustus appareat, aliquot metra horti a vicino emere vult; hic pretium excessivum 2000 cor. expostulat pro spatio, quod ordinarie vix 200 cor. valet. Quid ad hoc iustitia?

c) Matthaeus porcum mirae magnitudinis in nundinas adducit, pro quo 200 cor. sperat. Negotiator Andreas primus apparet et 150 cor. offert, accedunt et alii, sed quilibet subsequens minoris aestimat porcum. Miratur Matthaeus, cur aliis rusticis venditio facilius procedat. Sed postea edocetur, negotiatores inter se convenisse, ne quis maius pretium quam Andreas offerret. Quid de hac non rara praxi?

Solutio.

590. a) Res ultro emptioni oblatae vilescent; pretium pro tertia parte inferius, quam ordinarium, adhuc pro iusto a S. Alphonso reputatur (III. 802); praeterea influunt in pretium consuetudines vigentes. Ita res argenteae et aureae usitatae saepe pro metalli pondere venduntur; etiam librorum usitatorum valor magnopere decrescit, ita ut saepe 30% nondum pro iniusto habeatur. Idem dic de vestibus usitatis. In his tamen emptionibus facile laedi potest charitas erga pauperes, si ab eis necessitate pressis res minimo pretio emuntur.

591. b) Caietanus eo, quod obsequium praestat, aliquam recompensationem in pretio adaucto iuste expostulat. Adde, quod terra aedificio destinata in valore magnopere crescit. His non obstantibus pretium expostulatum videtur esse excessivum et iniustum; ex necessitate nempe aliena alter lucrum capit. In praxi tamen omnis ratiocinatio surdo canitur, nam emptori conquerenti datur responsum: non eme, si non vis dare, quantum postulo. In iusti pretii materia cavendum est a nimio rigorismo; nam passim homines bona fide existimant, pretium quodcumque esse iustum, de quo libere et sine fraude partes conveniunt.

592. c) Mercatorum conspiratio omnino iniusta est, si conveniunt in pretium infra infimum et in hoc casu adest obligatio

solidariae restitutionis; est tantum contraria charitati, si in infimum conveniunt. Ratio prioris est, quia fraude efficiunt, ut res non vendatur, quanti secundum coniecturas negotiationis valet, quod iustitiae adversatur (monopolium privatum). Ratio posterioris est, quod iustum quidem pretium rusticus obtinet, tamen molestum ei est non obtinere saltem medium ob mercatorum strategemata. Andreas si tali fraude coëgit rusticum ad vendendum porcum, quem diutius absque damno educare non potuit, iniustitiae aut laesionis charitatis reus est (Marc. 1138). A fortiori obligaretur ad restitutionem, si cum aliis mercatoribus convenisset in mendacium, porcum esse aegrotum. Eodem modo delinquant contra charitatem aut iustitiam ii venditores, qui in pretium summum vel supra summum conveniunt.

VENDITIO PER PROXENETAS. (229)

a) Iosephus vestem detritam vendere intendit; per Julianum id facit, cui dicit: si 15 cor. obtinebis contentus ero. Julianus 20 cor. vestem vendidit. An teneatur 5 cor. reddere?

b) Angela, famula, gloriatur coram aliis de suo famulatu, in quo occasione emptionum mercium multam pecuniam lucratur. Visnam scire modum? ecce: α) cum mercatore A. conventionem habet, qua hic 3% pecuniae solutae ei quolibet mense solvit; β) ab alio mercatore dona accipit, ut vgr. dulciola, fascias; γ) iussa emere quasdam merces apud B., emit eas apud C., ubi in eadem qualitate minori pretio veneunt et lucrum sibi appropriat. Quid ad hanc famulae praxim?

c) Ignatio in oppidum proficiscenti commendat Florianus pileum emere. Florianus emit, sed pretium auget tum ad suum laborem compensandum, tum ad damnum, quod in itinere passus est (equus enim eius infelicitur crus fregit) saltem partialiter compensandum. An recte?

Solutio.

593. a) Solutio pendet ab eo, quo sensu verba Iosephi sumenda sint; si locutione sua resignavit maiori pretio, Julianus pecuniam retinere potest; si tantum approximativum pretium de-

signavit, ei debetur excessus. In dubio nihil potest Julianus sibi retinere sed totum pretium acceptum reddere debet. Haec valent, si ordinariam diligentiam adhibuit ad vendendam vestem; nam si labore extraordinarium suscepit, labori recompensatio competens debetur.

594. b) Haec ars dितescendi magnopere iustitiam laedit et quidem ad α) conventio talis mercatorem inter et famulam cum damno herorum coniuncta est; nam aut in mercibus aut in pretio mercatores se recompensant. Liceret famulae hanc conventionem inire, si talis vigeret consuetudo in aliquo loco, de qua heri sciunt et non contradicunt. β) Dulciola, fascias, aliasque res offerunt mercatores fumulis, ut eos alliciant, neque propter hoc pretium mercium augent. γ) In tertio casu famula debuit aut attentos reddere heros, merces vilius emi posse apud alium mercatorem, aut heri voluntatem presse exsequi. Lucrum, quod percepit, iniuste retinet.

595. c) Iniuste egit Ignatius, tum quia talia servitia, quae vulgarem laborem expostulant, inter amicos gratis praestantur, tum quia equi infortunium nullam connexionem cum emptione pilei habet.

LICITATIO. (230)

a) Licitatio post mortem cuiusdam divitis instituitur; Cornelius cum praecone convenit, ut horologium subtrahat licitationi, offerens pretium taxatum, a quo licitatio exorditur. An licite?

b) Amaliae, viduae, res domesticae licitationi exponuntur a creditoribus, quibus satisfacere non valet. Pauci apparent emptores, inter quos conveniunt tres, ut se invicem non impendant, cum unus eorum licitabitur. Hac conventionem effecerunt, quod res pauperis viduae vilissimo pretio eis adjudicatae sunt. An emptores possint esse tranquilli in conscientia?

c) Aurelius rogat amicos suos, ut abstineant a licitando aliquo suppellectili; precibus suis effecit, quod viliori pretio res ei cessit. An iustitiam laeserit?

Solutio.

596. a) Hoc modo subtrahere licitationi res vendendas, est iniustitiae peccatum, etenim res taxantur minimo pretio cum spe, fore quod per concursum licitantium eorumque febrim augeatur; subtrahens res, dolose impedit pretii incrementum et proinde ad restitutionem tenetur, usque ad valorem rei.

597. b) Conventionem inire cum aliis emptoribus in licitatione coacta, iuxta s. Alphonsum (IV. 808.) non solum charitatem sed etiam iustitiam laedit; ratio est, quod pretium iustum in licitatione reputatur illud, in quod libere conveniunt emptores aemulatione excitati; pactum autem emptorum omnino impedit naturale pretii incrementum. Excipe si licitatio est libera, in qua venditor ipse qua licitans maius pretium offerre et se a periculo damni salvare potest.

598. c) Rogare emptores, ut abstineant a pretio augendo, non reputatur pro actione iniusta, etenim preces, nisi importunae sint, non constringunt libertatem, ut v. gr. conventio, et proinde libero emptorum concursu pretium determinatur. Praesumitur etiam, licitatores non cessuros precibus, si depressio pretii notabilis esset. Potest tamen haec praxis charitatem laedere, si venditor paupertate pressus ad licitationem cogitur.

LOCATIO. (231)

a) Adam ad unum annum praedium et horreum Josepho locavit; sed fortuna non favet Josepho, etenim segetes eius grando devastavit et deinde, cum fenum loco tritici in horreo collegisset, etiam hoc combustum est; censum renuit solvere Josephus, quia, ait, nullum emolumentum ex horreo et praedio percepit. An iuste?

b) Ad triticum metendum conduxit Valerianus 10 operarios pro determinato die; hi tamen venire omiserunt, quia alias melior eis oblatus est labor. Ecce infortunium maximum: pulcherrima segetum silva grandine devastatur. Quaeritur, an operarii ad restitutionem teneantur?

c) Blasius non contentus mercede, quae operariis datur, occulte sibi frumenti aliquid surripit. Quid ad hoc confessarius?

Solutio.

599. a) Ex iure naturali et austriaco (§ 1104 sq.), si praedium ad annum locatur, debetur locatario remissio partis census in casu infortunii, quo plus quam media pars fructuum periit; excipe, si colonus expresse se obligaverit beneficio huius legis renuntiare. Pro horreo debet Josephus solvere tantum pro rata temporis, etenim non potuit eodem uti citra propriam culpam. Si praedium ad plures annos locatum est, ex iure positivo nulla remissio pretii debetur colono; aequitas tamen postulat, ut infelici aliquid indulgeatur. Haec legum positivarum dispositiones etiam in conscientia observari debent, ut determinationes nimis generalis legis naturae.

600. b) Infortunia a naturae elementis causata pro fortuitis habentur, etenim nullum inventum est instrumentum, quo cum certitudine praevideri possint. Propterea operarii contra fidelitatem tantum peccarunt, sed pro damnis non tenentur.

601. c) Illicite agit, nam conventionem debet observare, modo stipulatum sit salarium usuale. Recte dicunt, ex iustitia deberi operario tale salarium, quod sufficit alendo operario »frangi et bene morato«. (Encycl. Rer. nov.). Qui enim terram occupatam invenit, pro eo labor est unicum medium sustentandi vitam et proinde ex labore vivere debet. Disputatio tantum est de mercede familiari, quam Noldin (n. 601) cum aliis ex iustitia commutativa exigit.

LUDUS. (232)

a) Joannes confitetur, se per totam noctem chartis lusisse et stragem accepisse ita, ut 100 cor. solverit et 200 cor. debeat. Quaeritur, an peccaverit et debitum in conscientia solvere debeat?

b) In ludo peritissimus Michaël invitat Jacobum tironem, imperitiam fingens; ut per se patet, ille pro instructione salarium pulchrum sibi sumit. Potestne istud retinere?

c) Bonifacius cum pluribus minorennibus lusit; ab uno lucratus est summam 200 cor., alius debitor eius mansit ex ludo illicito. Quaeritur, an peccaverit et an infelix minorennis summam perditam solvere debeat?

Solutio.

602. a) Vere dixit Cicero: »Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tunc, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus«. (De off. I. 29). Joannes, ludendo longo tempore, peccavit tum ob temporis iacturam, tum ob sanitatis detrimentum. Per se haec peccata sunt levia. Exponere in ludo licet aliquid plus, quam quis ratione sui status potest expendere in licitas recreationes; et quidem plus ob spem vincendi, quae cuilibet in ludo affulget. Peccat graviter, qui amittit pecuniam in tali quantitate, ut officiis suis satisfacere non possit, secus est tantum venialis prodigalitas. Gravitas peccati a Joanne commissi secundum eius statum aestimanda est. Debita ex ludo etsi in Austria per iudicem extorqueri non possunt (Cod. austr. §. 1271 sqq.), tamen in conscientia solvenda sunt, sive ludus fuerit licitus sive illicitus, i. e. per legem positivam prohibitus; ratio est, quia lex naturalis dictat, obligationes libere contractas esse adimplendas. Si tamen magnam summam pecuniae quis amisisset, ita ut eam absque prodigalitate et praesertim familiae dispendio solvere non posset, non desunt, qui victum ab obligatione solvendi in conscientia omnino eximunt et eiusmodi debita excessiva in vita cotidiana non pro tam strictis ac alia reputantur; si tamen pecunia victori soluta est, eam retinere permittunt (Génicot I. 661; Noldin 613).

603. b) Omnes theologi et non theologi aliquo modo aequalem peritiam in ludo exigunt et iniustitiae reum dicunt, qui cum tirone modo serio luderet, nisi in antecessum concessis melioribus conditionibus in ludo. Propterea Michaël iniuste egit et ad pecuniam restituendam tenetur; excipe, si explicite socium praemonuisset de periculo imminenti.

604. c) Plura dubia hic occurrunt. Minorenni possunt ludere et exponere suam pecuniam; tamen non licet eis uti ad ludum pecunia parentum clam surrepta; victor debet in hoc casu restituere lucrum parentibus. Quoad alterum minorennem circumstantia, quod ludus illicitus est, non influit in casus resolutionem, quia leges istae habentur pro mere poenalibus. Attendendum est adhuc, an minor possit obligationem acceptare; respondeo facta distinctione: si minor absque peccato prodiga-

litatis secundum suam conditionem solvere non potest, omnino immunis ab obligatione censeri debet; secus nihil adest, quod eum deobliget, cum lex naturalis iusta debita solvere iubeat. In multis casibus recte transactio instituitur.

SPONSIO. (233)

Augustinus et Boleslaus contendunt de duorum velocipedistarum peritia in stadio currentium. Augustinus 50 cor. spondet, si Aurelius vicerit, tam parvi eum aestimat. Boleslaus 80 cor., si Augustini pupillus, Bibianus nomine, vicerit. Stadium ingrediuntur velocipedistae, cursum incipiunt, ast tam infeliciter convenerunt in medio stadio, ut ambo de ferreis equis lapsi sint et viam abruperint. Quid de sponsione?

Solutio.

605. In rigore iustitiae uterque tenetur alteri solvere id, quod se daturum sponsione promisit, nam omnis contractus, conditione impleta, evadit absolutus et obligat. In concreto debet Boleslaus 30 coronas solvere Augustino. Secus dicendum esset, si talis sponsio non serio, sed ioci causa facta esset. In praxi saepius fieri solet, praesertim inter familiares, quod dum animadvertunt, nec unum nec alterum attigisse veritatem, totum contractum sponsionis solvere solent in derisum aut sponte sibi obligationem remittunt. (Elbel V. 638).

ASSECURATIO. (234)

a) Romanus assecurat suam domum contra incendium; ad quaestiones ab agente propositas nonnulla falsa dat responsa et quidem aetatem domus decem annis recentiorem fingit; vicinas domos tecto resistente igni esse munitas, valorem denique eius nimis exaggerat. Cum aliquando ebrius domum reversus sit et aliquid cum candela quaereret, inopinate accendit domum. Societas assecurationis solvit ei pretium integrum i. e. 6000 cor. Num Romanus possit esse in conscientia tranquillus?

b) Catharina post mariti mortem assecuratam pecuniam obtinere curat. Hac occasione documenta perlustrantur et in manus ei incidunt responsa a marito conscripta ad quaestiones ab assecuratoribus propositas. Inter has falso affirmat maritus, patrem ac avum paternum ob inflammationem pulmonum mortuos esse, cum revera phtysi consumpti sint; negat quoque, se sanguinis vomitum aliquando habuisse. Quaerit, an mendacium istud noceat eius iuribus ad pecuniam assecuratam acceptandam?

Solutio.

606. a) Romanus debet assecurationis pretium restituere aut ideo, quia contractus assecurationis est invalidus, aut ideo quia ipse ignem apposuit. Atqui neutrum contingit. Assecuratio valida est, nam fraudes versantur circa accidentales circumstantias; quoniam vero, si veritatem dixisset, maiora praemia annuatim solvere debuisset, aliquid de summa accepta societati assecurationis restituere debet; aut, ut probabiliter affirmant, sufficit, si pauperibus restituit. Quod si statuta alicuius societatis generaliter declarant, quolibet errore in responsis irritari contractum, exspectari potest iudicis sententia, quoniam aequitati repugnat, ut assecuratus propter errorem levis momenti omni iure privetur. Ipse quidem Romanus est causa incendii, attamen quoniam non ex industria ignem apposuit neque, ut supponitur, ex gravi negligentia incendium causavit, istud casu erupisse censetur, ideo pretium poscere potest, nisi iudex ob iuridicam culpam aliter decreverit.

607. b) Dolose celati defectus magni sunt momenti ita, ut errori substantiali aequivaleant. Ut iustae sequelae exactius perpendantur, distinguendus est status quaestionis ante et post iudicis sententiam. Post sententiam iudicis faciendum est, quod iudex decreverit; hic vero pro fundamento sententiae suae sumit statuta associationis assecurantis, quae vulgo ob fraudem commissam irritum declarant contractum assecurationis et ratione poenae amissionem praemiorum solutorum statuunt. Ante sententiam iudicis auctores nonnulli praeunte Huppert (Lebensversicherungsvertrag), ut Noldin (620), Génicot (658 VIII.) contractum assecurationis aequiparant contractui emptionis-venditionis et ob defectum consensus in eandem rem declarant eum in

conscientia ipso facto irritum; permittunt tamen, si bona fide defectus celatus est, retinere praemia soluta, deductis expensis pro administratione. Lehm. (Cas. consc. I. 910), qui statuta associationis assecutoriae pro fundamento assumit et eadem pro lege irritante post sententiam iudicis tenet, affirmat, assecurationem valere, donec a iudice rescindatur, sed restituendum esse, in quantum quis fraudulenter praemia minora solvit, i. e. haec solvenda sunt in ea quantitate, quam assecurans expostularet, si hic defectus notus esset. In casu autem, quo non ob defectum reticatum, sed alium v. gr. ex infortunio in via ferrea mors sequeretur, ratione praemiorum nullum augmentum est urgendum, quia deest causa efficax damni (idem 922). In praxi homines fortunatum facti exitum saepe pro iure habent et Lehmkuhli opinionem sequuntur, quin de praemiorum augmento cogitent Theoretice prior sententia multo probabilior apparet; contra posteriorem opinionem pugnat haec fortis ratio, quod assecurans, si defectum magni valoris comperit, non auget praemia, sed assecurationem omnino respuit.

Catharina posteriorem i. e. benigniorem sententiam sequi potest et poscere pecuniam assecuratam, sed aliquam partem restituere debet, nam certe aut assecurationem non acceptasset associatio aut maiora praemia exegisset, si circumstantiae reticatae notae essent. Aequitati non conveniret vacuis manibus manere, cum pecuniae summa notabilis soluta sit.

PRAECEPTUM DIVINUM VIII.

IOCI AN MENDACIA. (235)

a) Adam, iuvenis iocosus, accurrit ad collegas in schola congregatos eisque anuntiat, mirae pulchritudinis avem in arbore penes scholam consedissee; omnes citissime foras erumpunt

Adam vero aufugiens clamat: prima aprilis, ne aspicias, quia falleris. Captus tamen est a sodalibus et poenam luit pro suo astu. An adsit mendacium?

b) Hubertus, venator, mirandos imo miraculosos eventus suarum venationum narrat; alii fidem ei praebent eiusque dexteritatem extollunt; aliorum credulitas exhauritur et contra eum indignantur, rident tamen, quia sciunt, eum quoties e venatione redit, semper ante urbis portas mox feras mox aves emere, quibus tamquam sua praeda gloriatur. Quid de his narrationibus tenendum?

c) Caietanus, senex garrulus, nepotibus suis multa de bello italico narrat; evidenter haec falsa sunt, ipse tamen contumax suis dictis fidem ab auditoribus postulat. Quid sentiendum de his narrationibus?

Solutio.

608. a) Prima die mensis aprilis homines iocorum cupidi ex consuetudine se invicem decipiunt; nullum in hoc peccatum adesse potest; fiunt enim hi innocentes ioci recreationis gratia tamquam aemulatio in astutia.

609. b) Hubertus si videt, plenam fidem suis portentosis narrationibus praestari, peccat mendacio; nescio enim quomodo non verificetur in eius narrationibus definitio communiter recepta: »mendacium est locutio contra mentem cum intentione fallendi«. Quodsi circumdatus esset talibus auditoribus, qui ei non credunt, quod narrans statim cognoscit et propterea fidem ab audientibus non expostulat seu intentionem fallendi non habet, non peccat continuando suas narrationes, quia eae fabulis aequivalent, in quibus audientes oblectamentum inveniunt. Experientia tamen docet, narrationes in his adiunctis cito abrumpi. Empta animalia tamquam a se venata monstrans, peccat, si eis tamquam sua praeda gloriatur; non peccat, si, dum portat, silet, nam tantum simplices homines hac agendi ratione decipiuntur et non venatori sed eorum credulitati deceptio adscribi debet.

610. c) Saepe accidit, quod narrator historiarum a se fictarum ipse postea fidem suis dictis praebet, quia obliviscitur veri status rei. Id evenit senibus ob vires labefactatas; initio quando cum advertentia narrant ficta, peccant mendacio, postea vero, si

bona fide sunt, non possunt peccati argui. His hominibus adnumerandus est Caietanus.

VERACITAS. (236)

a) Ludovicus, concionator, ut facilius fidelem populum ad pietatem et virtutes colendas permoveat, varia miracula narrat, quae partim ipse fingit, partim ex libris addiscit; narrat itaque portentosa qua vera absque ullo cricites usu, vgr. s. Franciscum sic domasse lupum, ut hic oves infestare desierit et mendicatus sit nutrimentum in oppido; in corde Margaritae de Cortona post mortem inventos esse tres lapillos cum inscriptis nominibus Jesus et Maria. Ingemiscit plebs devota et laudat Deum in Sanctis eius. Quid de Ludovico sentiendum est?

b) Venceslaus in intimo corde gaudet de incendio, quo combusta est domus Jacobi, sui inimici; ast occurrenti exprimit suum profundum dolorem ob infortunium. Pecuniam ab eo mutuare cupiens, ad benevolentiam captandam laudat eius animi et corporis dotes, benedicit cum benedicente, maledicit cum maledicente, extollit filiae eius pulchritudinem, quam clanculum irridet, filium denique laudat ob talenta. Quid ad hanc praxim?

Solutio.

611. a) Multa mala iam causavit imprudens vanorum miraculorum narratio sive in contionibus sive in scriptis. Hoc falso zelo illiteratae devotulae forte aliquando aedificantur sed debiles in fide scandalizantur et in fide labefactantur; aequiparant enim has narrationes biblicis et posteriores propter priores respuunt ac fidem vilipendunt, quae »talibus argumentis« innititur. Fides rationem non exstinguit sed eam perficit, super eius usu non dispensat, imo, ut rationabilis sit, expostulat criticem; nihil magis sibi periculosum timet, quam stulta et vana mendacia et argumenta. Ideoque publice debet sacerdos proponere haec solum miracula, quae saltem ex internis criteriis vera apparent i. e. nihil vani aut fidei contrarii involvunt; traditiones vero populares qua traditiones narrentur, ut v. gr. numerosae legendae de s. Francisco Assissio, quibus christiana doctrina illustratur. Quodsi viri etiam sancti, ut s. Gregorius M., Vianney,

scriptores ascetici, ut Scaramelli, vana miracula et ineptas diaboli ac animarum apparitiones narrant, id certe bona fide faciunt et ob artem critices historicae non evolutam contemporaneis non nocuerunt; non in hoc sunt sancti neque in hoc imitandi; nunc mutata sunt tempora. — Ludovicus peccat per se venialiter contra veracitatem fingendo miracula; saltem imprudenter agit, quoties absque critice narrationes portentosas ex aliis depromit. Dixi »per se«, quia posset graviter delinquere, si ludibrio exponeret rem catholicam et alicuius fidem subverteret, quod difficile est in concreto determinare.

612. b) Venceslaus non peccavit, dolorem suum etsi non sincerum verbis usitatis exprimendo, id enim morum cultura secum fert et simplicissimi forte his conventionalibus phrasibus omnimodam fidem praebent et hi, si decipiuntur, errorem sibi imputare debent. Peccavit tamen contra charitatem, si ob proximi infortunium in corde gaudebat. Peccavit venialiter contra sinceritatem falso, extollendo pulchritudinem filiae et ingenium filii; attamen nimis rigorese res sumi non debet, nam politici mores iubent modo moderato coram parentibus liberorum dotes laudare, si parentes indiscrete interrogant. Blandimenta Venceslai per se venialiter peccaminosa sunt; evaderent gravia, si grave peccatum approbarent aut ad tale adducerent.

RESTRICTIO MENTALIS. (237)

a) Philippus Romano mutui denegationem exprobrat, quod ab eo per epistolam petebat; Romanus miratur et nullam se epistolam accepisse affirmat. Accepit eam, sed mutuare noluit. Estne hoc mendacium?

b) Joannes, discipulus, ob crimen aliquod magistro denuntiatur; citatus cum restrictione negat, se tale crimen commisisse. Ad patrem quoque rumor aliquis pervenit, ast nemo certi quid dicere potest; timens patrem, cum restrictione mentali firmissime protestatur, se omnino immunem esse a crimine sibi imputato. Quaeritur, an peccaverit in utroque casu?

c) Maria dominae pecuniam paulatim surripit; ne detegatur et preces prolixiores fundit et matronae, ad s. synaxim saepius

accedenti, se adiungit. Contione aliqua commota, aperit rem confessorio; quid de hoc dicet sacerdos?

Solutio.

613. a) Dicere alicui, mutuare volenti, se pecunia carere, omnes permittunt, etenim ex ubique recepto usu loquendi haec locutio pro negatione in forma restrictionis reputatur. Neque in talibus consuetis formulis necessarium est explicite retorquere animum ad alium sensum; sufficit interpretative id facere i. e. consueto usui loquendi se accommodare. Eiusdem speciei locutio est, se litteras non obtinuisse; litterae enim tam raro pereunt, ut quilibet videat, hanc excusationem esse conventionalem repulsam. Ita etiam, si quis invitatus indispositione se excusat, ne compareat; haec excusatio nihil aliud significat, ac se nolle veras rationes assignare, ob quas invitationem abnuat. Ex his causis excusari potest Philippus a peccato mendacii, nisi extraordinaria adiuncta expostulent veritatis sinceram communicationem.

614 b) Difficilius delinquentibus minorennibus permetterem uti restrictione mentali coram suis superioribus quam auctores id reo coram iudice permittunt; rei enim convincendi et puniendi, minorennis vero educandi sunt; quod sine sinceritate difficile evenit. Pro prioribus poena habet characterem vindictae, pro posterioribus medicinae. Attamen in genere tantum valere mihi videntur verba Marc (l. 1182), quibus omnem restrictionem interdicat »quando superior legitime interrogat de illis, quae ad regimen subditorum spectant«. Quoad magistros in schola publica ii, quando crimen inquirunt, equiparandi sunt iudicibus et discipuli reis coram foro civili; pro discipulis enim forum immediatum est coetus magistrorum. Proinde, prouti reus in iudicio publico, ita non tenetur discipulus crimen suum faceri. Quoad parentes facilius admittenda est obligatio fatendi coram eis crimen a filio commissum; si agitur de impuberibus obligatio haec strictior est ratione educationis; si de puberibus, qui propria ratione malitiam criminis pensare possunt, puto, obligationem strictam confitendi suum crimen iam non adesse; pro fine educationis id superfluum est, nam puberes malitiam

agnoscunt, si vero agitur de sola poena infligenda, nimis durum mihi videtur obligationem ob hunc solum finem affirmare. Ex dictis patet, Joannem potuisse in utroque casu uti restrictione.

615. c) Hypocrisis rea est Maria; vitium hoc, quatenus soli veracitati repugnat, est veniale; evadit facile grave peccatum, quando perducit ad vilipensionem rerum sacrarum et sacrilegas confessiones ac communiones. Quoad Catharinam distingui oportet: si eius furta fuerunt gravia, communionem erant sacrilegae, secus si minuta tantum fuerunt nec coaluerunt, tunc leviter peccavit et ratione furti et ratione hypocrisis.

DETRACTIO. (238)

a) Famula, Barbara, dum aquam haurit cum aliis famulis convenit et conqueritur, dominam suam esse iracundam, impatientem, dominum vero familiam non curare, saepe ebrium venire. Quomodo pensanda sunt haec peccata?

b) Sophia, officialis cuiusdam uxor, cum alias feminas invitat, incipit confabulationem, prouti mos fert, ab aëre sereno, transit ad vicinas et ad cultum muliebrem; hac occasione dissuadet aliis feminis merces apud quendam mercatorem emere, quia non solidae apparent; finit vero querela de famulis in genere et de sua coqua in specie narrat voce demissa, eam non semper obedientem esse, amasios habere etc. Quid de tali conversatione tenendum?

c) Gervasius omnia, quaecumque scit, etiam graviter diffamantia, uxori suae narrare consuevit, quia, ait, inter maritum et uxorem nulla secreta esse debent. Amicum quoque habet, quem magni aestimat, quocum invicem sibi omnia communicant. Num nexus coniugalis et amicalis haec expostulat?

Solutio.

616. a) Quamvis fama consistit in aestimatione hominum omnium classium, tamen vulgo minus aestimatur fama, quam quis apud homines infimae classis habet, qui impares sunt ad formandum rectum iudicium de homine superioris conditionis; sed quilibet ante omnia curat aestimationem personarum sui

status. Narrationes igitur famularum coram aliis famulis prolatae, per se non sunt graviter peccaminosae tum ob audientium tum ob loquentium conditionem, nisi prudenter timeatur propalatio alicuius criminis gravis et occulti inter personas classis superioris. Ita censendae sunt narrationes Barbarae; imo eo facilius leve peccatum Barbarae admitti debet, si consideratur obiectum narrationum; carpit enim heram ob vitia naturalia, quae celari nequeunt. Imo etiam nullo modo peccat, si vitia haec sunt nota aut Barbara ad solatium capiendum ea fideli amicae narrat. Quoad dominum narrationes sunt etiam ad summum venialiter peccaminosae, quia ebrietas heri vulgo celari non potest. Nihilominus admonenda est Barbara, ut pruritum linguae cohibeat.

617. b) Ecce viam, quam linguae mulierum in suis confabulationibus tempore visitationum percurrunt! Quid ad eius aestimationem moralem? Si merces vituperant, non peccant, quia officinae sunt publicae et bonum commune expostulat, ut clientes mercium qualitatem sibi communicent. Dissuadendo emptionem non peccant contra iustitiam neque contra charitatem erga mercatorem; primum patet, alterius ratio est, quia amicae sibi invicem propinquiores sunt quam mercator et ideo quaelibet alterius bonum praeferre potest bono mercatoris.—Conqueri de famulae suae inobedientia non est grave, quia etiam inobedientia levis praesumitur; si enim esset gravis, dimitteretur famula.—Si turpes eius amores propalat hera sine iusta causa, peccat graviter, si famula feminis nota est et bona aestimatione hucusque fruebatur, amores vero occulti sunt. Id ordinarie non evenit, tum quia corruptae famulae procaces fiunt et publice cum amasiis deambulant, tum quia feminis istis forte prorsus ignotae vel parum notae sunt ita, ut famae iactura nulla sit. Confessarius exquirat, quae necessaria sunt ad gravitatem peccati cognoscendam. Sufficit in genere interrogare, num famula damnum aliquod passa sit. Quoad detractioes aliarum feminarum, ut cognoscatur earum gravitas, interrogare oportet, num defectus secretos propalaverit et exinde aliquod damnum aut discordiae evenerint.

618. c) Gervasius perversam sequitur praxim. Coniuges ut mutuo consilio suum focum regant, licite sibi narrare possunt, quae sciunt de personis domesticis, attamen arcta coniunctio matri-

monialis nondum dat eis ius gravia crimina extraneorum sibi communicandi. A rei manifestatae gravitate, uxoris garrulitate et damnis profluentibus dependet, num in singulis casibus grave peccatum commissum sit. Amicitia etiam non excusat a diffamationis peccato; attamen amici solatii aut consilii causa licite sibi revelant ex aliorum vitiis iniurias sibi illatas. In concreto interrogandus est Gervasius, utrum ex secreti violatione aliquod malum evenerit; si negat, graviter non peccavit.

DETRACTIO. (239)

a) Messores narrant sibi de aliqua puella rustica, eam gravidam evasisse.

b) Discipuli de magistro domi dicunt, eum nullo extraordinario talento praeditum esse.

c) De sacerdote quodam alii confratres sibi narrant, ei concionandi donum deesse.

d) Oppidi cuiusdam syndicum cives in colloquiis ob imperitiam in regenda urbe carpunt. An licite haec omnia narrantur?

e) Antonius tanquam ab aliis iuvenibus relata refert, Anastasiam, famulam, nocte iuvenem ad se admisisse; cum ei fides non praebeatur, alium iuvenem qua testem citat. An peccaverit, dicens veritatem?

f) Joanna confitetur id tantum, se cum amica de vitiis personarum utrique notis collocutam esse. His dictis, a confessario absolvitur. An recte?

Solutio.

619. a) Narrationes messorum in casu allato non sunt detractioes, quia res natura sua est publica et rustici eam celare non consueverunt.

620. b) c) d) Personae publicae, ut professores, concionatores, syndici, in suis actionibus publicis critice subiacent et eorum defectus, qui sinistrum modum agendi in suo munere causant, ordinarie notorii sunt; ideo rarissime peccatum committitur, quando de eis quid narratur.

621. e) Antonius, si puella bona gaudebat fama, graviter peccavit detractioe; per hoc quod testes allegat, detractioem peiorem facit, quia cum maiore certitudine crimen qua verum ab audientibus acceptatur. Nullum esset peccatum, si Anastasiae vita dissoluta aliunde notoria esset.

622. f) Invalide absolvit, quia deerat materia pro absolutioe. Non est peccatum detractiois sed imperfectio quaedam absque iusta causa loqui de aliorum vitiis notis; quia tamen est periculosum, indecens, ideo auctores ascetici admonent, ut christiani aliorum »vulnera lingere« caveant (Lancicius, De medit. rev. div.). »Muscae quaerunt vulnera, apes flores; virtuosi homines inquirunt dotes, ordinarii vitia«. (Christ. Pesch, Lebensphilosophie II. 31).

DETRACTIO. (240)

a) Hedvigi desponsatae cum Marcello, narrat Anna, eius sponsum cum alia puella iam filium illegitimum habuisse?

b) De eodem Marcello refert iterum medicus patri Hedvigis, se eum morbo syphylistico curare. Quid ad has revelationes infelici Hedvigi factas?

c) Joannes, advena in urbe, optima fama gaudet; cum aliquis revelat, eum olim pro furto carcere punitum esse. An licite?

Solutio.

623. a) Sponsae, sciscitanti de sponsi sui vita et caractere licitum est vitia revelare ea, quae et in futuram felicitatem et in praesentem eius decisionem influere possunt, ut sciat, quocum indissolubili vinculo iungatur aut resiliat, dum adhuc tempus resiliendi adest. Actus vero, qui nullum influxum habent, referre ex linguae pruritu, peccaminosum est. Anna non peccavit detractioe, revelando luxuriosos Marcelli actus, si sinceram habuit intentionem succurrendi amicae suae et quidem si timuit gravia incommoda pro ea, sive ideo, quia Marcelli fidelitas pro futuro tempore esset valde dubia, sive quia non abrumperet consortium cum sua amasia, vel denique si ob illegitimam pro-

lem incommoda deberet sentire. Ita res apparet in theoria, quae utrumque sexum aequae ad castitatem obligat. In praxi tamen, ob iuvenum depravationem magnopere divulgatam, puto, saepissime a gravi reatu immunem esse fornicationis divulgationem, si agitur de iuvene, praesertim exculto aut oppidano, secus vero si de puella quis simile quid dixisset.

624. b) Hic agitur de secreti commissi violatione et de detractio. Quoad secretum commissum (officiosum), tantum valde gravis causa potest permittere eius violationem. In casu nostro si timetur gravissimum damnum pro sponsa, v. gr. infectio, et morbus est insanabilis, debuit medicus prius attentum reddere ipsum Marcellum; si hic nuptias differre aut omittere nollit, posset caute revelare rem patri sponsae. Id valet, si absque incommodo hoc facere potuit. Si vero ageretur de morbo iam sanato, graviter officium suum violaret, si rem revelaret etiam in hoc casu, si Marcellus nullam prolem sperare posset.

625. c) A iudice condemnatus amittit ius ad famam in perpetuum; hoc enim pertinet ad essentiam poenae. Joannes ergo nullam patitur iniuriam sed molestiam, ideoque si sine rationabili causa Jacobus eius crimen revelavit, peccavit contra charitatem et quidem graviter.

DETRACTIO. (241)

a) Alexandra confitetur, ad suum maritum venire eius socrum, quae libentissime aliis detrahit, ipsam vero coactam esse haec omnia audire. Quid confessarius dicet?

b) Theodorus, ex itinere redux, apud amicum conqueritur de aspero modo, quo apud superiorem receptus est atque de iniuria sibi illata, cum superior aures praeberit suspicionibus contra se falso excitatis. Acriter in superiorem invehitur, quasi virum partium studio addictum et ad gubernandum ineptum. Defendit superiorem Augustinus, videns, has invectiones fundamento carere. Quaeritur, quomodo eae diiudicandae sint?

b) Aliquis vas argenteum furatus est in domo Eugeniae; haec furem quaerens, iubet famulam suam, optima fama gaudentem, cistam suam aperire; graviter contristata est fidelis fa-

mula, nec minus Eugenia, quae nihil invenit et adhuc peccatum suspicionis timet. An recte?

Solutio.

626. a) Si nuda auditio detractationis consideratur, haec nondum est peccaminosa; tunc erit culpabilis contra charitatem, si quis non impedivit malum proximo inferendum; erit contra iustitiam, si quis libenter praebendo aures alium incitat, ut res novas afferat et detractationes proferat. Hoc enim sibi peculiare habent detractores, ut nova quaeque venientur eaque in aliqua domo colligant, ut apes in alveum mel suum. In hoc sensu intellegenda sunt verba s. Bernardi: Detrahare aut detrahentem audire, quid horum damabilius sit, non facile dixerim (De consid. II, 13). In priore casu raro graves sunt praevaricationes et prudentia saepe suadet abstinere a correptione, quia narrans oppositione incitatur ad dicta sua argumentis firmanda, ne mendax appareat et hoc modo malum augetur. Facilius vero quis peccare potest in casu posteriore. Alexandra interrogetur, num feminam illam taciturnitate aut approbatione incitet ad detractationes eisque cooperetur. Si affirmat, rea evadit cooperationis ad detractationes, sed peccata haec inter mulierculas plebeias raro sunt gravia. Si negat, adhortanda est, ut admonitione cognatam suam a prava consuetudine detrahendi avocet.

627. b) Theodori iudicia, si fundamentum certum habent in agendi ratione superioris, re adhuc ignota, quoad summum venialia peccata sunt. Agitur enim de actibus publicis, quorum notitia mox divulgabitur. A peccato excusaret eum ratio solatii capiendi apud amicum. Si eius narrationes solido fundamento carent, sunt iudicia temeraria; adest enim fundamentum aliquod, saltem in mente Theodori, ad sinistre iudicandum; passio vero animi impedit eum, quominus rem iuste perpendat.

628. c) Eugenia, innixa hoc tristi principio, quod famulae saepissime suos heros decipiunt, non peccavit, si eius cistam coram ea et testibus aperire iussit (favet ei lex austriaca pro famulis lata § 15.; an. 1857); ceterum debet Eugenia fideli famulae rem dextere explicare, ne tristitia affligatur. Peccaminosae autem suspicionis rea non videtur.

LAESIO HONORIS. (242)

a) Ladislaus, temperamenti vividi puer, confitetur: amitam meam irrisi, vocem eius balbutientem imitando, quod eam magnopere commovit; professorem non salutavi, quia iniuste malam notam mihi dedit; alteri puero alapam impegi, matri adhortanti dorsum monstravi. Quomodo peccavit?

b) Joannam, mulierem loquacem, vicina meretricem in rixa appellavit ideo, quia eius gallina damnum in agro intulit. Haec ne debitor remaneat, improprium illegitimae ei obiicit. Sic inceperunt sed crescente rixa ipsae nesciunt, quas stultitias protulerint. Utraque offensa est, neutra alteram alloqui vult et rationes allegat; ecce vicina dicit, quod a gallina damnum passa est; Joanna affirmat, quod vicina prior eam iniuria lacessivit. Confitetur Joanna, quid confessarius ad hunc casum?

Solutio.

629. a) Ladislai mores signa indubia characteris perversi sunt et tristis sortis futurae timorem iniiciunt. Si obiective et rigore eius offensiones diiudicantur, in singulis casibus graviter peccasse censendus est; tamen quilibet confessarius attendere debet ad aetatem pueri et naturam vivacem, quae offensas ad speciem venialium peccatorum trahunt ob actus imperfectionem. Ut aliquo modo cognoscatur gravitas peccatorum, interrogandus est puer, an personae offensae graviter tulerint tales honoris laesiones. Non salutare magistrum, secluso contemptu, est veniale.

630. b) Ecce casus unus centenorum in vicis! Convicia muliercularum plebeiarum saepissime non sunt gravia peccata, quia fides non praebetur eorum significationibus. Dico »saepissime«, nam etiam rusticorum honor graviter laedi potest. Stricte loquendo, qui prior offendit, prior ab altero veniam petere debet, attamen si convicio per convicium respondebat utraque pars, probabiliter nemo ad aliquid tenetur, quia satisfactionem sibi fecerunt. (Lugo, De iust. 15, 50 sq; Alph. IV. 989). In praxi vero raro contingit confessario discernere, cuinam parti ius adiudicari debeat, quum unam tantum partem audiat, ideo debet sub poena absolutionis denegandae obligare utramque partem

ad ingrediendam reconciliationis viam, ut mutua odia et discordiae dispareant. Confessarius contentus sit seria promissione poenitentis; nam nimis dura apparet praxis, secundum quam non absolvuntur poenitentes, donec se revera reconciliaverint. In casu narrato non potest ius adiudicari vicinae ob damnum in agro passum, quia compensatio per convicia non est conveniens, eo magis quod talia damna saepe absque culpa theologica inferuntur.

SECRETUM. (243)

a) Ignatius iuramento promittit Floriano, se nulli unquam manifestaturum esse homicidium, quod se vidente nec viso, latenter Thomas patraverat; neque furtum, quod non viderat quidem, sed a Thoma sub fide secreti servandi ab eodem esse patratum audierat. Sed cum exorta esset ea de re suspicio quaedam, Ignatius ad iudicium ut testis compellitur et duplex revelat secretum. An licite?

b) Nicolaus ab Agatha ad iudicem citatus, ut expensas paternitatis solvat, apparet et ostendit iudici litteras, in quibus Titius fatetur, se esse huius prolis patrem. Obstupefacta est mulier, videns epistolam, quam in scriniolo clausam diligentissime custodiebat. Comperit, Nicolaum fraudulentem eam abstulisse. Quaeritur, an Nicolaus iuste violaverit secretum?

c) Petrus cartas postales amici sui legere consuevit; an licite?

d) Paulus pecuniam occasione mortis matris suae pauperibus erogat. Romanus plenis buccis clamat, eum velle sibi captare populum pro futura electione. Quale peccatum committit?

Solutio.

631. a) Ignatius in priori casu tenebatur secreto promisso, nam promissione tantum ad idem se obligavit. Ex communi theologorum opinione secretum hoc frangi potest et debet, quando iudex interrogat. Ratio est, quia omnis promissio involvit tacitam conditionem: nisi bonum publicum revelationem ex-

postulet, atqui bono publico certe confert revelatio talium secretorum.— Alterum secretum est commissum, quia sub conditione servandi secreti res est communicata Ignatio. Theologi strictiorem obligationem ei adscribunt, ita ut ne iudici quidem interroganti revelari debeat, ut iustitia naturalis servetur. Codices tamen poenales hanc obligationem non agnoscunt et revelationem expostulant; ratio boni communis, nempe ut delicta puniantur, praevalet. Ob hanc dispositionem legis civilis nullo modo possem peccati arguere Ignatium utrumque secretum in iudicio pandentem.

632. b) Litteras alterius legere grave vel leve est, pro gravitate materiae et molestiae, quae infertur sive accipienti litteras sive mittenti. Attamen »saepe non est peccatum, si probabiliter scias, scripta esse in tuum iniustum damnum« (s. Alph. II. 70); tunc enim et litterae et secretum, quocum scribuntur et asservantur, sunt arma iniusta ad nocendum innocenti; qui in hoc casu litteras aperit, nihil aliud facit, quam ille, qui frangit gladium iniuste aggredienti. Id valet, quando alia media desunt ad se defendendum et gravis damni suspicio habetur. In casu narrato Nicolaus a peccato immunis censi debet.

633. c) Quoad cartas postales istae non sunt clausae litterae, ideo licite leguntur a quolibet et quidem eodem iure ac si quis auscultaret colloquium alta voce institutum.

634. d) Extenuare alterius bonum opus est certe contra iustitiam; quilibet enim ius habet, ut actiones suae aestimentur prouti ab agente ponuntur. Species peccati dependet à certitudine, quacum locutio haec profertur. Si cum certitudine et advertentia propagatur falsa notitia, erit peccatum calumniae; si ei aliquis tantum probabilitatis gradus adscribitur, qui non caret fundamento, erit detractio. Si habet fundamentum, sed non sufficiens, erit iudicium temerarium. Romanus in casu narrato non graviter sed leviter peccasse censendus est, quia tantum moraliter indifferentem non peccaminosam intentionem ei suggerit Quoad speciem peccati, debet interrogare eum confessarius de fundamento, quo innixus tales locutiones protulit. Quia iudicia temeraria vulgo ex animo malevolo procedunt, interrogandus est Romanus, num Paulum odio prosequatur.

VII.

OBLIGATIONES PARTICULARES.

BREVIARIUM. (244)

a) Antonius, parochus, nova officia, quae a s. Sede eduntur, breviario suo inserere neglegit, ratus, se suscepisse obligationem recitandi ea tantum officia, quae tempore ordinationis extiterunt.

b) Vecturam ferream inscendit, longum iter ingrediens, et ecce animadvertit, se breviarii oblitum esse; commodare ei vult suum breviarium itineris socius ex ordine Fratrum Minorum et brevem instructionem de modo recitandi ex hoc breviario ei offert; Antonius respuit librum et pensum canonicum omnino praetermittit. An licite?

c) Alia vice cum bis tertiam recitavisset, dispensavit secum a Sexta, quia, ait, hora pro hora valet et nemo tenetur ad 8 horas recitandas.

Solutio.

635. a) Argumentatio Antonii est omnino falsa, etenim obligavit se ad breviarium recitandum, prouti in dioecesano calendario praescriptum est. Hoc vero nova officia recitari iubet, prouti s. Sedes ea praescribit. Si tenetur ad nova officia recitanda, debet quoque ea sibi comparare, nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Neglegentia Antonii est leviter culpabilis, modo officium de Communi recitaverit. Si tamen officia eatenus novitates afferunt, quod parvae correctiones additae sunt, si eas non transcribit, etiam peccat per neglegentiam, quia pauca verba transscribere non est labor extraordinarius.

636. b) Quoniam Pius V. in bulla Quod a nobis (1568) abrogando brevitaria 200 annis recentiora in favorem reformati breviarii romani, dicit »neminem nisi hac forma satisfacere posse

obligationi», propterea non tenetur Antonius uti breviario Fratrum Minorum. Quia tamen in Completorio minima est discrepantia et haec hora fere tota vulgo memoria tenetur, ideo Antonius eam recitare debet. In his adiunctis, si sacerdos nullo modo sibi breviarium comparare potest, omnino convenienter rosarium recitat.

637. c) Nimis laxa est haec opinio et a theologis vulgo reiicitur. (Lehmk., II. 626; Bucceroni, II. n. 10).

BREVIARIUM. (245)

a) Caius, sacerdos, dicto Pater noster, hymno, antiphona Nonae, impeditus est in recitatione; postea omnino immemor, ubi desierit, incepit officium a Vesperis; cum lectum iam peteret, recordatus est omissae Nonae sed eam recitare iam neglexit. Quomodo peccavit?

b) Ad Laudes omisit commemorationem alicuius Sancti, demum ad Vesperas recordatur huius omissionis; quaeritur, an debeat supplere defectum, bis sumendo eandem commemorationem ad Vesperas?

c) Cum magnopere defatigatus horas minores recitaret, incipiens Nonam, non recordatur, utrum finiverit Sextam an Tertiam. Quid debet facere?

Solutio.

638. a) Integram horam parvam omittere vulgo pro gravi habetur. Caius non censetur graviter peccasse ideo, quia non integram horam omisit sed partem aliquam Nonae, etenim iam aliquid recitavit (Génicot, Cas. II. de brev. c. II).

639. b) Qui similia expertus est, scit, quomodo incongruum sit bis eandem commemorationem sumere ad vespas aut eam adiungere ad calcem breviarii; ideo puto, nullam esse obligationem supplere incongruo modo commemorationem praetermissam.

640. c) Si absolute nihil recordatur et grave dubium ei occurrit (non mere negativum), debet repetere horam; non ideo, quia advertentiam non habuit, sed quia obligationi certae non

potest satisfieri per dubiam adimpletionem. Id valet in casu dubii stricti; nam a recitanda Nona excusaretur, si aliquam rationem probabilem pro se haberet, quia v. gr. tempus consuetum ad recitationem impendit, aut quia recordatur, se hymnum incepisse aut antiphonam quaesivisse. Non nimis timide procedere debent, qui scrupulis laborant aut propensionem ad eos habent.

BREVIARIUM. (246)

a) Cornelius hora 2. Matutinum anticipare consuevit; aliquo die cum iam tres psalmos Nocturni I. dixisset, horologium horam 2 sonare audit. An teneatur repetere?

b) Idem incipit breviarium, etsi speret, se mox impeditum iri per homines confluentes. An peccaverit?

c) Dum operariis laborantibus invigilat, breviarium interea recitare consuevit, praevidens distractiones et interruptiones. Quid de hac praxi sentiendum?

d) Ludovicus a parocho invitatur ad breviarium secum recitandum: nescit tamen, an morem gerere debeat, quia parochus et verba multa et syllabas deglutit et in psalmis in medium versum incidit.

Solutio.

641. a) Rigorose loquendo non satisfacit, qui ante horam 2. pomeridianam Matutinum anticipat, ideo, quae recitavit, repetere tenetur. Nequit enim praeceptum adimpleri ante tempus determinatum. Sed in his causis computatio temporis moraliter sumenda est, quia horologia multum discrepant. Ideo per epikeiam dicendum est, Cornelium posse tranquille suum officium continuare.

642. b) Per se non licet incipere horam cum praevisione interruptionis; recitatio enim debet esse continua; interruptio eiusmodi pro indirecte voluntaria reputatur. Quaelibet tamen rationabilis causa excusat ab omni peccato, ut si sacerdos deberet omittere tempus, quod liberum inter laborem habet, v. gr. quando praestolatur poenitentes.

643. c) Invigilatio operariorum compossibilis quidem est cum attentione mere externa i. e. ut verba rite proferantur, sed vulgo cum distractione leviter peccaminosa coniungitur, ideo extra casum necessitatis esset veniale in his circumstantiis breviarium recitare. Expedit se palulum elongare et devotae breviarii recitationi tempus impendere.

644. d) Etsi ad satisfaciendum praecepto breviarii recitandi omnino sufficit tantum audire socium recitantem nec necesse est verba intellegere, tamen necessarium est, ut revera voce proferantur et audiantur omnia, quae recitanda sunt; id autem impedit obtruncatio verborum. Propterea Ludovicus per se repetere debet quae obtruncata sunt i. e. psalmos. Vulgo tamen huiusmodi defectus non est substantialis, quia mutilationes sensum non corrumpunt et anticipationes non sunt notabiles, ideo posset excusari Ludovicus a repetendo breviario. In posterum expedit sub aliquo praetextu vitare talem recitationem vel parochum salva reverentia fraterne admonere.

BREVIARIUM. (247)

a) Stanislaus, neomista, fere cum invidia aspicit alios sacerdotes sat brevi tempore cum breviario sese expedientes; ipse enim impendit ad officium divinum tres imo etiam quatuor horas et adhuc ob centenos defectus inquietus, coram confessario conqueritur. Quid cum eo agere debet confessarius?

b) Nicolaus, parochus, ob aliquam afflictionem animo deiecto, per unam septimanam breviarium omisit; ad meliora reversus, iubetur a confessario restitutionem in causas pias facere, computando 2 coronas pro die ex beneficio, cuius annui proventus 1200 cor. taxati sunt. Renuit Nicolaus, afferens, quod pauperibus iam magnam summam pecuniae in decursu sui muneris largitus est. An recta excusatio?

Solutio.

645. a) Stanislaus scrupulis in breviario recitando evidenter vexatur; confessarius videns morbum hunc incipientem aut forte iam ingravescentem, prudenter et fortiter procedere debet.

Valde commendatur hoc remedium, quod designatur scrupuloso una hora ad breviarium diei persolvendum, etsi hoc tempore officium non finiverit, vetetur longius recitare; potest ei consuli recitatio cum socio; aut si expedierit, licet confessario interdicere scrupuloso recitationem breviarii ad aliquod breve tempus, puta ad 5 dies.

646. b) Confessarius nimis rigorose, Nicolaus nimis laxe de restitutione sentiunt. Parochus ratione quidem beneficii ad breviarium tenetur sed non solum hoc officium ei ex hoc titulo incumbit. Propterea dicunt auctores, omnino sufficientem esse restitutionem, si ratione omissi officii quarta pars proventuum beneficii in pias causas erogatur. Ideo Nicolaus ad summum unam coronam pro die reddere debet. Ipse vero nimis laxe sentit, si eleemosynas, datas ante delictum suum et ante incoeptam obligationem, computare vult. Si Nicolaus stipendiis missarum caret, potest ratione restitutionis missas pro animabus in purgatorio celebrare; absque dubio etiam haec causa est pia.

BREVIARIUM. (248)

a) Thomas, parochus α) ob capitis dolorem breviarium recitare per biduum omisit; β) alia vice cum, dente extracto, vultus ei intumuit, mente totum breviarium percurrit, quia voce non potuit; γ) ab influenza visitatus, febri frigoreque iactatus, duos dies in lecto transegit, quo tempore breviarium omisit. An causae allatae valeant?

b) Cum indulgentias ob Titulum suae ecclesiae celebraret, per totum diem occupatus erat tum excipiendis confessionibus tum conversatione cum hospitibus; demum vespere liberum tempus invenit ad breviarium, quod a Matutino recitare coepit. Forte parochus excusatus iam erat ab officio divino?

c) Tempore quadragesimae et missionum non recitat breviarium, quia partim in sua parochia, partim apud vicinos inde ab hora 6. matutina ad 7. imo 8. vespertinam fere continuo excipiendis confessionibus occupatur; vespere vero magnopere est defatigatus.

Solutio.

647. a) Dolor capitis, qui non impedit consuetas occupationes, non liberat a breviario; secus dicendum, si esset vehemens, imo cum vomitu coniunctus. β) Si quis non potest voce recitare breviarium, non est in intentione Ecclesiae obligare talem sacerdotem ad percurrendum officium sola mente; tali afflicto non est addenda afflictio. γ) Morbus, qui debilitat sacerdotem eumque cogit lectum petere, quales vulgo sunt morbi interni, excusat quoque a breviario; ratio est, quoniam ad morbum medendum tum corporis tum animae tranquillitas necessaria est. Id valet, etiamsi infirmus possit insumere aliquot horas colloquiis cum eis, a quibus visitatur, aut etsi valeat ephemerides legere. »Disparitas est, quod huiusmodi colloquia vel lectiones animum relevare soleant, atque hoc ipso diminuere potius quam augere infirmitatem; e contra recitatio horarum est res seria, gravat caput et suapte natura potius molestat quam sublevat« (Elbel, IV. 177). Magnopere tamen consulendum est cuilibet sacerdoti, ut in morbo, in quantum possibile, a penso canonico non absteineat.

648. b) Pii parochi festum titolare ecclesiae suae ita celebrant, ut ipsi confessionem sacramentalem deponant, Matutinum anticipent et, quia per totum diem se occupatum iri praevideant, mane omnes horas minores recitent. Etsi Matutinum non anticipaverit, puto, semper posse parochum aut tempore concionis aut vesperarum paululum temporis pro breviario invenire aut denique sacerdotes hospites ad breve tempus deserere, ut officio satisfaciatur.

649. c) Si sacerdos per totum diem excipiendis confessionibus occupatus est, prouti tempore quadragesimae aut missionum contingit, puto, omnem, qui considerat, legem breviarii esse humanam legem, concedere debere, quod nimis durum esset nimis urgere breviarii recitationem. Si quid liberi temporis restat sacerdoti, non absque utilitate necessaria deambulationi et mentis corporisque recreationi illud consecrare debet; eandem sententiam tuentur S. Alph. (V. 156), Génicot (Cas. II. de brev. c. 13), Berardi (Praxis II. 3333) et alii. Ita ex principiis theoreticis fluit; quia in praxi varia apud sacerdotes varia-

rum nationum consuetudo, laxiore tamen severa praxis apud nos praevallet, ideo tranquillitati suae conscientiae quilibet optime consulat, si suae patriae mores quisque sequetur. Etiam timoratae conscientiae sacerdotes, cura animarum onerati, aliquod levamen in causis breviori a Sede Apostolica avide expectant.

DENUNTIATIO. (249)

a) Casimirus scit, tutores A et B maxima damna inferre pupillis suis; longiore tempore siluit, ast demum contra A ob aliquam offensionem exacerbatus, denunciavit eum iudici; quaerit nunc, an peccaverit et obligatus sit etiam B denunciare?

b) Paulus casu quodam detexit auctorem furti notabilis, quem iustitiae ministri diu frustra quaesiverant; brevi post detexit etiam, quis reus esset homicidii, propter quod Andreas omnino innocenter incarceratus est. Ad quid tenetur Paulus?

Solutio.

649. a) Casimirus ut homo privatus denunciare debet tantum ex charitate et in charitate. Debit primo secreto monere A et B; postea ius ei competit denunciandi et obligatio ex charitate, quoties absque incommodo id fieri potest. Si A punitus est a iudice, non est ista poena Casimiro sed ipsi delinquenti adscribenda. Peccavit tamen graviter Casimirus in casu exposito, ideo quia ex odio erga A non ex amore erga pupillum denuntiationem fecit. Responsio, quam debet confessarius dare quoad denuntiationem B, patet.

650. a) Si aderat spes, quod damnificatus recuperaturus erat res ablatas, detecto fure, Paulus tenebatur ad furem denunciandum non ex conniventia erga custodes securitatis sed ex charitate erga damnificatum. Haec denuntiatio occulte fieri potest, ideo grave damnum non est timendum a Paulo.—Verus homicida non tenebatur se prodere ad innocentem liberandum, nisi talia fecerit, ex quibus suspicio necessario in Andream verti deberet; proinde Paulo non incumbit ex iustitia obligatio prodehendi homicidam verum. Dico »ex iustitia« et statuo obligationem Paulo ex charitate, etenim et charitas et amor iustitiae cer-

te expostulant, ut innocenti incarcerato succurratur; non desunt auctores, ut Noldin (729), Génicot (Casus cons. II. de actore I.), qui ab omni obligatione immunem dicere videntur Paulum in hoc casu.

JUDEX. (250)

a) Cornelius, iudex, cum Antonio in amicitia vivit; inopinate Antonius coram eo alicuius criminis accusatur. Cornelius scit, cum Antonii caractere non congruere crimen, quod ei obicitur, et omnino pro innocente eum habet; nihilominus testimonium depositiones tam firmæ sunt, ut iam multos alios in fide talium testimoniorum condemnaverit. Quid nunc facere debet?

b) Caius iudex novas leges nunquam legit et pluries omnino falso rem decidit. Num teneatur damna reparare?

Solutio.

651. a) Auctores vulgo proponunt casum in tali forma: an liceat iudici condemnare reum, quem privata scientia innocentem noverit. Casus hic nostris temporibus potius theoreticus, quam practicus dici potest. Etenim iudex, si quem innocentem scit, potest eum facillime interrogationibus iuvare et innocentiam ostendere; denique competit ei ius sententiam ferendi secundum suam persuasionem, modo adducat motiva. Si hoc impossibile apparet, signum est, eius persuasionem esse erroneam et propterea secundum testimonia certa debet eam reformare. Si vero testimonia sunt dubia aut tantum probabilitatem pariunt, non licet iudici condemnare reum.

652. b) Prouti iudex, ita quaelibet persona publica, debet scientia ad munus suum gerendum necessaria pollere, secus errores commissi ei reputantur tamquam provenientes ex negligentia culpabili et sunt voluntarii in causa. Caius debet reparare damna, quae ex sua ignorantia populo manaverunt. Quid si eius ignorantia non fuit graviter culpabilis et bona fide i. e. ex errore sententiam iniustam tulit, v. gr. testamentum agnovit informe et exinde haeredibus damnum illatum est? Si tempus pro appellatione iam effluxit, damnum ea reparari nequit; si

nondum effluxit, sub onere restitutionis debet iuvare partes, ut appellatio sibi consulant, quod sine magno incommodo quilibet facere potest. Ab hac obligatione non potest liberari, quia ex eius actione damnum manare non desint.

MUNERA. (251)

a) Judex, Joannes, confitetur, uxori suae homines asportare munera varia; se tamen nunquam aliquid manu tangere et semper secundum suam intimam persuasionem sententiam ferre.

b) Jacobus, officialis, scit modum redditus suos augendi. α) Causas, quae expediendae ei attribuuntur, semper differt, donec aliquis sollicitator cum munere appareat; β) munus accepit a Paulo, qui causam suam mancā reputans, nutans ius munere adiuuvare voluit. Jacobus re perpensa causam eius iustam invenit et sententiam in favorem Pauli tulit munusque sibi retinuit; γ) idem munere directoris cassae parcimonialis fungitur; nemini mutuam pecuniam concedit, nisi dono aliquo ei oblato. Quid ad hunc ditescendi modum dicet recta conscientia?

c) Parochus occasione examinis sponsum anserem et pullos gallinaceos a sponsis acceptat; intentio examinandorum, ut in catechismi responsis ab anserē adiuventur, patet. Quale iudicium de hac praxi proferre debet ethica?

Solutio.

653. a) Judex acceptans munera, peccat (contra honestatem); iuri enim naturali omnino concordant sub hoc respectu leges positivae, nam semper verificatur, quod s. scriptura dicit: »Munera excaecant oculos sapientum et mutant verba iustorum« (Deut XVI. 19). Non valet effugium, quod non ipse sed uxor eius munera acceptat, nam certe hanc praxim exercet uxor viro connivente et sciente. Quoad restitutionem generatim iudex (et idem valet de aliis officialibus) tenetur ad restituenda munera, quando *ex pacto* ea accepit et se obligavit ad iustam sententiam ferendam vel si ea accepit ad iniustam sententiam ferendam, quam nondum tulit ac denique si minis, fraude, iniusta vexatione extorsit dona. Peccat sed non tenetur restituere, si

dona ex liberalitate, sponte data sunt, aut si pactum de sententia iniusta iam compleverit (Marc II. 2302). Praeterea dona etiam sponte oblata, praesertim si sunt maioris valoris, debet reddere causa nondum finita, quia exponit se periculo ferendi sententiam iniustam, quilibet enim debet occasionem peccandi vitare.

Etsi in his negotiis forte rarissime aliquod pactum explicitum intercedit, quia, ubi nummus loquitur, os conticescere iam potest, tamen de casu narrato puto, probabiliter liberalem donationem admitti posse, etsi intentio conciliandi sibi animum iudicis pateat. Confessarius dicat poenitenti, eum peccasse et obligatum esse interdicare uxori munera acceptare. Non licet silentio praeterire, quod quoad esculenta et poculenta multum etiam valet consuetudo.

654. b) Jacobus obligatus est ex iustitia ad causas suo ordine expediendas, ideo munera restituere debet; excipe si quis extraordinarium laborem ab eo postularet, quod de Jacobo praetendere non licet eo magis, quod praxis eius iniustae vexationi aequivalet. β) Acceptando munus a Paulo peccavit et donum restituere debet, quia pro sententia iusta hoc ex pacto implicito ei oblatum est. γ) Etiam in hoc casu ex iustitia debet munere suo fungi in cassa parcimoniali et muneris acceptatio ex pacto aequivalet venditioni rei ex quasi iustitia debitae. Hic tamen facilius, saltem post factum, aliquid ex liberalitate homines dare consueverunt, quae citra culpam retineri possunt.

655. c) Quoad munera sacerdotibus oblata, sub aliquo respectu mitius sentiendum est, non tamen in casibus, ubi sacerdotes cum iustitia procedere debent. Ratio prioris est, quia fideles saepe intendunt per munera aut eleemosynam largiri, aut sacerdotes sustentare; nec vilipendenda est haec circumstantia, quod antiquae consuetudines in nonnullis regionibus vim suam adhuc retinent. Ita mos erat, quod occasione examinis sponzorum dona afferebantur. Fateor, usum istum esse periculosum, scandalosum et omnino improbandum. Certe si in pactum deduceretur munus pro examine, sacerdos simoniam committeret et istud restituere deberet, casu quo sponsi instructi apparerent. Vulgo non adest obligatio restitutionis, quoniam dona ex liberalitate et sponte data praesumuntur.

TESTIS. (252)

a) Placidus, videns, duas mulierculas rixam incipere, aufugit, ne cogeretur qua testis in iudicio comparere. An peccaverit?

b) Thomas, pacis cupidissimus, in iudicium citatus, ut testificetur in aliqua causa praescriptionis, quod Caius revera utebatur aliqua via, se nihil vidisse respondet

c) In magistratu interrogatus, an viderit Paulum pecudem occulte mactare, ut vectigalia evitet, se nihil scire, falso respondet et proinde liberatus est Paulus a mulcta solvenda. Quaeritur, an Thomas in his casibus ad restitutionem teneatur?

Solutio.

656. a) Placidus, a mulieribus rixantibus aufugiens, optimum fecit, quod in datis circumstantiis facere potuit. Durum enim est in iudicio munere testis fungi in causis eiusmodi, ut laesio honoris. Excipe, si ageretur de gravi damno a proximo avertendo; tunc charitas urgeret leve incommodum subire.

657. Locutio: »se nihil vidisse«, varium habet effectum in variis causis. In causa praescriptionis, in qua maximi refert, ut altera pars usum iuris probet, si quis falso dicit, se nihil vidisse, eo ipso alterius partis iura tuetur ideoque talis locutio falso testimonio aequivalet. Thomas tenetur testimonium retractare etiam cum damno aequali, supposito, quod ipsius testimonium revera in decisionem iniustam influxerit. Quia in his casibus plures testes vulgo audiuntur, posset contingere obligatio restitutionis in solidum, si omnes ex conducto falsum testimonium deposuissent.

658. c) Ex communi sententia theologorum testis, qui per falsum suum testimonium causa est, quod fiscus privatur mulcta a reo solvenda, omnino immunis est ab obligatione restitutionis, etenim mulcta ex iustitia legali solvi debet, haec vero virtus non obligat cum onere restitutionis. Sic etiam officialis, qui denuntiationem omisit, non tenetur ad mulctam solvendam, qua fiscus privatur (Göpfert II. 254). Idem dic de iudice vel officiali quocumque, qui reum illegitime a mulcta liberat (Noldin, De praec. 715).

REUS. (253)

a) Romanus, fur notorius, iudici inquirenti eius crimina omnia perfracte negat et martyrem innocentem in manibus custodum securitatis sese praetendit. Magnopere irascitur iudex et adiurat eum, ut crimina confiteatur. Quaeritur, an Romanus in conscientia iudici obtemperare teneatur?

b) Petrus ad carcerem trium annorum ob furtum damnatus, terebrato muro, feliciter aufugit et custodem, qui eum persequabatur, graviter laesit. Nunc confitetur. Quaeritur, quid ei confessarius imponere debeat?

Solutio.

659. a) Praxis iuridica antiqua, qua innitebantur theologi, ex postulabat saltem in quibusdam casibus a reo criminis confessionem; nunc vero reus neque ad iuramentum admittitur neque ad criminis confessionem adigitur. Ideo sibi iram, non Romano, imprudens iudex imputet.

660. b) Quod reus *iniuste* condemnatus semper fugere potest, etiam muro terebrato, etiam custode laeso, omnes consentiunt. Ratio est, quia cuilibet licet se defendere contra iniustos aggressores. Non improbabilis est opinio eorum, qui dicunt, reum (etiam iuste) incarceratum semper fugere posse, non enim condemnatur, ut maneat, sed ut detineatur in carcere. Omnino tamen probabilior sententia s. Alphonsi (IV. 280) videtur, statuens, reo post iudicis sententiam non esse licitum fugere, quia iudici parendum est. In praxi sacerdos, si interrogatur a iuste incarcerato de fugae liceitatae, ante factum non permittat, tum quia fugitivi exponunt se periculo gravioris poenae, si capiuntur, tum quia sacerdos scandalum praeberet inducendo ad violationem legum. Post factum rem dissimulet, tum ob probabilitatem sententiae, quae fugam permittit, tum quia nimis dura exigeret, si posceret a fugitivo, ut in carcere se sistat ad gravem poenam luendam. Graviter peccasset Petrus, si custodem graviter laesisset, item si eum pecunia corrupisset aut inebriasset. Pro damno carceri illato ob murum terebratum nihil debet, quia non est absolute certa sententia, quae fugam vetat; cui vero licitus est finis, licita quoque sunt media ad finem necessaria.

Si vero agitur de poena gravissima, v. gr. de carcere plurimum annorum, theologi omnes fugam concedunt.

MEDICUS; ADVOCATUS; NOTARIUS. (254)

a) Paulus, medicus, ad aegrotum Petrum accersitus venire non vult, quia ab eodem olim offensus est: morbus erat gravis, qui moram non patiebatur, et revera magnum damnum passus est Petrus, nam pes ei amputatus est. Quaeritur, an Paulus peccaverit et ad restitutionem teneatur?

b) Ad Joannem, qui optima fama periti causidici gaudet, confluunt homines tam numerosi, ut omnibus cum pari diligentia satisfacere non valeat; ideo plures tum ob dilationem tum ob insufficientem advocati praeparationem damnum passi sunt. An advocatus deliquerit?

c) Idem causam civilem tuendam suscepit, quae ei probabilis videbatur; attamen in decursu processus res iam dilucidata est: clienti suo ius non favere. An possit continuare processum?

d) Adolphus notarius α) contractum Rudolpho conficit, qui ob aliquem defectum in iudicio impugnatus est et irritus declaratus; praeter expensas processus damnum 1000 coronarum exinde passus est.

β) Instrumentum publicum venditionis praedii alicuius confecturus, advertit, contrahentes multo minus pretium fraudulenter declarare eo fine, ut minor taxa fisco solvatur. Quid ad hanc agendi rationem Adolphi?

Solutio.

661. a) Ut casus recte solvatur, praemittenda est distinctio: aut agitur de medico libere artem suam exercente aut de medico, qui salarium percipit, ut determinatis hominibus succurrat. In priore hypothesis adhuc distinguere debemus: aut adsunt in eodem aut proxime vicino loco alii medici aut Paulus est unus hanc artem exercens.—Si adsunt alii medici et Paulus libere artem exercet atque nullam habet causam excusantem, peccat ratione motivi, nam ex odio auxilium praestare renuit; dein agit contra legem positivam, quae vetat medicis abnuere suc-

cursum (decr. 24 Ian. 1832). Etiam secluso odio potest peccare contra charitatem, si aegrotus specialem confidentiam ad eum habuit. Si non adsunt alii medici aut non facile accersiri possunt, peccat Paulus graviter contra charitatem non contra iustitiam, quia medicum inter et privatos relationes in iustitia non fundantur. Dispositio legis citatae, qua medicus tenetur ad damna resarcienda, valet demum post sententiam iudicis. Quando medicus ex iustitia obligatus est succurrere hominibus determinatis, peccat graviter, si in gravi casu auxilium praestare denegat et ad resarcienda damna tenetur.

662. b) Nullum dubium, quod Joannes, qui causas supra vires suas suscipit et propter hoc damna causat, peccat contra iustitiam graviter velleviter, secundum materiam, et omnia damna resarcire debet.

663. c) Advocato licet acceptare defensionem causae, quae tantum probabiliter iusta ei apparet, quia spem habere potest, fore quod veritas eluceat. Joannes quando cognovit, suo clienti ius non favere, debuit causam deserere et clientem de hoc monere; non auderem dicere, eum ex iustitia teneri partem adversam de sua mutata opinione certiore reddere, nisi forte ex communi charitatis obligatione; etenim nullam obligationem habet tueri causas non suas.

664. d) Si causa α) Adolphi ad iudicem deducetur, certe condemnabitur tum ad solvendas 1000 cor., tum ad resarciendas processus expensas. In foro tamen interno tunc eadem obligatio eum urgeret, si ex gravi negligentia cum aliqua saltem confusa praevisione tristis sequela proveniret, id tamen vix aliquando admitti potest; ubi enim deest culpa theologica, abest quoque obligatio restitutionis. β) Non est inquietandus Adolphus, quia non constituitur ex officio ad tributum exigendum, eique invigilandum. Quia leges statuentes taxam pro poenalibus habentur, non peccant contrahentes, si eas non observant; non peccant quoque ii, qui tale consilium dant, nisi teneantur ex officio invigilare tributis.

VIII. DE IEIUNIO.

AN IEIUNANDUM? (255)

a) Miecislaus quaerit, num in vigilia Nativitatis Iesu Christi circa horam 12. aliquid comedere possit, non obstante refectione copiosa, quae eum vespere expectat?

b) Sabbato sancto post resurrectionis processionem domum rediens, dicit uxori: Carissima, sacerdos carnes et ova iam benedixit, ter ecclesiam in processione circumivi, Christus resurrexit, porrige mihi pernam benedictam! in multis familiis iam vidi carnem hodie manducari! Anceps haesitat mulier, nescit, quid de hac praxi sentiendum?

c) Contra parochum, qui pro vigilia festi titularis ecclesiae ieiunium proclamavit, mussitat Miecislaus et nullum animum ieiunandi ostendit, quia, ait, nihil in catechismo de tali ieiunio legit.

d) Cum venatus sit fulicas et anates, disponit, ut coquus pro die dominica eas praeparet; adstans vero custos silvarum, natione Germanus, instat, ut statim feria VI. praeda mensae apponatur, quia, dicit, fulicae piscibus aequivalent. Obstupefactus Miecislaus irridet singulares pisces, alis volantes et pedibus deambulantes! Quaerit a paracho, quid faciendum sit?

Solutio.

665. a) Fere in tota Ecclesia consuetudo invaluit, qua in vigilia Nativitatis D. praeter consuetum prandium duplo maior quantitas pro vespertina refectione permittitur. (Alph. IV. 1025). In Polonia tamen hodiernus modus ieiunandi hac die innititur particulari consuetudine: prouti seniores narrant et plures rustici adhuc nunc factitant, omnes Poloni a qualibet refectione tempore meridiano abstinebant, ut orto primo sidere copiose pranderent. Consuetudo haec quoad prandium sustentatur; recentioribus vero temporibus mos iterum invaluit, tempore meridiano

modicam refectiunculam sumendi; huic consuetudini in cassum quis nunc contradiceret. Potest itaque Miecislaus hunc iam fere universalem sequi morem.

666. b) Ecclesia quoad ieiunium semper computat diem a media nocte ad mediam noctem, etsi in liturgia antiquum morem computandi diem a vespers sequitur; ieiunium itaque quadragesimale solvitur demum media nocte sabbati sancti; praxis comedendi carnes benedictas vespere sabbati sancti adversatur legi et est peccaminosa.

667. c) Neque leges communes, neque particulares polonicae (vide Constit. synod. pol. Likowski, l. III. t. 46) obligationem ieiunandi aut abstinendi in vigilia Patroni loci aut festi titularis ecclesiae imponunt. Si itaque alicubi fideles ieiunant, ex devotione id faciunt et nemo sub peccato ad tale ieiunium tenetur; neque parochus potest illud imponere, quia iurisdictione pro foro externo non gaudet. Miecislaus non peccavit, si non ieiunavit, nisi ex conscientia erronea.

668. d) Teste Socrate, historiographo sec. IV. (Hist. c. 22) ¹⁾, iam in antiquitate varia erat praxis in observanda abstinencia a piscibus et volatilibus; in multis regionibus comedebantur nonnullae species avium, quia prouti pisces ex aqua generari putabantur. Itaque ex hoc errore enata est consuetudo comedendi aves aquatiles, ut anates, fulicas, imo etiam animalia, ut castores et lutras, tanquam pisces; etsi errorem historia naturalis evoluta removit, consuetudines tamen locales non vicit. Norma pro discernendis piscibus ab aliis animantibus, quae lege abstinenciae vetantur, est consuetudo, propterea ad eam recurrendum est, ut sententia feratur, an fulicae, castores etc. diebus ieiunii aut abstinenciae permittantur. In monumentis historiae Poloniae antiquae similis consuetudinis aliquod vestigium frustra quaereres, cum tam severa et tam frequentia ieiunia olim apud nos observarentur, ut omnibus feriis VI. per annum, non dicam de aliis ieiunii diebus, etiam extra quadragesimam, ab ovis et lacticiniis abstinere multae synodi praeciperent, (vgr. Posnaniensis ex an. 1689. cf. Constit. synod. l. III. t. 46, c. 3, 7). Neque hodie, saltem in Polonia austriaca et russica, talis consue-

¹⁾ Vide Bened. XIV. De synodo dioecesis. l. XI. c. 5. n. 10.

tudo viget; plures interrogavi et inveni tantum paucissimos aliquos, qui non more nativo sed sub influxu germanico lustras VI. comedebant. Huiusmodi casibus solitariis notae consuetudinis legalis desunt; itaque concludendum est: in genere non licet in Polonia diebus ieiunii et abstinentiae manducare aves aquatiles et animalia mammalia, quae in aqua vivunt.

LEX QUANTITATIS IN IEIUNIO. (256)

Prudentius audivit concionatorem sequentia ex ambone populo explicantem: licet pro ientaculo sumere 2 uncias cibi (60 gr.), pro collatione 8 (4 ova gallinacea); si lex abstinentiae pondere carnis duas uncias excedente laeditur, grave peccatum committitur; quoad legem quantitatis quattuor unciae requiruntur, ut peccatum censeatur lethale. Reverende Pater, dicit Prudentius sacerdoti ex ecclesia egredienti, ingenium ad calculos mihi deest neque ponderare cibos possum, quia bilance careo, quomodo christiane vivam?

Solutio.

669. Neque concionator neque Prudentius magna prudentia excellunt. Auctores regulas huiusmodi statuentes aliquam absolutam, theoreticam, normam indicare indendunt. Ideo in concionibus lex quantitatis potius verbis generalibus exponatur, exgr. in diebus ieiunii debemus aliquid subtrahere de ientaculo propter mortificationem. Pro coena vero regula tum spiritui ecclesiastico, tum pluribus auctoribus conformior statuatur sequens: Licet generatim sumere, quantum quis prudenter iudicat indigere, ut officia sua adimplere valeat et mortificationem aliquam sentiat (s. Thom. 2-2, 147, a. I., Scavini I. 275). Si vero de ieiunii violatione iam sermo instituitur, potius dicendum est: degustare paululum carnis die abstinentiae est veniale; comedere carnem est mortale; idem dicendum de aliis cibis in ieiunio stricto.

AN LAXISMUS? (257)

a) Parochus Taddaeus nunquam, ut ait, delinquit contra legem ieiunii vel abstinentiae, quia quoties contra legis dispositiones agit, toties secum dispensat; omnibus petentibus dispensationem semper concedit, quin causam investiget. Quid ad hanc praxim?

b) In concione dixit, omnes famulos et rusticos lege quantitatis non teneri.

c) In confessionibus raro audit aliquem excultum de violatione legis quantitatis se accusare, itaque interrogationes saepe interponit et audit responsa a poenitentibus, solummodo quoad feriam VI. quod a carnibus abstinent aut non, ac si tantum hac die Ecclesia abstinentiam aliquam aut ieiunium praeciperet. Quid faciendum ei est, debetne quemlibet instruere?

Solutio.

670. a) Nimis laxe sentit quoad se, etenim ipse ad valorem dispensationis causa iusta indiget; quoties itaque contra legem ieiunii manducat absque sufficienti ratione, toties peccat.—Quoad alios, hodiernis temporibus saepissime adsunt causae aliquae pro dispensatione, ut penuria ciborum esurialium, debilitas petentis, labor defatigans etc., ideo non licet parochus esse difficilem in dispensationibus concedendis. Ideo imprudenter ageret parochus, qui quemlibet petentem cruciaret investigatione de causa; quia si catholici dispensationem petunt, licet praesumere, eos bonum animum habere et non ex levitate, sed ex aliqua rationabili causa petere. Imprudenter quoque ageret parochus, si nunquam causam explorare statueret. Praesertim si petitur extraordinaria aliqua relaxatio in lege, quae nata est scandalum parere, debet scire causam. Id admitti potest, quod in multis casibus particularibus sola petitio sufficit, nempe si timetur, ne denegata dispensatione debiles in fide ab Ecclesia abalienentur, nam etiam tunc non sine causa dispensatio conceditur. Sola ratio, quod dispensatione non concessa aliquis legem, non observabit, per se sufficere non potest, quia perversi et malitiosi homines in meliore conditione essent, quam conscientiosi.

671. b) Generaliter ita loqui non licet: certe famuli rusticorum prouti et ipsi agricolae laboribus multum defatigantibus vulgo occupantur et ideo non licet eis scrupulum ingerere ob legem quantitatis violatam; tamen non de omnibus famulis id dici potest, certe non de cubiculariis utriusque sexus, qui in anticameris saepe multas horas otio terunt.

672. c) »Tam pauci hodie ieiunium servant in magnis saltem civitatibus, ut mirandum non sit, ipsam notionem ieiunii a multis amitti atque hoc nomine designari abstinentiam a carnibus« (Génicot, Cas. cons.² pg. 125); accedit, quod in nostra lingua vulgari non distinguimus inter ieiunium et abstinentiam. Quia exculti plus minusve liberalismo vulgo infecti sunt, magni vero interest, ne a gravioribus Dei et Ecclesiae praeceptis (verbi gratia a confessione annua) rigorismo detereantur, ideo de lege quantitatis instruendi sunt tantum ii, qui spem emendationis dant, reliquos in bona fide relinquere praestat. Exculti solummodo feria VI. abstinentiam observantes et reliquos dies ieiunii neglegentes, ignorantia invicibili se excusare non possunt, quia saltem in genere sciunt, adesse alios dies ieiunio consecratos, et nihilominus nullum conamen adhibent ad ignorantiam depouendam; imputantur ergo eis ieiuniorum violationes. Itaque admonendi sunt, ut se instruant et alia quoque ieiunia observent; si vero aliquam causam allegant, haec, addita eorum morali debilitate, sufficit, ut eis dispensatio concedatur.

AN EXCUSANTUR A IEIUNII LEGIBUS? (258)

a) Ladislaus, ciborum carnalium amator, nec pisces nec lactinia deglutire potest; si ab uxore devota abstinere cogitur, nihil manducat, qualibet feria VI. fame premitur, sed desperans tempore quadragesimae iam nescit, quid sibi faciendum sit.

b) Peregrinans in diversorio publico modo table d'hôte prandere intendit; apponitur, ut vulgo, caro; cibi vero esuriales haberi quidem possunt, sed á la carte, quod carius evenit. Quid ei faciendum?

c) Simon, gymnasii discipulus, confitetur, se non posse abstinentiam servare, quia domina, apud quam habitat (pension), nemini cibos esuriales praebet.

d) Innocentius carnem feria VI. comedit, quia parentes aliter agere non sinunt.

e) Domicilla, coqua, diebus ieiunii iussu herae cibos carnales parat et ipsa eosdem comedit.

Solutio.

673. a) Sunt, quorum stomachus cibos esuriales ferre non potest; ii per se excusantur, si abstinencia praescripta est diebus continuis, ut verbi gratia tempore quadragesimali, imo etiam feriis VI. et sabbatis quattuor temporum; Ecclesia praesumitur nolle imponere tantum onus, ut aliquis fame prematur. Pro feriis VI. petat Ladislaus dispensationem, quam facillime ei parochus concedet, ut mentem saltem conservet catholicam, si stomachum convertere non potest; expedit tamen, ut saltem semel in mense feria VI. a carne absteineat.

674. b) Sola circumstantia pretii paulo adaucti non excusat Ladislaum a lege abstinenciae; debet prandium esuriale serio petere, quod non tam raro, ut multi putant, in diversoriis publicis praeberi potest, si quis cibos exquisitos non quaerit.

675. c) Nimis laxe sentiret, qui diceret, discipulos posse manducare, quae eis apponuntur; ipsi enim cum de pretio, victu etc. conveniunt, conditionis de observando ieiunio memores esse debent. Doceatur Simon, quod ius habet poscendi cibos esuriales; si ei domina denegat, quaerat aliud domicilium, interea excusabitur a peccato. Si aliud conveniens invenire non posset aut ex mutatione domicilii aliquod damnum pati deberet, impotentia eum excusabit; securius tamen faciet, si dispensationem petet.

676. d) Innocentius ratione impossibilitatis omnino excusatur, quia non eius sed parentum est mensam dirigere, domo vero discedere non potest. Non nocebit consulere ei, ut a parentibus cibos esuriales humiliter petat; fortasse suscitabit scintillam fidei parentum mala consuetudine tectam.

677. e) Domicillae aut hera relinquit libertatem in victu sibi parando aut non. In priori casu debet abstinere et separatim aliquid sibi coquere; in altero casu ad tempus excusatur quidem impotentia, sed per se tenetur quaerere alium famulatum; si facile alium convenientem invenire non posset aut solummo-

cum minore salario, in antiquo loco sine peccato permanere potest et manducare, quae ei dantur; excusabitur a peccato incommodo pro ea gravi.

AN EXCUSANTUR A IEIUNII LEGIBUS? (259)

a) Petrus, ad coenam a Philippo invitatus, venire promisit; domum tamen reversus recordatur, adesse ieiunii diem et Philippum, utpote liberalem, vulgo non observare ecclesiasticam abstinentiae legem. Re mature considerata, comparet, quoniam de futura electione ad consilium municipale cum aliis civibus loqui intendebat et timet, ne factio catholica detrimentum patiatur; apponuntur cibi carnales, hic eos manducat. An licite?

b) Gregorius, miles gregarius, dum apud parentes in maiore hebdomade degit, non ieiunat, quia, ut dicit, id militem non decet.

c) Servitio militari absoluto, ipse ritus graeco-catholici, famulatur apud herum ritus latini, qui eum romana ieiunia observare iubet. Quid agere debet?

Solutio.

678. a) Per se debet Petrus respuere invitationem et, si iam comparuit, cibos esuriales poscere; lex tamen abstinentiae, utpote humana gravioribus negotiis cedere debet. Quia timendum erat grave detrimentum pro re catholica, invitationem respuere non potuit et non debuit et proinde licite comparuit; licite quoque manducavit, quae apponebantur, ludibrio enim se exponeret, si inter liberales solitarius ieiunaret. Legem vero quantitatis debuit observare et quidem aut domi meridie modicum prandium sumendo, quod ordinariam coenam aequaret, aut si iustam habuit causam meridie plene se reficiendi, vespere abstinendo a refectione ad satietatem. Ceterum dispensationi in hoc casu locus vere adest. Si ageretur de coena apud amicum, deberet cibos esuriales petere et, si hi facile praeberi possent, ieiunare.

679. b) Milites et in genere omnes personae ad exercitum pertinentes (in Austro-Hungaria) Vicario Castrensi subditi sunt

et dispensantur ab eo in lege abstinentiae, excepta vigilia Nativitatis J. Chr. et Parasceve; liberantur quoque a lege quantitatis ratione laboris. Liberi itaque sunt ab utraque lege ieiunii etiam tunc, quando extra contubernia ad tempus morantur. Personae vero ad familiam militum pertinentes, ut uxores, filii familias, lege quantitatis obligantur. Gregorius itaque per se non peccavit contra legem ieiunii, sed forte contra veracitatem.

Quoad militiam stabilem (Landwehr), haec subiicitur Ordinariis loci et vi facultatum a R. Pontifice 7. septembr. 1900 per archiepiscopum Vindobonensem Ordinariis Austriae concessarum, dispensant cum ea Ordinarii eodem modo ac cum militia vaga. Custodes securitatis publicae (Gendarmerie) subiiciuntur Ordinariis loci et parochis a quibus debent petere dispensationem secundum suam indigentiam.

680. c) Personae apud dominum diversi ritus famulantes, nondum eo ipso in ieiunio suo dispensantur (S. C. Prop. Fid. 25. iulii 1887; Acta S. Sedis 1895 novembr.) Gregorius in casu proposito posset excusari a peccato ob impotentiam, herus vero eius ob ignorantiam ieiuniorum graecorum et forte ob incommoda in paranda duplici mensa.

IN AMBAGIBUS POSITI. (260)

a) Macellarius Iosephus accersitur ad porcos mactandos in domibus privatis et hospitiiis publicis; aliquando feria VI. et diebus ieiunii colla porcorum scindit, carnes coquit et varios cibos praeparat; in hoc negotio carnem necessario degustare debet. Num licite?

b) Cum prandium supra mensam Hedvigis apposuisset, filius eius e schola rediens, clamat: mama, catechista dixit, hodie esse ieiunium! Quid misera mulier cum marito, grege liberorum et messorum pro hac die conductorum, faciet?

c) Eadem mulier alia vice messoribus prandium parare debet, sed ecce butyrum ei deest; quomodo cibos absque codimento porriget?

d) Matrifamilias et eius filiis ob debilem valetudinem medicus carnibus vesci praecepit; remanet solus paterfamilias, qui ad abstinentiam teneretur; num allata adiuncta eum excusent?

Solutio.

681. a) Macellarius degustare carnem potest, quin deglutiat; si tamen hoc ei impossibile esset, exiguum frustulum carnis materiam gravem non efficiet itaque quaelibet rationabilis causa (in casu officium eius) excusat Josephum a peccato.

682. b) Stricte loquendo debet Hedvigis aliud prandium parare; faciat, qui facile potest in his adiunctis! ego non intellego, id aliquando fieri posse absque gravi incommôdo. Proles numerosa fame pressa vociferat, messorum defatigati refectionem avide exspectant; si aliud prandium parare vellet, non solum ciborum iacturam subire deberet (quod non semper evenit), sed etiam audiet multas operariorum maledictiones; praeterea ipsa damnum ob laborem retardatum patietur, nam operarii laborem certe non reasument, nisi sumpta refectione. Fateri debemus, aliud prandium facilius posse parari, si agitur de uno alterove homine non de pluribus.

683. c) Debet butyrum emere vel apud vicinas mutuare; si hoc impossibile apparet, potest cibos pinguedine animali condire et, re explicata, messoribus porrigere. Certe messorum labore defatigati nimis dure premerentur, si cibos absque condimento, quod de cetero materia parva est, manducare tenerentur.

684. d) Paterfamilias per se non excusatur in his adiunctis; si tamen duplex prandium parare difficile ei eveniret, iusta aderit ratio pro dispensatione petenda. Sola circumstantia laboris et paulo maiorum expensarum in parando duplici prandio per se non excusat.

AN IEIUNENT? (261)

a) Stanislaus, parochus, occasione festi titularis ecclesiae, quod in diem ieiunii stricti incidit, prandium confratribus, auditione sacrarum confessionum defatigatis, instituit. Ex confessionalibus accersuntur in domum plebanalem ibique primum poculo cremati cum frustulo panis cavali ornato ad prandium se disponunt, quod demum post tres quadrantes apponitur. In prandio ipso iusculum carnis subsequitur piscis, hunc excipiunt caro assa et legumina. Ob fratrum loquacitatem, qua singulorum

merita, vera et ficta, blanditiose in orationibus exponuntur, prandium ab h. 3. ad 6. durat. Unus eorum in angulo mensae tacitus sedens recogitat, num epulae prouti palato ita et Ecclesiae praescriptis conveniant?

b) Carolus ob gutturis aegritudinem postquam locutione defatigatur, dulciola etiam diebus ieiunii manducat. Libenter quoque sumit aquam cum succis fructuum; nec scrupulum sibi facit, si die ieiunii prunam aliquam aut pomum aureum comedit, fructus enim, ut ait, non sunt cibi.

Solutio.

685. a) In multis offendit prandium descriptum Ecclesiae leges: α) frustula panis, quae »ad appetentiam acuendam« ante prandium dari solent, cum eo moraliter cohaerent, ideo licet ea die ieiunii comedere, si media hora ante prandium dantur, quia ad tale tempus prandium sine causa interrompere omnes concedunt; in casu allato maius temporis intervallum intercessit ideoque veniale peccatum commissum est. β) Violata est lex Benedicti XIV. de non permiscendis cibis, quia caviale ex piscibus originem ducit; haec lex magis adhuc ingemiscit tempore ipsius prandii, quando manifeste pisces ut ferculum distinctum super mensa apparent. γ) Diebus ieiunii non licet saltem sub veniali, prandium absque iuxta causa protrahere ultra duas horas (Alph. IV. 1020); in casu frustra aliquam rationabilem causam praeter fratrum loquacitatem quaereres. In praxi quoad punctum α et β vulgo inadvertentia excusat.

686. b) Si gutture laborat, licite sumit dulciola, quae pro eo non cibi sed medicamenti rationem habent. Aqua cum succo et sacharo mixta omnibus permittitur, quia aridum non in magna quantitate mixtum dissolvitur in aqua et suam naturam moraliter amittere reputatur, quod de omni commixtione aridi cum liquore valet; fructus autem non permittuntur, non enim potus sed cibi rationem habent; non bibuntur, sed manducantur.

AN EXCUSENTUR? (262)

a) A confessario Joanne, quid sibi faciendum sit, quaerunt

1) litterarum distributor, qui praetendit, se propter laborem suum

a lege quantitatis et qualitatis excusari; 2) studiosus universitatis, qui praeparatione ad examen subeundum occupatus, ieiunium aegre fert; 3) homo nervosus, qui bene non valet, nisi quinquies per diem manducet, 4) sacerdos quidam, qui de capitis dolore conqueritur, si circa horam 11. nihil sumserit; 5) matrona cafei amatrix, quae sine cafeo, quod circa horam 4. sumere consuevit »vivere non potest«; 6) ipse denique cum cotidie per quattuor horas confessiones excipiat et post meridiem in schola doceat, nescit, an teneatur lege unicae refectionis.

Solutio.

687. Litterarum distributores ob laborem defatigantem a lege quantitatis sine dubio eximuntur, si per totam diem occupantur; a lege qualitatis tunc sunt liberi, si alia accedit causa, vgr. debilitas, ita ut aliter officio suo fungi non possent aut non nisi cum magna difficultate.

688. b) Studiosus ad examen se praeparans gravem perficit laborem, ideo afficto non adderem afflictionem, non obstante robusta corporis constitutione, quia facile perditur sanitas, si corpori in his circumstantiis cibus subtrahitur; per se patet, eum liberari tantum a lege quantitatis, si plus vult, debet dispensationem petere.

689. c) Centies medici proclamant, nervosos debere nutrimentum in minore quantitate, sed frequentius sumere; itaque si nervositas alicuius notabilis est, hic per se excusatur a lege unicae refectionis, nam certe non est in Ecclesiae intentione, lege ieiunii morbos fovere. Consultius tamen est ob conscientiae tranquillitatem dispensationem petere.

690. d) Etiam in hoc casu, si dolor capitis notabilis est, aliquo panis frustulo se reficere theologi permittunt.

691. e) Indulgeatur matronae cafeum aut chokolatum, modo magnam lactis copiam non admisceat; sin vero suadeatur mulieri, ut loco coenae hanc refectionem sumat, si ceteroquin causa dispensationis deest.

692. f) Quia in nostris regionibus confessiones magnopere defatigant ob inferiorem populi culturam et aëris acerbitem, liberarem a lege quantitatis sacerdotem, cotidie (non exceptionaliter) per quatuor aut quinque horas in confessionali seden-

tem, si aliter difficultatem in suo labore sentiret. In dubio adest iusta causa pro dispensatione concedenda. In casu narrato eo facilius per se liberatur Joannes, quod post meridiem in schola docet.

RECITATIO PRECUM. (263)

Venceslaus iubet filium suum decennem dicere orationes ab episcopo impositas: pro 1) dispensatione sabbatina in anni decursu; 2) quando aegrotus feria VI. ex medici iussu carnem manducavit; imo, quia ostreas comedit, duplicem orationem ei imposuit ob violatam legem de non permiscendis cibis; 3) quando tempore adventus feria IV. lacticinia comedit; 4) quando Parasceve ientaculum et coenam sumsit, etsi a lacticiniis abstinerit. An recte?

Solutio.

693. Si oravit, nihil Joanni nocuit; tamen hic agitur de stricta obligatione, quae tunc tantum (sub levi peccato) adest, quando quis vi dispensationis legem ieiunii aut abstinentiae non servat. In particulari quoad casum 1. recte pater obligavit Joannem ad preces, quia ligabatur lege abstinentiae et dispensatione usus est; in casu 2. nulla erat obligatio preces recitandi, quia propter infirmitatem non abstinuit; ostreae adnumerantur quidem piscibus sensu theologico, attamen lex de non permiscendis cibis tangit solummodo dies ieiunii stricti; 3. Olim in Polonia non intellegebatur ieiunium sine abstinentia a lacticiniis (Likowski, Constit. synod.), nunc tamen sub influxu consuetudinum ex occidentalibus regionibus ieiunium mitius concipitur; pro quadragesima conceditur vulgo dispensatio universalis, quoad cetera ieiunia supponitur licentia utendi lacticiniis ex consuetudine ¹⁾, quae etiam legibus communibus Ecclesiae conformis est; in 4. casu sumitur ientaculum et collatio ex consuetudine, itaque nulla est obligatio precum recitandarum; ceteroquin Joannes lege quantitatis nondum ligatur.

¹⁾ In dioecesi Tarnoviensi inde ab anno 1896. supponitur, quod antiqua lex abstinendi a lacticiniis extra quadragesimam in consuetudinem abiit.

IX. DE LIBRIS.

EXCOMMUNICATIO OB LECTIONEM. (264)

a) Albertus, philosophiae dans operam, absque ulla facultate legit varios libros, ut nova systemata philosophica cognoscat: itaque ut materialismum exploret, legit Büchner: »Kraft und Stoff«; ex pantheistis eligit opera Spinoza Benedicti »Ethica«; de idealismo pantheistico vult edoceri a Hegel »Phaenomenologie des Geistes«; criticam philosophicam vult cognoscere ex Emmanuel Kant: »Kritik der reinen Vernunft«; vias, quas percurrit moderna mens philosophica investigat ex operibus Paulsen »Einleitung in die Philosophie«, et »System der Ethik«. Occasione sacrorum exercitiorum confitetur »doctus« hic iuvenis coram sacerdote; et praeter enumeratos auctores longam adhuc recenset seriem librorum, confessario ignotorum; perplexus sacramenti minister, nescit, an libri enumerati vetiti sint, an iuvenis excommunicationem incurrerit?

b) Sudore nondum absterso alteri poenitenti praeberet aures, qui iterum interrogat, num liceat ei vacare studio historiae universalis et aestheticae ex libris protestantium; scrupulos vero ei ingerunt excursiones contra catholicam Ecclesiam in libris contentae.

c) Absolutis confessionibus pergit in scholam, ubi iterum a discipulo interrogatur; num licita sit lectio alicuius libri, qui pornographicus videtur; ipse tamen de libro isto nihil audivit unquam, et, facultate legendi libros prohibitos non provisos, timet librum pervolvere, ne peccet.

Quid de istis casibus sentiendum est?

Solutio.

694. a) Cum difficile sit sacerdotibus omnia impressa opera novisse, ideo si a poenitente interrogatur, postulet ab eo

libri argumentum; ex hoc poterit cognoscere, utrum liber haeresim propugnet ideoque sub censura prohibitus sit, an tantum ut periculosus ex lege naturali sit vitandus aut per »Decreta generalia« interdictus, vgr. quia est liber acatholici ex professo de religione erronee tractans.

Excommunicatio incurritur, quando a) liber haeresim propugnat (argumentis defendit) et b) auctor est haereticus aut ex secta aut ex doctrina manifesta. Quoad argumentum enumerata opera revera haereses continent et cum quisque auctor dum systema suum explicat, eo ipso istud defendat, ideo etiam haeresim propugnat; materialistae enim ac pantheistae et Dei personalis et liberi arbitrii existentiam negant, non loquar iam de aliis haeresibus. Opera vero Paulsen (et Wundt), in quantum metaphysicam tractant, doctrinam pantheisticam Ben. Spinoza cum aliqua modificatione profitentur; quae autem ethica occupantur, pluribus quoque scatent haeresibus; Kant in citato opere religionem revelatam negat. Quoad scriptorum religionem, ex enumeratis auctoribus omnes Germani sunt haeretici, utpote lutheranismo formaliter aggregati; etsi aliquis auctorum ad Ecclesiam catholicam externe pertineret, tamen si »ex doctrina manifesta« haeretica et pertinaciter proposita haereticus appareret, tunc legens eiusdem libros incurreret excommunicationem R. Pci. spec. reservatam (Vermeersch, De prohibitione libr. n. 32, 3. Lehmke. II. n. 923; Szczepański, Nowy ind. n. 505). Unicus Spinoza erat natione iudaeus (persuasione apostata a iudaismo), ideo etsi graviter peccet legens eius opera (Decr. gen. 2), tamen excommunicationem non incurrit (Szczepański l. c. n. 506 et alii).— Confessarius investiget, num iuvenis sciverit, tam atrocem poenam esse statutam contra legentes hos libros; si affirmat, debet confessarius ad episcopum se convertere pro obtinenda facultate absolvendi a censura, quae potestas in »quinquennialibus« episcopis datur; simplex confessarius posset tunc tantum a censura absolvere, si urgeret necessitas, ita ut absque incommodo absolutio differri non posset. Si negat, absolvat poenitentem dolentem, nam ignorantia censurae excusat a censura. Advertat, quod in hoc casu ignorantia etiam affectata a censura excusat, vgr. si poenitens in confuso suspicaretur censuram, sed a nemine aliquam notitiam censurae claram haberet. Sola persuasio,

quod liber in Indicem est relatus non sufficit. Ita etiam non incurrit censuram, qui erronee putat, librum aliquem sub excommunicatione esse prohibitum, quia lex punit vere delinquentes.—Clarum quoque est, confessarium debere iuveni directionem pro futuro impertire, vgr. ut facultatem legendi libros prohibitos ab Ordinario petat, ut refutationes falsorum systematum diligenter scrutetur, ut philosophiam scholasticam cognoscat.

696. b) Libri eiusmodi sunt libri acatholicorum »qui ex professo de religione« non tractant (Decr. gen. n. 4), sed tantum »fidei veritates obiter tantum attingunt«, i. e. dogmata catholica non exponunt et non impugnant, et forte politicam Romanorum Pontificum medii aevi aut cautam eorundem in operibus artis procedendi rationem sinistre diiudicant, ideo non sunt prohibiti iure ecclesiastico; si tamen eos legens plures tentationes contra fidem patitur et iam pluries saltem nutabat in fide, tunc ipsa lex naturalis vetat eiusmodi libris uti. Id facilius de historicis operibus, quam de aestheticis valet. Secundum dicta interrogandus est poenitens.—Rigorem suum epikeia temperare debet sacerdos quoad discipulos, quibus a professoribus eiusmodi liber qua manuale praescribitur, tunc enim aut necessitas discipulos excusabit a peccato aut, quod magis expedit, facultas legendi ab ordinario petenda est.

697. c) Facultas legendi libros obscoenos nemini in Ecclesia impertitur: possunt tamen catechistae et professores gymnasiorum eos libros legere, quia »officii aut magisterii ratio excusat« (D. g. 10). Advertendum est, lege positiva non esse prohibitos libros, qui obiter et non notabiliter aut theoretice tantum tractant de obscoenis, sed eos, qui narratione turpes imagines directe excitare satagunt et ex professo id faciunt. Per se patet, licet cuilibet librum ignotum pervolvere, ut cognoscat an revera periculosus sit. Exinde apparet, quod Adalbertus in tertio casu nimis timide processit.

AN LIBRI PROHIBITI? (265)

a) Jacobus petit, num licitum sit ei legere libros quosdam et quidem: α) librum, qui de Jesuitis fabulas (fictas aut veras

nescit) narrat; β) alium qui de evocatione spirituum tractat; γ) alium denique, qui separationem Ecclesiae a statu commendat.

b) Philippus emit in nundinis s. Scripturam in versione vernacula, editionis societatis Londinensis, nec non imagines, in quibus typis impressae sunt orationes indulgentiis dotatae sed absque »imprimatur«. Quaeritur, num possit res emptas retinere?

c) Theophilus habet librum precum et instructionem pro praeparatione cum liberis facienda ad primam communionem; neuter liber munitus est clausula »imprimatur«. Potestne illis uti?

Solutio.

697. a) Liber, qui Jesuitas aggreditur, non reputatur inter eos, qui »statum clericalem vel religiosum probris afficiunt«, etenim aggreditur unus ordo non institutio ordinis religiosi. Nihilominus, cum multae fabulae a protestantibus, Jesuitis inimicae et falsae, divulgantur, cautus sit poenitens, ne legens calumnias, iis sine critice memoriam repleat et iudicium temerarium et iniuriosum de Jesuitis formet. β) Interdicuntur solummodo libri, qui evocationem spirituum, magiam, practice docent, eamque commendant. γ) Etsi Syllabus non sit definitio dogmatica ex cathedra (Pennacchi, Act. s. Sed. v. 30. pg. 307 nota), tamen S. Congr. Conc. (19 apr. 1898) inter prohibitos recenset libros, qui Syllabo adversantur (Decr. g. n. 14), atqui opinio statuens separationem Ecclesiae a statu per Syllabum proscribitur (n. 55). — Intellege id, si quis absolute, in omni casu talem separationem commendat, ac si religio esset res privata, nam possunt adesse adiuncta temporis, in quibus status separatismi relative bonus est. In utroque casu posteriore res interrogationibus est dilucidanda.

698. b) Versiones s. Scripturae in lingua vernacula, quae a societate biblica Londinensi divulgantur, licite adhiberi possunt ab iis tantum, »qui studiis theologicis vel biblicis dant operam« (n. 8), inter quos non solum professores et tirones in theologia sed etiam omnes sacerdotes probabiliter intellegendi sunt (vide Szczepański l. c. nota 386, qui allegat Palmieri contra Veermersch et Pennacchi). Nihilominus puto, quod peccaret sacerdos catholicus, qui loco versionis approbatae eiusmodi protestanticam stabiliter adhiberet. Si Philippus est laicus, mandari

ei debet combustio libri, nam retinere eum »Decreta generalia« prohibent. Quoad imaginem cum oratione dotata indulgentia, haec non indiget »imprimatur«, quia non potest dici folium, in quo indulgentiarum concessionem continentur (Decr. g. 17).

699. c) Liber precum ob defectum »imprimatur« interdictus est nec licet eum retinere aut eodem uti (n. 20). Alter vero liber, cum non pertineat ad libros practicae devotionis aut institutionis religiosae, nondum est prohibitus, ob defectum eundem. Eiusmodi liber praeviae censurae ab editore subiiciendus erat (n. 41) sed usus eiusdem non est ob hunc defectum interdictus.

CENSURA LIBRORUM; EPHEMERIDES. (266)

a) Theodorus Cracoviae habitans librum de ethica catholica Leopoli typis mandare vult; a quonam Ordinario »imprimatur« petere debet?

b) Idem facultate legendi libros prohibitos gaudens, legit ephemerides liberales et socialisticas, quia tutiores et recentiores notitias habent.

c) Stanislaus, sacerdos, via ferrata proficiscens, cum varia diaria venalia offerebantur, emit socialisticum et hoc coram aliis legit?

Solutio.

700. a) Praxis antiqua, qua liber subiiciebatur censurae illius episcopi, in cuius dioecesi imprimebatur, nunc mutata est per Decreta generalia, quae (n. 35) pro libris consuetis exigunt »imprimatur« episcopi, in cuius dioecesi libri *publici iuris* fiunt, seu ubi depositi sunt et unde divulgantur. Itaque perinde est pro Theodoro, utrum Cracoviae an Leopoli librum typis mandet, sed attendere debet, ubinam eum depositurus et unde divulgaturus sit. Quae Göpfert (Moraltheol. I. 291) et Vermeersch, (De prohib. pg. 33) loquuntur de more Germaniae, quod sufficit ex consuetudine approbatio Episcopi auctoris, solummodo de Germania valere videtur.

701. b) Qui gaudet facultate legendi libros prohibitos, ipso facto potest legere diaria et libellos periodicos sive liberalismum

sive socialismi principia propugnent. Nihilominus si quis haec prava scripta habitualiter legeret, praetermissis catholicis ephemeridibus, tunc non auderem eum dicere immunem a gravi peccato ob proximum periculum incidendi in indifferentismum, quod ex tenore confessionis facile cognosci potest. Per se patet, licentiam nunquam impertiri legendi scripta obscoena.

792. c) Sacerdos emens et legens coram aliis, qui rem advertunt et intellegunt, ephemeridem socialisticam, violat legem positivam contentam et in decretis generalibus (21) et ordinarie in lege dioecesana; praeterea peccat scandalo, nam alii pravo exemplo pertrahuntur ad leges istas violandas. Quoad gravitatem peccati, puto, eum, qui unam ephemeridem legit, ratione violatae legis positivae nondum mortaliter peccare ob materiae parvitatem. Facilius committetur grave peccatum ratione scandalii. Hoc vitari posset aliqua explicatione, vgr. se velle legere istam ephemeridem cum intentione refutationis faciendae.

NUM LICITA LECTIO ET OCCUPATIO? (267)

a) Sophia virum nacta est socialismi ardentissimum propugnatorem; ipsa cotidie legit in diario socialistico telegrammata et nuntios mercatorios, quum alias ephemerides non habeat.

b) Josephus, sacerdos, in festo sui Patroni cantat cum parochianis suis litanias ad s. Joseph in ecclesia.

c) Sigismundus occupatur vendendis diariis et bonis et socialisticis et liberalibus; obiurgatus a confessario reponit: quomodo vivam, cum nihil habeam, praeter hoc officium. Quaeritur, num in casibus propositis singuli peccaverint?

Solutio.

703. a) In hoc consistit discrimen quoad lectionem inter obligationem provenientem a lege naturali et a iure positivo, quod si scriptum aliquod lege positiva prohibitum est, non licet in eo legere etiam partem innocuam et quidem, ut dicunt, sub veniali; secus vero dicendum de lege naturali, quae non respicit partes innocuas. Quia diarium socialisticum per decreta generalia prohibetur (n. 21), propterea Sophiae non potest per-

mitti eiusmodo habitualis lectio, etiam supposito, quod telegrammata et nuntii mercatorii fidem non infestant; id valet eo magis, quod ex parte muliebris curiositatis pertimescendum est, ne forte ad lectionem articulorum nocivorum pertrahatur.

704. b) Ut in cultu publico novae litaniae praeter eas, quae in breviario inveniuntur, adhiberi possint, necessaria est permissio s. Congr. Rituum; ita statuit S. C. Off. an. 1860 (Acta S. Sed. vol. 30. pg. 342). Illicite egit parochus, sed puto, eum per se graviter non peccasse. Clarum est, litaniarum ad s. Joseph recitationem in domo privata esse omnino licitam.

705. c) Praetermittamus quaestionem, utrum vendentes folia periodica edentibus (Verm.) an legentibus (Gén.) adnumerare oporteat, hoc tamen certum est, quod et lex positiva et lex naturalis vetant propagationem ephemeridum liberalium, aut socialisticarum, cum ordinarie plus minusve fidei aut moribus nocivae sint. Si Sigismundus vendit scripta pornographica aut valde impia, cooperatio eius formalis est; nam actio eius alium finem praeter corruptionem habere non potest, ideo venditio eorum absolute Sigismundo est interdicenda; si tamen scripta non sunt magnopere impia et turpia, ita ut eorum lectio non; statim gravis peccati argui possit, potest ei ad tempus permitti venditio ex urgenti, quam affert, causa et cum admonitione, ut cum pravis foliis etiam bona vendat, et, quatenus potest, haec prae aliis emptoribus emenda suadeat.



INDEX.

I. De actibus humanis in genere.

N. casus	Pag.
1 Voluntarium spontaneum	1
2—3 Imputatio effectus	2—3
4—6 Ignorantia	4—7
7 Passio	8
8 Status morbidus imputationem afficiens	9
9 Pessimismus et optimismus practicus	10
10—11 Vis	12—13
12 Consuetudo	14
13—14 Elementa moralitatis	14—16
15 Actus supernaturalis, meritorius	17

II. De lege.

16—19 Obligatio legis	19—22
20—22 Adimpletio legis	23—25
23 Impedimenta in legis adimplentione	26
24 Lex irritans	27
25—26 Lex fundata in praesumptione	28—29
27—30 Dispensatio	29—33

III. De conscientia.

31 Conscientia erronea	35
32 Conscientia falsa	37
33 Conscientia scrupulosa	38
34—35 Conscientia dubia	39—40
36 Conscientia probabilis	41
37 Usus probabilismi	42

IV. De peccatis.

N. casus	Pag.
38 Advertentia ad peccatum	44
39 Consensus voluntatis	45
40 Distinctio specifica peccatorum	46
41—44 Distinctio numerica peccatorum	47—50
45—47 Peccata interna	52—54
48—49 Superbia	55—56
50—51 Invidia	57—58
52—53 Avaritia	59—61
54—56 Ebrietas	62—65
57 Ira	67
58—59 Acedia	68—69

V. De virtutibus theologicis.

60 De sciendis et credendis veritatibus fidei	71
61 Professio fidei	73
62—63 Obiectum fidei	75—76
64 Dubitatio contra fidem	78
65—66 Fidei negatio et professio	80—81
67 Communicatio cum iudaeis	83
68—71 Spes	85—87
72—73 Charitas	89—91
74—75 Inimicitia	93—95
76 Ordo charitatis	96
77 Eleemosyna	97
78—80 Correctio fraterna	99—102
81 Odium abominationis	103
82 Maledictiones	105
83—85 Scandalum	108—110
86—87 Cooperatio	111—113

VI. De praeceptis Decalogi.

Praeceptum divinum I.

88—89 Oratio	114—117
Superstitio in genere	119
91—98 Superstitio	122—131
99 Tentatio Dei	133
100—104 Sacrilegium	134—141
105—108 Simonia	142—147

Praeceptum divinum II.

109 Vana usurpatio nominum sacrorum	148
110—116 Votum	149—159
117—120 Iuramentum	161—164

Praeceptum divinum III.

N. casus	Pag.
121—125 Auditio sacri	165—173
126—129 Abstinencia ab operibus servilibus	174—178

Praeceptum divinum IV.

129—131 Obligationes filiorum	180—184
132—133 Obligationes parentum	185—186
134 Obligationes coniugum	187
135 Famuli	189
136—137 Herus	190—191
138 Discipulus	192
139 Magistri haeretici	194
140—141 Electiones	195—196

Praeceptum divinum V.

142 Suicidium	198
143—145 Homicidium	199—201
146 Duellum	203
147—148 Abortus	205—206

Praeceptum divinum VI.

149 Delectatio	207
150 Luxuria imperfecta	209
151 Amores, tactus	211
152 Luxuria imperfecta	213
153 Luxuria indirecta	214
154 Luxuria incompleta	215
155 Luxuria non consummata	217
156 Fornicatio	218
157 Debitum coniugale	219
158 Sponsi	220
159 Choreae	221

Praeceptum divinum VII.

160—161 Dominium filiorumfamilias	223--224
162 Bona uxoris	226
163 Dominium auctorum	227
164 Bona clericorum	229
165—166 Occupatio	231—234
167 Thesaurus	235
168—170 Inventio	238—241

N. casus	Pag.
171 Acquisitio dominii	242
172—174 Praescriptio	244—246
175 Sciens et volens	247
176—179 Furtum	249—253
180 Extrema necessitas	256
181—182 Occulta compensatio	256—258
183 Beneficium avertens	259
184—185 Iure suo utens	262—263
186 Damnificatio	264
187 An causa efficax damni	266
188—189 Culpa iuridica	268—269
190 Iustitia distributiva	270
191 Errans circa personam et circa valorem rei	272
192—194 Possessor bonae fidei	274—276
195—196 Possessor malae fidei	278—279
197 Possessor dubiae fidei	280
198 Vulneratio	282
199 Restitutio ob luxuriam	284
200 Restitutio ob tributa et occasione militiae	286
201—205 Cooperatio	289—295
206 Cui restituendum?	296
207—209 Restitutio	298—301
210 Contractus (materia)	303
211 Contractus (minorennnes)	304
212 Contractus (error)	305
213 Contractus (metus, iuramentum)	306
214 Contractus	307
215 Promissio	308
216 Donatio	309
217—220 Testamentum	311—314
221 Depositum	316
222—224 Mutuum	317—320
225—228 Venditio	321—324
229 Venditio per proxenetas	326
230 Licitatio	327
231 Locatio	328
232 Ludus	329
233 Sponsio	331
234 Assecuratio	331

Praeceptum divinum VIII.

235 Joci an mendacia?	333
236 Veracitas	335
237 Restrictio mentalis	336

N. casus	Pag.
238—241 Detractio	338—342
242 Laesio honoris	344
243 Secretum	345

VII. Obligationes particulares.

244—248 Breviarium	347—351
249 Denuntiatio	353
250 Judex	354
251 Munera	355
252 Testis	357
253 Reus	358
254 Medicus, Advocatus, Notarius	359

VIII. De ieiunio.

255 An ieiunandum?	361
256 Lex quantitatis in ieiunio	363
257 An laximus?	364
258 An excusentur a ieiunii legibus?	365
259 An excusentur a ieiunii legibus?	367
260 In ambagibus positi	368
261 An ieiunent?	369
262 An excusentur a ieiunio?	370
263 Recitatio precum pro dispensatione	372

IX. De libris.

264 Excommunicatio ob lectionem	373
265 An libri prohibiti?	375
266 Censura librorum. Ephemerides	377
267 Num licita lectio et occupatio?	378

Corrige:

Pg. 212 versus 30: loco „ludrice“ debet esse „ludicre“.

Pg. 224 versus penultimus: loco „minorennis“ debet esse „maiorennis“.



JA-2614

Miejska Biblioteka Publiczna
w Tarnowie

CWoTiR



0230-002614-00